ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

COMPENDIUM

THEOLOGIAE ASCETICO-MYSTICAE

COMPENDIUM
THEOLOGIAE ASCETICO-MYSTICAE

SEU THEOLOGIAE MYSTICAE FUNDAMENTALIS ET SPECIALIS

BEATAE MARIAE VIRGINI

DICATUM

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

AUCTORE

Fr. Iosepho Calasanctio Card. VIVES

O. M. Cap.

Editio tertia aucta et emendata

FR. BENEDICT M. BLANK O.P. AD USUM

Property of

COSA

Please return to

Graduate Theological

Union Library

FRIDERICUS PUSTET

PONTIFICALIS BIBLIOPOLA

ROMAE

RATISBONAE — NEO-EBORACI

1907

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister

IMPRIMATUR

Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.

Roma, 1907. — Tip. Editrice Romana, Via della Frezza, 59-61.

PROLOGUS

Maria Immaculata, quae est Vita, Dulcedo, Spes nostra peramantissima, protegente, *Compendium Theologiae Mysticae fundamentalis et specialis,* eo fine exaravi, ut omnes animarum Moderatores omnesque clerici et religiosi, quasi in brevi Summula, ea omnia facile invenire possent, quae ad perfectionem spiritualem sive propriam, sive aliorum conducere valent, divino praesupposito auxilio.

Multi enim hodie scientiam ascetico-mysticam non tanti quanti oporteret facientes, difficulter studio huic saluberrimo incumbunt minusque libenter veram solidamque devotionem in seipsis et in discipulis promovent, sicque et ipsi et discipuli modo initiali tantum et quasi in confuso Deo deservientes, monita et doctrinas Doctorum spiritualium minime curant, deque omnimoda veraque in divino famulatu fidelitate nullatenus solliciti fiunt. « Unde oritur illud, quod sentis, rerum divinarum fastidium? unde profluunt tot in tuo intellectu tenebrae? unde tanta in corde tuo duritia? unde illud foede cadendi et non emergendi imminens periculum? Unde? Nonne ex negligentia in virtute proficiendi? Nonne ex contemptu perfectionis tuo sublimi statui adeo congruae? Nonne ex abusu tot adminiculorum ad iuges progressus adeo aptorum? » (Regula Cleri).

Ex tali agendi ratione facillime debilitatur animarum fortitudo, et fidei sensus fideique mores minorantur in multis aliunde bonae voluntatis fidelibus, quorum cor ex negligentia principiorum vitae spiritualis dividitur inter mundanas vanitates

Ac: 2076

et divinum obsequium, mundo multum indulgens et Deo quasi taxative serviens. Unde multa in primis dicenda occurrunt de *Theologia Mystica fundamentali seu Ascetica,* ut solidum habeatur vitae spiritualis fundamentum tutusque sit transitus ad *Theologiam Mysticam specialem* seu proprie talem.

Mystica fundamentalis principaliter tradit quidquid ad ordinariam perfectionem conducere potest, vel ab illa impedire, ut anima in hac securissima perfectione et unione cum Deo rite obfirmata, quotidie in charitate crescat, neque per falsam pietatem decipiatur, immo, si Deo placuerit, proprie mysticos seu extraordinarios spirituales favores salutarius accipiat.

Aliunde, nullus animarum Director ignorare debet fundamentalia pietatis principia, si in multis decipi non vult, et inutiliter imo et periculose alios docere.

Mystica fundamentalis tradit permulta quae Mysticae proprie dictae seu *Mysticae speciali* necessaria evadunt, et semper a mysticis proprie talibus prae oculis haberi debent. Unde non mirandum, si multi Doctores mystici totam scientiam asceticomysticam sub uno nomine *Theologiae Mysticae* tradunt.

Et sicut *Theologia Moralis* frequentius perlegenda est ab animarum pastoribus quam *Theologia Dogmatica* (quamvis haec ultima nunquam negligenda), utpote quia morales difficultates frequentiores in praxi occurrunt; ita *Theologia Mystica fundamentalis* seu *Ascesis* saepius (speciali non neglecta) ab ipsis legi debet quam *Theologia Mystica specialis* seu *proprie dicta,* quia quotidie multi reperiuntur fideles qui in ordinariis perfectionis viis perambulant, multo vero pauciores et rariores qui in viis extraordinariis inveniuntur.

Liceat, lector dilectissime, hisce verbis venerandi Ludovici Blosii in suo Canone Vitae Spiritualis indulgentiam tuam implorare: « Non est quod verear ne offendaris impolita libelli dictione, maxime cum sis studiosissimus atque amantissimus sacrarum Litterarum, quas non sermonis exterior ornatus, sed interior veritatis fructus commendat. Omnino futurum confido, ut haec facile admittas, quae ineleganter quidem, non tamen inutiliter forte scripta sunt. Sane talem me esse profiteor, qui aliquid facunde dicere neque possem si vellem, neque vellem si possem. Pietati admodum amica est simplicitas, fitque, nescio

quo pacto, ut verba curiosius exculta cor plerumque non tam penetrent, quam demulceant ».

Compendium nostrum continet doctrinam S. Thomae, S. Bonaventurae, et praecipuorum Mysticorum, necnon plurimas SS. Patrum et Doctorum sententias, ad utilitatem moderatorum animarum faciliorem, firmiorem atque iucundiorem lectionem.

Faciat Deus ut omnes lectores humillimi huius compendii, auspicante B. M. V. ad montem sanctum perfectionis perveniant!

Romae, in festo Assumptionis B. M. V. die 15 Augusti 1906.

OMNIA SUB CORRECTIONE S. ROMANAE ECCLESIAE.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PROLEGOMENA

1. — **Monitum Seraphici.** — « In principio primum principium, a quo cunctae illuminationes descendunt tamquam a patre luminum, a quo omne est datum optimum et omne donum perfectum, Patrem scilicet aeternum, invoco per Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum ». — « Oratio igitur mater et origo est sursum actionis in Deum. Ideo Dionysius in libro de Mystica Theologia, volens nos instruere ad excessus mentales, primo praemittit orationem. Oremus igitur et dicamus ad Dominum Deum nostrum: Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua. Laetetur cor meum ut timeat nomen tuum » *(Itin. ment. ad Deum*, prolog. et cap. 1).

Art. I. **Definitio, divisio, differentia Theologiae Mystica fundamentalis et specialis.**

2. — **Definitiones variae.** — Mystica Theologia idem est quod extensio amoris in Deum per amoris desiderium (S. Bonav.). Unde, Theologia Mystica auget et extendit amorem, et hoc per desideria vera,

continua, ardentia. — Mystica Theologia, iuxta Gersonium (1), definitur: Experimentalis cognitio habita de Deo per amoris unitivi complexum, vel est sapida notitia de Deo, dum ei supremus apex affectivae potentiae realiter per amorem unitur. — Vel: Experimentalis et gratuita unio seu collectio et exultatio humilium mente cordis sui cum Deo (id.). — Iuxta Ioannem a Iesu: Quaedam altissima notitia vel cognitio experimentalis Dei per quamdam certam et supremam actionem voluntatis cum Deo consecuta. — Iuxta Valgonera: Contemplatio perfectissima et altissima Dei et fruitivus ac suavissimus amor ipsius intime possessi. — Iuxta Philippum a S. Theresia: Quaedam Dei notitia per unionem voluntatis Deo adhaerentis elicita, vel lumine coelitus immisso producta. — Denique, iuxta B. Dionysium Carthusianum: Ardentissima divinae caliginis intuitio. — Sed, ut patet, huiusmodi definitiones *Mysticam experimentalem* principaliter respiciunt.

3. — Theologia mystica vocatur etiam sapientia practica quae tractat de Deo quatenus bonus est et amabilis; scientia sanctitatis; scientia perfectiva in-

(1) Theologiam mysticam sic possumus describere: Theologia Mystica est extensio animi per amoris desiderium. Aliter sic: Theologia Mystica est motio anagogica, hoc est sursum ductiva in Deum, per amorem fervidum et purum. Aliter sic: Theologia Mystica est experimentalis cognitio habita de Deo per amoris unitivi complexum. Aliter sic: Theologia Mystica est sapientia, id est sapida notio habita de Deo, dum ei supremus apex affectivae potentiae rationalis per amorem coniungitur et unitur. Vel sic per Dionys. VII de div. nom: Theologia Mystica est irrationalis, et amens, et stulta sapientia, excedens laudantes (Gerson. De Myst. Theol. specul. consid. 28, t. 3, p. 384); quod tamen cum grano salis intelligendum, ideoque de dulcissima insipientia et de sapientissima stultitia amatorum crucis Christi.

tellectus et maxime voluntatis ; scientia contemplationis, etc. Estque vel *late mystica* seu *fundamentalis*, vel *stricte mystica* seu *specialis*.

4. — *Theologia late mystica*, seu *fundamentalis*, definitur : Practica scientia de modo Deum amandi, et nos ipsos odio habendi (Maës). — Vel : Scientia ex divinitus revelatis procedens, quae doctrinas ad perfectionem virtutum consequendam conducentes tradit (Schram). Vocatur etiam *Theologia Ascetica*.

5. — *Theologia stricte mystica seu specialis* est : Scientia quae de contemplatione et de donis mysteriosis ac supernaturalibus agit in ordine ad perfectionem christianam. Vel : Illa Theologiae species, quae agit de contemplatione, et fideles dirigit circa dona spiritualia, extraordinaria ac quasi-mysteriosa (Cfr. Scavini, *Theol. Mor.*). Vocatur simpliciter *Theologia Mystica* — Agemus de Theologia Mystica et late et stricte sumpta : quia pro omnibus fidelibus scribimus, ut omnes « extendant amorem in Deum per amoris desiderium », ut vult Doctor Seraphicus et mysticus S. Bonaventura.

6. — **Divisio.** — Theologia stricte mystica est vel *Experimentalis* et subiectiva, vel *Doctrinalis* et obiectiva. Illa est elevatio mentis ad Deum per desiderium amoris purissimi et ferventissimi ; vel motio anagogica ; vel melius experimentalis cognitio habita de Deo per amoris unitivi complexum (Cfr. Gerson, tr. 7, *sup. Magnificat*). Ista considerat actus contemplativorum iuxta principia et regulas ab Ecclesia traditas. Unde, Mystica doctrinalis dirigit quodammodo et disponit vocatos ad contemplationem. Mysticam experimentalem solus Deus proprie docet : doctores vero adiuvant mysticos seu contemplativos ne errent. — Theologia late mystica seu Ascetica est pariter

Experimentalis in iis qui per vias perfectionis perambulant, et *Doctrinalis* in iis qui eosdem vias docent.

7. — Mystica, sive experimentalis, sive doctrinalis, stricte sumpta, est: *incipientium,* si agatur vel tractetur de iis quos Deus purificat ad primos contemplationis gradus; *proficientium,* si de iis qui, iam ex parte purificati, recipiunt quaedam peculiaria dona; *perfectorum,* si de iis qui pervenerunt ad unionem stabilem cum Deo, ut alibi dicetur.

8. — Mystica late sumpta, sive Ascetica, agit de via *purgativa*, *illuminativa,* et *unitiva,* seu de incipientibus, proficientibus et perfectis, viis ordinariis (1).

9. — **Obiectum** Theologiae Mysticae sunt experimentales actus sive ordinarii sive extraordinarii devotorum ad perfectionem et contemplationem tendentium, quatenus praedicti actus conformes vel disconformes sunt ipsi perfectioni et contemplationi. Ergo Deus est obiectum mediatum; actus vero mystici perfecte vel imperfecte unitivi sunt obiectum immediatum Theologiae Mysticae.

10. — **Finis** Theologiae Mysticae est, animam per viam perfectionis ducere usque ad unionem per-

(1) Quamvis ergo specialiter et principaliter sola via unitiva Theologiae Mysticae nomen, quasi proprium, obtineat, toti tamen huic operi praefigitur, tum quia saepissime Theologiae Mysticae suavitas aliis viis, etsi non perenniter, transeunter tamen admiscetur (Philipp. a SS. Trinit. Summ. Theol. Myst. Prolog.). — Perfecta haec mystica unio reperitur regulariter in perfecto contemplativo qui in vita purgativa et illuminativa, id est meditativa et contemplativa diu exercitatus, ex speciali Dei favore ad infusam contemplativam evectus est (Ben. XIV De Servor. Dei beatific. III, 26, 6). — Contemplationem propriam esse tertii status (scilicet unionis), licetin aliis aliquando inveniatur, docet Le Gaudier, De natura et statibus perfect. 1, sect. 3, c. 4.

fectae charitatis cum Deo, mediantibus regulis verae et sanae prudentiae ab Ecclesia, Patribus et Theologis approbatis vel traditis.

11. — **Differentia.** — Theologia Mystica, *sive stricte, sive late sumpta,* differt a Theologia Scholastica. Quia 1° illa tractat de Deo praesertim quatenus est veritas amabilis; ista de Deo praesertim quatenus est veritas cognoscibilis. — 2° Scholastica est praecipue perfectio intellectus; Mystica vero est praecipue perfectio voluntatis.

12. — *Theologia Mystica, sive stricte sive late sumpta, differt a Theologia Morali.* Quia 1° Moralis componit mores excludendo peccatum; Mystica vero non solum excludit peccatum, sed tota occupatur in perfectione addiscenda et exequenda. — 2° Moralis principaliter divertit a malo, seu docet divertere a malo per observantiam praeceptorum affirmativorum et negativorum; Mystica vero principaliter facit bonum, i. e. conducit ad perfectionem et contemplationem per observantiam consiliorum et imitationem sanctorum.

13. — *Theologia Mystica stricte sumpta differt a Theologia Ascetica seu a Mystica late sumpta.* Quia 1° ista ordinarium perfectionis exercitium et media docet; illa vero agit principaliter de viis et mediis extraordinariis. — 2° Mystica supponit Asceticam; Ascetica vero non supponit Mysticam. — 3° Ascetica est fundamentum verae Mysticae: unde, mystici haud ascetae, seu perfectionis haud cultores, sunt falsi mystici. — 4° In omni studio mystico invenitur aliquid ascetismi: in rebus autem pure asceticis nunquam agitur de mysticismo stricte sumpto.

Art. II. **Sublimitas, utilitas, necessitas Theologiae Mysticae.**

14. — **Sublimitas.** — Theologiae Mysticae sublimitas exoritur ex ipsius obiecto sive mediato sive immediato.

15. — Theologia Mystica doctrinalis est vere Ars artium, est luminare directionis animarum seu operis omnium divinorum divinissimi.

16. — Theologia stricte Mystica agit de altissimis et mirabilibus effectibus divini amoris in cordibus eorum qui totis viribus sese Deo dederunt, et illius voluntatem in omnibus unice quaerunt, abnegantes saecularia desideria et nihil aliud scire volentes quam Iesum et hunc crucifixum, quique cum D. Dionysio (*Theol. Myst.*, c. 1), dicere possunt: « Dirige nos (Sanctissima Trinitas) ad mysticorum oraculorum plusquam indemonstrabile et plusquam lucens et summum fastigium, ubi simplicia et absoluta et immutabilia Theologiae mysteria aperiuntur in caligine plusquam lucente silentii arcana docentis ».

17. — **Utilitas.** — Theologia Mystica est illa divina sapientia cuius possessio est melior quam possessio auri et divitiarum: Ergo... — De ipsa dicit Scriptura (*Prov.* 16, 16): « Posside Sapientiam quia auro melior est ». — « Sapientia haec, ait S. Bonaventura, Mystica Theologia dicitur. » (1).

(1) P. Alvarez de Paz, de iis quibus doctrina mystica suadenda est, scribit: « Nam duae sunt classes animarum quae hac eruditione indigent: altera earum quae ad perfectam et omnino supernaturalem contemplationem subvehuntur, altera earum quae eas gubernant et dirigunt. Illae egent aliqua huius sapientiae cognitione, ne timeant, ne se illusas, cum non sint,

18. — Theologia Mystica est ornamentum sacerdotale: quia magni doctores mystici hanc scientiam non speculative tantum, sed et practice pro viribus coluerunt. Sacerdos per mysticam est lux pro aliis, ignis pro se: ergo lucet et ardet. Unde optimi animarum directores sunt: 1° pii et devoti; 2° docti et sapientes in rebus mysticis. Ergo sacerdos parum utiliter alios ad perfectionem ducere conabitur, si ipse de proprio spirituali profectu minime curat. Et merito dicendum cum Alvarez de Paz (*Praef. de vit. spir.*): « Haec est vera sapientia, quae non in ieiuna speculatione, sed in utili operatione sita est; non in disputationibus, sed in fuga ab omni malo, in adhaesione incommutabili bono et in perfecta mandatorum observatione, atque in animi puritate consistit ».

19. — Ex dictis patet, Theologiam Mysticam ideo utilissimam dicendam, quia: 1° tendit ad ipsam Directorum perfectionem; 2° ac proinde in ipsa speculatione inclinat ad experimentalem Mysticam; 3° est magnum adiumentum Magistrorum et discipulorum in via sanctitatis. — Bona est ergo Mystica doctrinalis; melior Mystica experimentalis; optima

aut deceptas defleant, vel e contra aliquo dolo adversarii innexae, ac si non essent, illusae gaudeant: et ut dona quae accipiunt agnoscant et pro illis gratias agant, et se ad vitae puritatem his donis correspondentem accingant. Hae etiam egent quia cum certum sit non paucos utriusque sexus fideles, praesertim in religiosis congregationibus, ad contemplationem perfectissimam sublimari, rectores et praefecti eorum, non eos, ut oportet, dirigent, si penitus hanc doctrinam ignorent, et nec per experientiam, nec per speculationem, aliquam eius notitiam acceperint ». (De Inquisit. pacis sive studio orat. l. 5. p. 3. introd.).

Mystica doctrinalis-experimentalis seu speculativo-practica.

20. - **Necessitas.** — *Theologia Mystica doctrinalis est necessaria omnibus animarum directoribus.* Quia 1° notiones mysticae, ut dictum est, differunt ab aliis theologiae notionibus, ac proinde requirunt speciale studium. « Quamvis ambae Theologiae germanae sint, ait Lopez Ezquerra *(Lucern. Myst.*, tr. 1, c. 6), habet tamen mystica *(etiam)* alia principia, diversos modos, et non paria studia quae... discernenda sunt ».

21. — Quia 2° in omnibus fere civitatibus et locis inveniuntur animae Deo specialiter dilectae, perfectionem ardentissime sectantes, et a Domino specialissime visitatae, quarum directio exigit notitiam viarum contemplationis. Ergo « necessarium prorsus est quod Magister sit doctus... in illa divina sapientia, quam docuerunt Petrus et Paulus; ideoque eius studium non tam Theologiae Scholasticae quam Mysticae et spiritualis sit » (Lopez Ezquerra, *ibid.)*.

22. — Quia 3° « Deus animas per diversas vias ad se trahit, et necessarium est quod Magister aliquam saltem notitiam habeat singularum. Quare debet plures mysticorum libros revolvere, in quibus per assiduum studium versatus sit, ut id de quo experientiam non habet, a Doctorum experientia et doctrina accipiat » *(Idem. ibid.)*. (1)

(1) « Vix decem ex mille animabus, quas Deus ad perfectionem vocat, vocanti respondent; et ex centum, quas vocat Deus ad contemplationem, nonaginta novem deficiunt: quapropter dico, multos esse vocatos, sed valde paucos electos. Et ultra difficultates permagnas ac insuperabiles fragilitati nostrae, quibus negotium istud circumseptum est, una ex causis potissimis est inopia magistrorum spiritualium (infelices communitates, ubi

23. — *Sola Mystica experimentalis non sufficit ad alios dirigendos.* Quia 1° « Experientia quidem iuvat plurimum; at est fallax, maxime in his materiis, quae cum non sint physicae, sed morales, subiectae sunt quam maxime varietati » *(Segneri)*. Ergo Theologia Mystica doctrinalis est necessaria ad evitandos errores in via perfectionis.

24. — Quia 2° « sine Theologia Mystica doctrinali, sola experimentalis facile ad spiritum declinat privatum et illusum, qui est fomes omnium haereticorum in speculativa, et illusorum in Mystica » *(Schram)*.

25. — Quia 3° « compertum est multos habere devotionem, sed non secundum scientiam: quales procul dubio pronissimi sunt ad errores, etiam super indevotos, si non reputaverint affectus suos ad normam legis Christi: si praeterea capiti proprio, propriae scilicet prudentiae inhaeserint, spreto aliorum consilio » *(Gerson)*.

26. — *Reprobanda aliquorum confessariorum negligentia in Theologia Mystica addiscenda et colenda.* Quia « illorum (confessariorum) est alios in perfectionis via instruere, manuducere, corrigere, excitare, etc.; suntque ipsi praecipue a quibus perfectionis panem petere habent parvuli: adeo ut, si ipsi in hac via non satis versati sint, hac eorum ignorantia contingat saepius, quod multae simpliciores animae, alioquin bonae voluntatis et ad Deo perfectiori quo scirent modo serviendum promptissimae, perfectiores tamen non evadant; utique quia patrem nactae non

desunt magistri, vel si adsunt ignoti sunt, nullo habentur pretio!) qui post divinam gratiam naucleri, animas per hoc incognitum mare vitae spiritualis recte non ducunt » (Godinez, Prax. Th. Myst. lib. 8, cap. 1.).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

sunt, qui eas in perfectis semitis instruat. Quod certe non parum in Christi animarum Sponsi iniuriam redundat » (Maës, *Theol. Myst., prooem.).*

27. — *Damnandi contemptores scientiae Mysticae.* Quia 1° Favent quasi-rationalismo ; mirabilia divina temere aspernantur; specialia Spiritus Sancti dona quodammodo reiiciunt: unde spiritualem vitam non tantum negligunt, verum etiam tamquam monialium ac devotarum nugas vel quasi deliria exsibilant.

28. — Quia 2° Tales contemptores habent consocios ipsos protestantes, iuxta illud Scavini: « Sunt qui illam (Mysticam) eiusdemque tractatores, licet doctissimos, rident passim, aliquo modo accedentes ad protestantes, inter quos vix credibile est quot iniuriis Mysticam ac Mysticos prosecutus est Moshemius, ut refert Bergier. Verum nedum spernenda, imo tamquam utilis et necessaria haec scientia habenda est; nam cum dentur animae illis mysteriosis donis a Deo donatae, requiritur in confessario (aliqua saltem) circa eadem scientia, ut erga poenitentes etiam in his magistri, doctoris et patris officio fungatur ». (1) — *Theologus mysticus non ex levi credit,*

(1) Ex ipsis protestantibus non desunt qui Mysticae contemptores damnant. D. Ward Minister anglicanus, adhuc puseysta, in libro cui titulus: *Ideal of a christian church*, de mysticis doctrinis scribit: « Ut ergo actionem Ecclesiae summatim exponam: consistere debet praesertim in formatione sanctorum. Quem ut obtineat finem, institutiones creentur necesse est, ubi inveniant, qui ad vitam via ordinaria christianorum perfectiorem sunt vocati, omnia quae iis sunt necessaria.... Ad tanta operanda (id est formare sanctos), Ecclesia tribus utetur instrumentis principalibus: theologia morali, theologia ascetica et theologia mystica... Amplo systemate theologiae moralis, quod

sed ad normam doctrinae et traditionis Ecclesiae, accurate examinat actus experimentales mysticorum, ut pretiosum a vili separetur. — Cfr. Verhaege, *Man. Theol. Myst.;* P. Seraphin. passionista, *Princip. Theol. Myst.;* Lopez Ezquerra, *Lucerna myst.;* etc.

29. — **Fontes** Theologiae Mysticae. — I. Scriptura Sacra; — II. Traditio; — III. Ecclesia, Caput Ecclesiae seu Romanus Pontifex, Concilia; — IV. Uno verbo, omnes loci theologici sive interni, sive externi *(Vid. nostrum Comp. Theol. Dogm., de locis theol., prooem.).* Hinc « Principia, e quibus Theologia Mystica suas regulas et veritates accipit, eaedem sunt e quibus Theologia Dogmatica, Polemica, Moralis et Scholastica suas veritates, regulas et conclusiones deducit », ait Schram.

ART. III. **Praecipui Doctores Mystici. Adversarii rerum mysticarum. Varia.**

30. — **Principes** huius facultatis: D. Thomas et D. Bonaventura. — D. Thomas cum veritate Theologiae Scholasticae scripsit multa quae Mysticae sunt propria, et quia ambae scientiae sunt sorores invi-

amplectetur omnia christianorum officia; theologiae asceticae, ad formandos sanctos; et systemate theologiae mysticae, ad dirigendos sanctos in ipsis perfectionis viis, ne ab angelo tenebrarum, angeli lucis formam sumente, seducantur, aut deliria phantasiae inspirationes coelestis sponsi esse putent. En arma quorum vis divina Ecclesiam contra omnes hostes defendet ». Iste D. Ward, ad veritatem conversus, cognovit Ecclesiam Catholicam istam esse Ecclesiam quam adhuc puseysta in ideâ sibi finxerat, ait Voss.

cem quasi coniunctae, utramque eminenter coluit Angelicus Doctor (Ita ex Ludov. a Ponte, *Medit.*, p. 1, *introd.*).

31. — D. Bonaventura « singulariter inter omnes Doctores Catholicos, pace omnium salva, videtur idoneus et securissimus ad illuminandum intellectum, et ad inflammandum affectum » (Gerson., Part. 2, *tit. de legend. lib. a Relig.*). Et alibi ait: « Sint alii Doctores, qui dicantur Cherubici: Bonaventura autem verissimo nomine Seraphicus simul et Cherubicus, quia inflammat affectum, et erudit intellectum, reducit et unit ad Deum per amorem excitativum; dum alii multi solum divaricant et dispergunt intellectum per praecisiones, prioritates et posterioritates, per signa et contingentia, cum tamen unum sit necessarium » (Gerson, *Epist. ad quemd. Min. anno 1426*).

32. — « Multi doctrinam proferunt, devotionem praedicant multi, pauci scribendo libros docuerunt utramque. Bonaventura autem et multos superavit et paucos, dum eius doctrina devotionem, devotio instruit doctrinam. Si ergo doctus vis esse et devotus, illius opusculis esto intentus » (Ioan. Trithemius, *de Scrip. eccles.*).

33. — Nota. — I. Praeter Angelicum et Seraphicum, maxime commendantur D. Dionysius, seu auctor theologico-mysticarum tractationum eius nomine editarum, eximius magister mysticus S. Ioannes a Cruce, suavissimus S. Franciscus Salesius Episc. Conf. et Ecclesiae Doctor, Thomas de Kempis, Gersonius, Taulerus, Blosius, Morotius, Cardinalis Bona, plures Carmelitae, etc.

34. — II. Inter praecipuos mysticos, floruerunt innumeri fere Doctores hispani cum S. Petro ab Alcantara, S. Theresia a Iesu, etc., etc.

35. — **Adversarii** verae Mysticae. — I. Gnostici, Albigenses, Fratricelli, etc. — II. Illuminati, Quietistae, etc. — III. Rationalistae, Semi-Rationalistae, et Liberalismi sectatores, qui duobus dominis plus minusve servire intentant. — IV. Negligentes non pauci in vita spirituali et perfectione, qui etiam studium orationis mentalis ignorant, vel de via meditativa minime curant, nec quoad se, nec quoad alios.

36. — Ex istis Gnostici, etc. horrendas abominationes committebant; Illuminati, etc. spiritualem animae progressum impediebant quadam passivitate, inertia et aliis aberrationibus, non raro abominationibus et libidine plus minusve admixtis; Rationalistae, etc. rerum spiritualium vel sunt contemptores, vel irrisores, vel illas parvifaciunt; Negligentes denique, potius vitam mundanam quam christianam sectantur, et paucissimis actibus externis contenti, compunctionem cordis et solidam pietatem illis relinquunt quos *devotos* et *beatos* prava intentione et iniuriose vocant. Ergo adversarii verae Mysticae sunt: 1° Ignorantia, pigritia et libido; 2° Incredulitas, indifferentia, impiorum societas et libertinorum amicitia; 3° Acedia, tepiditas et fervoris carentia.

ART. IV. **Methodus. Varia. Magister.**

37. — **Methodus.** — Imprimis agemus de *Perfectione spirituali,* seu de *ascetismo* sive de *fundamento vitae vere mysticae.* Deinde tractandum est de *viis contemplationis stricte mysticis.*

38. — In rebus mysticis, fugienda curiositas, iudiciorum celeritas, mysticorum dirigendorum avi-

ditas, humana seu carnalis prudentia, mundana principia, privata opinio, et (praecipue) pietatis et scientiae neglectus. « Praeventis igitur divina gratia humilibus et piis, compunctis et devotis, unctis oleo divinae laetitiae et amatoribus divinae sapientiae, et eius desiderio inflammatis, vacare volentibus ad Deum magnificandum, amandum et etiam degustandum, speculationes subiectas propono, insinuans quod parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostrae tersum fuerit et politum » (S. Bonav., *Itiner. mentis ad Deum, prolog.*).

39. — **Varia.** — *Theologia Mystica merito utitur terminis metaphoricis et locutionibus impropriis.* Quia altissima perfectionis arcana imperfecte tantum exprimi possunt ab humana lingua. Unde iure merito benigne accipiendi sunt termini, et mysticae locutionis modi, praesertim cum Theologia Mystica proprias et reconditas phrases et locutiones sibi vindicet (*Vict. Gelens.*) (1).

(1) Unde merito scribit Cardinalis Bona: « Nam coelestium donorum sublimitas saepe excedit vim et significationem omnium vocum, quas ad promendos animi conceptus homines instituerunt; et si quis ea, ut par est, directori pandere velit, lingua cordi non sufficit. Unde necesse est ut nova vocabula novasque phrases fingat, quibus singularia Dei dona sibi concessa manifestet; quas sane voces carnales homines non percipientes, praecipiti sententia veluti erroneas damnare solent. Traducitur hoc nomine a nonnullis Mystica Theologia, ac si voces contineat obscuras, horridas, inauditas, inintelligibiles et a placitis philosophorum ac theologorum dissentientes, quas, vel ludibrio habent tamquam nullius momenti, vel nihil differe putant ab erroribus Beguardorum et Illuminatorum dudum damnatis.... Habet Mystica Theologia suas voces, quas terminos vocant dialectici, sicut omnes artes et scientiae; et cum sit omnino

40. — « Operationes, interiores praesertim, non ita clare proferuntur, nec ita possunt scriptis tradi, sicut sentiuntur : et haec est ratio, quare Apostolus dixit, se audivisse arcana verba quae non licebat homini loqui; quoniam minus poterat tradere (B. Dionysio, exempli gratia) quam acceperat » (*Gerson*).

41. — Theologia Mystica est 1° *Scientia*, quia nititur principiis fide divina creditis; 2° *Sapientia*, quia per altissimas causas cognoscit altissimam perfectionem et contemplationis; 3° *Practica*, quia tendit ad operationem per orationem et mortificationem, seu conducit fideles per viam sanctitatis.

42. — NOTATU DIGNA : « Sublimis haec sapientia humilibus, quamtumvis simplicibus, manifestari solet; occultari vero superbis, licet eruditissimis » (*Bracharensis*). Ergo, Mysticae studium comitetur humilitas.

43. — « Contra usum aliarum scientiarum, in ista sapientia practica praecedit theoricam » (*S. Bonav.*). Unde, « qui experti non sunt res mysticas, credant inde eidem ipsi dicenti : si adhuc dubitant, accedant certe et probent, et sic in semetipsis discant quid sit » (S. Bern., *serm.* 32, *in Cant.*).

44. — « Multa interdum experiuntur viri sancti contemplationi dediti, qui etiam, ut sensum exprimant, utuntur subinde quibusdam dicendi formulis, quae benigne sunt intelligendae (Lessius, *de sum. bon.*, l. 2, c. 1).

supernaturalis, eius principium, finis et media, modusque tendendi in finem, voces quoque et phrases quibus traditur, naturae ordinem ac vires atque humanae sapientiae verba transcendunt ». (De Discret. spirit. ad fin. p. 321).

45. — Mediocris saltem scientia cum vera experientia faciunt accuratum theologum mysticum: « Magistra enim intelligendi est experientia » (S. Bonav., *Itiner. ment. ad Deum*) « Quomodo enim poterit aliquis perfecte concipere, quid sit libertas filiorum Dei aut dulcedo divini amoris, si eam nunquam experiri licuit? » (Barth. a Mart., *Comp. spirit.*, c. 12).

46. — Attamen, ad Theologiam Mysticam docendam vel addiscendam, sufficit quod docens vel discipulus, cum fervore in via Domini incipiat vel proficiat, quo modo Mysticas veritates vitae spiritualis proprias, vel explicare, vel capere poterit (*Cfr. Schram*, 4). Unde, non sufficit siccum studium.

47. — Mystica « est sine dubio quae incomparabiliter excedit omnes alias scientias et artes universi: quia est omnibus altior, nobilior, sanctior, utilior, delectabilior et diuturnior » (Lud. a Ponte, *introd. ad ducem spir.*): « Siquidem (haec scientia voluntatis et perfectionis) sola sine aliis Deo gratissima est, et reliquae sine ista neque in coelestem thalamum admittuntur, nec pulchrae et decorae existimantur. Haec est vera iustorum sapientia » (Alvarez de Paz, *praef. ad vit. spir.*).

48. — Concludendum est iterum dicendo: Sis asceticus, sis mysticus practico-speculativus. Nam « et tantum lucere vanum, et tantum ardere parum; lucere et ardere perfectum » (S. Bern.). Ridiculum est perfectionis magistrum fieri, qui perfectionem per experimentum non novit (S. Thomas).

49. — **Magister** Theologiae Mysticae: **B. Maria Virgo**, vera Consolatrix ac refugium nostrum, quae merito vocatur: Lux diei mysticae (S. Andr. Cret.): « Perfectio hominum (S. Antonin.): Directio du- « bitationis nostrae (S. German.): Doctrix sapientiae

« Dei, docens veram sapientiam verbis suis et exem-
« plis (Idiota): Magistra contemplationis (S. An-
« tonin.): Contemplatrix divinorum Filii mirabilium,
« Deiformiumque operationum » (B. Dion. Carth.).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Nulla unquam inordinata affectio nec distractio mentem Virginis a contemplationis lumine revocavit nec occupatio ulla exterior *(B. Dion. Carth)*. — Maria est « Oratrix nostra, ut ab hostibus nostris liberemur » *(S. Ios. Hymn.)*: est « Oraculum contemplantibus » *(Barth. de Pisis)*.

Mariam invoca. — O Mater mea! « Undique sollicita es de miseris, misericordiam vallaris, solum misereri videris appetere » *(S. Bonav.)*.

Mariam laetifica. — Orationis et meditationis studio. Etenim, « virtus orationis in B. Virgine excellentissima fuit » *(B. Alb. Magn.)*. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis (S. Ildef.)*.

LIBER PRIMUS

Theologia Mystica fundamentalis seu Ascetica

TRACTATUS DE VITA ET PERFECTIONE SPIRITUALI IN GENERE

CAP. I. — DE NATURA PERFECTIONIS SPIRITUALIS.

50. — **Praenotandum**. — « Viae Sion lugent (i. e. virtutes, ait Hugo), eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem eius » *(Ierem.*, 1). « Tamen hoc poterit speculator quisque intelligens exclamare, (*videns*) tantam captivitatem animarum; tantam declinationem a semitis iustitiae. Quae viae etiam lugere dicuntur; eo quod abiecta vera sapientia, tam clerus quam populus mundanis deliciis, vel inutilibus curiositatibus se immergat: in quibus sic mens ipsorum ita totaliter possidetur, ut vera sapientia locum in eis non inveniat » (S. Bonav., *Myst. prol.*). Ergo, agendum de hac vera sapientia seu perfectione, non ad speculationem tantum, sed etiam ad praxim propriam etiam, ut dictum est alibi.

51. — **Notio vitae spiritualis.** — Vita spiritualis eiusque notio est fundamentum maximum et omnino necessarium perfectionis spiritualis; imo perfectio spiritualis seu perfectio christiana saepe pro una eademque re sumuntur a Doctoribus.

52. — **Fundamentum vitae spiritualis** est cognitio Dei et nostri coniuncta cum gratia sanctificante; nam anima per peccatum mortale mortua, neque perfecta neque viva dici potest. De vita spirituali in se, haec habet Morotius, I. 1. 8: « Ut autem vita naturalis illa dicitur esse, qua praeditum animal in actum suae naturae congruentem movere se potest, sic vita spiritualis et sancta illa dicenda erit, quae intra nos manens, et nos spirituales efficit et sanctarum actionum principium est. Et sicut illa actionum vitalium causa creaturis data est, sic ista propter virtutum opera est hominibus attributa. Ergo vita sancta sive spiritualis, ut in actione consistit, bonorum operum ac omnium virtutum iugis exercitatio dici potest, qua Deo propter Deum servientes, illam beatam vitam proficiendo acquiramus, cuius gratia creati sumus ».

53. — Et addit: « Ad hunc ultimum beatitudinis finem omnes homines licet diverso tramite pervenire nituntur, ad illud bonum videlicet, quo adepto nihil possit ulterius desiderari. Hoc est verum et summum bonum, ad quod omnium vota naturali quadam propensione suspirant; sed ob culpam primi parentis plerique mortalium obcaecati ad falsa et fucata bona acquirenda se applicaverunt. Et hi quidem summum bonum existimantes nulla re indigere, ut divitiis affluant elaborant: alii summum bonum in summa potentia constituentes, vel regnare ipsi volunt, vel regnantibus adhaerere. Plurimi vero felicissimum putant voluptatibus diffluere, qui summi boni fructum gaudio et laetitia metiuntur. Sic miseri homines

circa vana et apparentia bona laborantes, dum extra Deum veram felicitatem requirunt, id tandem efficiunt, ut semper infelices et hic sint et in aeternitate. Propter se enim et ad se fecit nos Deus, et inquietum est cor nostrum, donec in illo requiescat ».

54. — Item: « Cum igitur propter Deum creati simus, vita divina et spirituali vivendum nobis est, quae non in uno, aut altero virtutis opere consistit sed in perpetua bonorum operum continuatione et iugi ac diligenti omnium virtutum exercitatione. Neque enim spiritualem dicemus esse hominem vitiis deditum, qui semel in die preces aliquas fundit, aut aliquando ieiunii leges observat, aut aliqua interdum virtutis opera exercet; sed illum vocamus spiritualem, qui relictis actibus et curis saecularibus, totam vitam suam bonis operibus consecravit. Ob hanc causam vita spiritualis eo genere sacrificii fuit olim praesignata, quod holocaustum nuncupatur. Holocaustum quippe non solum totum incendebatur, verum etiam in Dei honorem totum consumebatur. Eodem modo haec vita secundum omnes actiones suas igne charitatis incenditur, et soli Deo in odorem suavitatis offertur ».

55. — Unde venerandus Ludovicus Blosius de hoc fundamento agens in suo Canone vitae spiritualis, scribit: « Amice charissime, moneo, hortor et rogo te, ut timeas, honores atque diligas Dominum Deum tuum, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum in substantia, trinum in personis. Ipse enim est omnipotens, immensus, aeternus, celsissimus, incommutabilis, incomprehensibilis, summe iustus, summe sanctus, summe sapiens, summe bonus, summe suavis. Ipse fecit ex nihilo coelum et terram et omnia, quae coelo terraque continentur. Ipse omnes mortalium omnium non solum actiones, sed etiam cogi-

tationes atque affectiones videt perfecteque perspectas habet: cognoscit omnia praeterita, praesentia et futura. Hominum amantissimus est, et in hac vita unicuique benefacere non cessat. Unde merito illi timor, honor et amor exhibendus est ».

56. — « Cave sedulo, ne peccando iniuriam ei irroges. Etiam si consentiendo alicui peccato, posses teipsum et plurimos alios a morte eripere, nullo tamen modo deberes peccato consentire: neque enim licet facere mala, ut veniant bona; et nimis absurdum foret, pro utilitate creaturarum (quae comparatae Deo, quasi nihil sunt) scienter ac deliberata voluntate offendere Creatorem, qui est bonum infinitum. Sanctus Dei timor hominem incessanter commonefacit, ut a peccatis abstineat, ac *sobrie, iuste et pie vivat in hoc saeculo.*

57. — « Cogita serio, te ad hoc a Deo creatum esse, animamque ratione praeditam et immortalem accepisse, ut hic Deo obedias, eumque ames; et ei obediendo beneque vivendo, tandem illum in coelo clare videas, atque ipso fruaris in aeternum. Si enim diligenter a malo declinaveris, et bonum feceris; si Deum fideliter colens, in pietate vitam hanc finieris; feliciter pervenies ad coelestem beatitudinem per passionem et merita Iesu Christi ».

58. — Quod maxime clericis convenit, iuxta Regulam Cleri, ubi dicitur: « Iterum monemus, carissime Frater, contende esse sanctus et vivere de Spiritu Christi, in cuius sortem iam iam vocandus es; eius divinae providentiae te totum committe, illa non tibi deerit; quin potius, omnia felicius cadent tibi secundum beneplacitum eius; bibe interim, bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui, ut postea deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas dividas. Dominus, qui custodivit introitum tuum, custodiet exi-

tum tuum, te sub umbra alarum suarum protegens, tibi dans fortitudinem, ut disciplinam, quam tibi Maiores et Moderatores tui tradiderunt, et quam coepisti tenere non deseras; verum potius crescas de die in diem, perseveres usque in finem et tandem te ipsum salvum facias et eos, qui te audierint ».

59. — **Notio perfectionis in genere.** — Morotius, in suo *Cursu vitae spiritualis*, p. 1, cap. 1, § 16, ita exponit **in quo non consistit** perfectio vitae spiritualis: « Dari quamdam perfectionem vitae spiritualis, ad cuius assecutionem omnia studia, et exercitia nostra dirigi debent, ostendit, qui dixit (Matth. 5, 48.): *Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est.* Item (Levit. 11, 45): *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Sed falsae quaedam persuasiones quorumdam animos invaserunt, qui de ipsa perfectione haud recte sentientes, et in quo consistat ignorantes, ad verae sanctitatis apicem nunquam perveniunt, ea colentes, quae sibi fingunt. Et alii quidem falso arbitrantur sitam esse perfectionem in ieiuniis, et vigilis, in usu ciliciorum, et carnis maceratione, in asperis exercitiis, et vitae asperitate. Alii vero, praesertim feminae, se plurimum perfecisse putant, si multas quotidie preces recitent, si pluribus intersint missis, frequenter confiteantur et communicent. Nonnulli quidem sibi leviter persuadent se iam perfectos esse, cum devote celebrant divinum officium, cum a pravis colloquiis linguam custodiunt, cum religiosam in omnibus disciplinam servant, sed errant toto coelo.

60. — « Tametsi enim corporales exercitationes, et externae huiusmodi functiones magno praesidio sint ad subiiciendam carnem spiritui, ad superandas tentationes, ad puritatem cordis acquirendam: non est tamen in iis constituta perfectio. Imo qui solis hisce

studiis vacant, suumque finem in iis ponunt, in magna saepe pericula cadunt, quia sunt intrinsecus inquieti et singulares, aliorum censores amarulenti, sub virtutis larva vitia foventes, iracundi, curiosi, superbi, et qui difficile corriguntur.

61. — Et statim **in quo consistat perfectio** declarans, subiungit: « Perfectio itaque spiritualis vere, proprieque consistit in perfecto Dei et proximi amore quantum in hac vita haberi potest, ad quem assequendum necessaria est puritas cordis, quae est scopus vitae spiritualis, ad quam assequendam solerter cavendum est, ne cor inficiatur ullo verbo, cogitatione, affectu, aut delectatione, quae ex Deo aut propter Deum non sint. Ieiunia, vigiliae, meditationes, nuditas, ac privatio omnium facultatum non sunt perfectio, sed instrumenta, ac media perfectionis, per quae ad cordis tranquillitatem et ad intimam cum Deo unionem pervenitur, sicut scriptum est (Matth. 5, 8.): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* ».

62. — « Hoc est fastigium sanctitatis, hic apex evangelicae perfectionis, ut Deum scilicet diligamus ex toto corde, tota mente, tota virtute, et proximum sicut nos ipsos. Ad hanc sublimitatem totis viribus, totoque affectu tendere ac suspirare debemus, quia ut veram sanctitatem adipiscamur, iugis ad eam conatus necessarius est, nam qui non proficit, deficit, qui non progreditur, retrogreditur, et ubi quis incipit nolle fieri perfectior, ibi statim deterior evadit. Magni momenti est ad perfectionem continuum eius ac vehementissimum desiderium, si tamen efficax sit, bonisque operibus, ac virtutum studio comprobetur, alioquin si intra mentem bona desideria maneant, nullius pretii sunt, dicit enim Scriptura (Prov. 21, 25.): *Desideria occidunt pigrum* ».

Art. I. — De Notione Perfectionis Spiritualis.

63. — **Definitio.** — *Perfectio in genere* nihil aliud est quam plena et absoluta finis sui ultimi consecutio. Ergo, in hac vita haberi potest tantum inchoative; in altera perfecte.

64. — *Perfectio spiritualis requirit charitatem, et respicit tum intellectum tum voluntatem*, ut docet Angelicus, qui 2. 2. q. 184, a. 1, ait: « Secundum charitatem specialiter attenditur perfectio christianae vitae ». Et in opusc. 18 *De perf. vitae spir.*, c. 1, subiungit: « Consistit autem principaliter spiritualis vita in charitate ». Et in I. Cor. L. I, in med. scribit: « Dicuntur aliqui perfecti dupliciter: uno modo secundum intellectum; alio modo secundum voluntatem... Dicuntur autem perfecti intellectu illi quorum mens elevata est super omnia carnalia et sensibilia, qui spiritualia et intelligibilia capere possunt... Perfecti autem secundum voluntatem sunt quorum voluntas super omnia temporalia elevata, soli Deo inhaeret et eius praeceptis » (1).

65. — *Perfectio nostra, seu viatorum, melius definitur:* Assecutio sanctitatis per fugam vitiorum, virtutum exercitium, et totalem ac habitualem obedientiam divinae voluntati, ex vera charitate erga Deum. Ergo, via perfectionis est vera palaestra spiritualis, in qua devotus Christi miles nihil aliud

(1) Basis ac fundamentum ad perfectionem, ipsa est religio et pietas (S. Basilius Magnus). — Perfectus omnis reputatur in cuius anima tria haec congruenter concurrunt; si placens est Deo, cautus sibi et utilis proximo. (S. Bernard.). — Ieiunia, vigiliae, meditatio scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt (Ioann. Cass.).

timet quam peccatum; nihil appetit quam Deum et Dei amorem; nihil quaerit quam Deum et Dei beneplacitum et voluntatem. — Cfr. Schram, Rodriguez, etc.

66. — **Divisio.** — Perfectio est *permanens* vel *operans*. *Perfectio permanens* seu *habitualis* est illa quae consistit in aliquo gradu sublimi sanctitatis et gratiae habitualis. Ergo est maior vel minor sicut gratia qua participat. *Perfectio operans* seu *actualis* est illa quae consistit in modo quodam nobili et excelso exercendi virtutes, v. g. Deum ex toto corde cum purissima intentione amandi.

67. — Perfectio est *personalis*, vel *status*. *Perfectio personalis* eadem ac perfectio permanens. *Perfectio status* seu *regularis* est observatio regulae et constitutionum Instituti regularis in quo quis professus est.

68. — Perfectio est vel *infima*, vel *superior*, vel *media*. *Perfectio infima*, seu essentialis, consistit in observantia praeceptorum, maxime in charitate, et exigit fugam peccati saltem mortalis. *Perfectio superior* seu accidentalis, quae stricte perfectionis nomen sola meretur, consistit in observantia consiliorum prout sunt media, ut quis magis ac magis ultra debitum in charitate proficiat. *Perfectio media* consistit in fuga et detestatione mortalium et venialium.

69. — Unde *Perfectio est vel incipientium, vel proficientium, vel perfectorum*. Prima excludit mortale; secunda roborat charitatem exercitio virtutum; tertia invenitur in animabus purgatis a vitiis, et illuminatis virtutibus, quae per charitatem soli Deo uniuntur purissima intentione. — Cfr. Schram, Godinez, etc.

70. — **Quidditas perfectionis.** — *Perfectio Patris coelestis est norma perfectionis nostrae spiritualis*. Quia

1° homo conditus fuit ad imaginem Dei. Quia 2° Christus *(Matth.* 5) ait: « Estote perfecti, sicut Pater vester coelestis perfectus est ».

71. — Unde, quia Deus noster est perfectissimum Ens, perfectissima sapientia et perfectissimus amor, homo, filius Dei adoptivus, esse debet vere vivens spiritualiter per gratiam et amicitiam cum Deo, vere cognoscens suum Conditorem, vere amans peramantissimum Patrem qui in coelis est. Non possumus esse, cognoscere et amare ut est, cognoscit et amat Deus, sed possumus esse, amare et cognoscere ut Deus a nobis exigit.

72. — Ergo, « non requirit Christus ut in quantitate perfectionis Patri aeterno similes simus, quod impossibile est; sed in iisdem omnibus operationibus perfectionem nostram sitam esse existimemus, in quibus perfectio Patris consistit; videlicet, quod sicut Pater aeternus seipsum cognoscendo generat Filium, et dum hunc infinite amat, et vicissim ab ipso taliter amatur, spirat cum ipso Spiritum Sanctum, sicque per istam cognitionem et amorem sui quodammodo tota Trinitas exsurgit; ita et homines tunc se perfectos esse existiment, quando per cognitionem et amorem eidem moraliter adhaerent, et sic unus cum eo spiritus fiunt, quemadmodum Apostolus, I, ad Cor. 6, loquitur » *(Schram)*.

73. — *Habitualis cognitio et fidelissima ac amorosa executio Divinae voluntatis constituunt homines in vera perfectionis palaestra et schola, seu faciunt homines viatores perfectos.* Quia 1° illi sunt vere sancti et Deo grati, qui totaliter adhaerent Deo; atqui scientes et exequentes omnia quae Deus vult, totaliter adhaerent Deo, intellectu, corde et opere. Ergo... Unde, tales, quamvis viatores, imitantur (imperfecte

quidem) perfectionem comprehensorum seu absolutam. — Quia 2° talis cognitio et executio est sublimiter augmentativa gratiae et virtutis. — Quia 3° tales sunt vere Dei amici et dilectissimi servi, agentes in omnibus ex motivo charitatis.

74. — NOTA. — Non sufficit ad veram perfectionem nostram Deo suum infinitum esse gratulari, et ex animo optare, sed requiritur ut semper faciamus quod vult Deus, et quomodo vult Deus, et quia vult Deus. Ergo adimplere debemus Dei voluntatem et quoad substantiam, et quoad modum, et quoad finem. Ergo concludendum, cum devoto quodam Auctore: « Volo, Domine, quidquid vis, volo quia vis, volo quomodo vis, volo quamdiu vis ». Haec dicito et tu, non solo verbo, sed opere et veritate, constanter, firmiter et humiliter.

75. — *Haec divinae voluntatis executio non respicit tantum ea quae Deus expresse praecipit, sed etiam ea omnia quae Deo placent.* Alias esset perfectio negativa, seu simplex exclusio mortalis et deliberati venialis, ad quod omnes homines obligantur. Ergo, stricta, plena et specialis perfectio, quae in hac vita dari et intendi potest, consistit in amare Deum super omnia, prout talis amor excludit omne displicens vel etiam minus placens Deo, et prout inducit efficaciter ad omne maius Dei beneplacitum, ait Schram.

76. — *Deus est finis perfectionis.* Unde errant, qui totam vitae sanctitatem collocant in mediis perfectionis, parum curantes de fine seu unione cum Deo. « Magna caecitas, et nimia stultitia est in multis, ait D. Thomas (*opusc.* 61, c. 3), qui semper Deum quaerunt, continue ad Deum suspirant, frequenter Deum desiderant, continue in oratione ad Deum clamant et pulsant: cum ipsi secundum verbum Apo-

stoli sint Templum Dei vivi, et Deus veraciter habitet in eis: cum anima ipsorum sit sedes Dei in qua continue requiescit. Quis unquam, nisi stultus, quaerit instrumentum foris, sciens quod habeat reclusum? Sic etiam est vita cuiuslibet iusti semper Deum quaerentis, sed nunquam fruentis, et omnia opera eius minus perfecta sunt: »

77. — Ergo bona sunt media, sed optima sunt opera: non sufficit Deum quaerere, sed requiritur Deo parere et obedire: meditatio et oratio sint tibi lucerna, sed executio beneplaciti divini sit tuum negotium, officium et continua occupatio. In meditatione scito quid Deus velit de te, et statim promptus sis ad exequendum quod intelligis faciendum. Pax, quies et tranquillitas tua sit observatio et adimpletio mandatorum et consiliorum optimi Dei tui.

78. — **Varia.** — Perfectio habitualis ab actuali est separabilis, v. g. in parvulo baptizato, non vero in adulto: actualis vero, prout comprehendit interiorem cum exteriore, ab habituali separari nequit *(Schram)*.

79. — *Perfectio personalis nonnisi secundum quid est separabilis a perfectione regulari seu status*, quatenus de caetero perfectus, ex debilitate vel inadvertentia, deficit in observatione unius vel alterius regulae sub peccato non obligantis; imo perfectio regularis est unum e potioribus signis perfectionis personalis et nunquam fallens, nisi ex parvitate materiae et indeliberationis huius vel illius regulae; minusque videtur e converso separabilis perfectio regularis a personali, nisi forte ad tempus et quoad solam externam perfectionem, seu solam externam regularem observationem, ut habet Reguera (id.).

80. — Perfectio perfectorum est proprie illa perfectio quae speciali titulo hominem perfectum, sanctum et in statu perfectionis constituit, per quam

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

homo non est utcumque iustus, sed perfectus; nec utcumque perfectus, sed in gradu illo speciali, ad quem in via devenire potest, et differt ab incipientibus et proficientibus, sicut vir perfectus a puero et iuveni (id.).

81. — Perfectio est *secundum quid* mensura amicitiae cum Deo, seu est ipsa charitas reddens nos vere amicos Dei. Perfecti enim, idem volunt ac Deus vult: sed « eadem velle et eadem nolle, ea demum firma amicitia est » ait S. Hieron. *(epist. ad Demetr.)*.

82. — *Perfectionem maxime petimus in Oratione Dominica, per verba: « fiat voluntas tua, »* iuxta illud D. Cypriani (*epist.* 5, *de or. dom.* cap. 7): « Fiat voluntas tua. Voluntas Dei est, quam Christus et fecit et docuit: humilitas in conversatione: stabilitas in fide: verecundia in verbis: in factis iustitia: in operibus misericordia: in moribus disciplina: iniuriam facere non nosse et factam posse tolerare: cum fratribus pacem tenere: Deum toto corde diligere: amare in illo quod pater est: timere quod Dominus est... ».

83. — *Perfectio est quasi ars nobilissima ordinandi charitatem.* Unde, status perfectionis, seu instituta regularia vocantur *Ordines*, quia in illis omnia tendunt ad ordinationem charitatis, ut detur Deo, animae, proximis quidquid debetur, et habentur multa quae maxime conducunt ad promovendum Dei honorem, animae profectum et proximorum salutem. Item, homines perfecti sunt ordinati et regulati in omnibus, integri, et solide devoti.

84. — « Ille iuste et sancte vivit, ait D. Augustinus *(l. de doct. christ.)*, qui rerum integer aestimator est. Ipse est, qui ordinatam habet charitatem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod

minus est diligendum, aut minus diligat quod amplius est diligendum, aut minus aut amplius, quod aeque diligendum est. » — Talis merito dici potest imitator Christi, imo proprie et vere christianus. Nam « Christianus nemo dicitur recte, nisi qui Christo moribus, prout valet, coaequatur », ait D. Cyprianus.

85. — *Quia, ut dictum est, spiritualis perfectio consistit in cognitione et adimpletione seu observatione voluntatis Divinae, homo debet lumen divinum ferventer postulare, ut videat quae agenda sunt, et faciat quae facienda viderit.* Unde, reprobatur indifferentia circa voluntatem Dei in nobis et nostris. Patet ex damnatione sequentis propositionis Molinos: « Non debet (anima) velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere ». — « Sanctorum virorum est, non inquirere mansionem, ubi clariores sunt viri, sed ubi fideliores: nec gaudent, ubi epulae largae sunt, sed ubi sanctitas floret » (S. Chrysostomus., *sup. Matth.*, 26).

Art. II. — **De Qualitatibus sive notis Perfectionis.**

86. — **Praenotandum.** — *Vera perfectio habet Christum Magistrum, Consiliarium, Directorem.* Ergo errant qui ideam perfectionis ad suum genium accommodant, cum interim in exequendis suis officiis desides, in sensu suo abundantes, pervicaces, incompositi, invidi atque infrenatae linguae esse soleant, ait Stapf.

87. — *Vera perfectio habet Christum Sustentaculum, Refugium, Defensorem.* Ergo errant qui propria

sapientia innixi, Christi magisterium negligunt in suis ministris, a quibus fere nunquam veritatem et doctrinam quaerunt; item qui de propria prudentia praesumentes, Christi consilium parvi faciunt, principaliora ad sanctitatem media independenter ab animae moderatoribus eligentes; item qui in internis languoribus, pugnis, difficultatibus gravibusque tentationibus auxilium et remedia inefficacia sibi comparant, sese eximentes ab adeundo Christo animae protectore, medico et duce, per eius legatum, patrem scilicet spiritualem, ut cum obedientiae et subiectionis merito abundantius a Christo illuminentur et efficacius defendantur.

88. — *Vera perfectio est ergo amica obedientiae, humilitatis, dependentiae et subiectionis.* Vadit ad Christum praestante ducatum Ministro Christi, in doctrina, in consilio, in auxilio, saltem quoad res maioris momenti.

89. — **Qualitates** perfectionis sunt. — *Fuga peccati mortalis.* Etenim charitas, seu status gratiae est « vinculum perfectionis » (1) *(Coloss.* 3, 14). *Et fuga peccati venialis deliberati.* Sunt enim venialia peccata animi languores, et vulpes quae perfectionis vineam paulatim vastant. Ergo prima conditio est observatio mandatorum et adimpletio obligationum proprii status.

90. — *Ardens perfectionis desiderium.* Verus enim Dei amator in omnibus Deo placere studet, ipsique magis magisque parere peroptat. Hinc « tota vita boni christiani sanctum est desiderium proficiendi » (S. Aug.).

(1) Indicia vitae spiritualis, seu status gratiae cum via ad veram perfectionem, multa sunt, nec omnia in eadem persona inveniuntur. Morotius duodecim adducit, dicens: 1. Quamvis

91. — *Cognitio propriae imperfectionis coniuncta cum vera cordis compunctione.* Hinc « verus amor gradu uno contentus non est, ad altiora semper nititur et ad perfectiora indesinenter concupiscit attin-

in hoc exilio haud certe scire possimus, nos vita spirituali vivere, nemo enim scit, an amore vel odio dignus sit, quaedam tamen signa a Sanctis Patribus tradita sunt, ex quibus quisque coniicere potest, et spiritualem esse, et ad Deum pertinere. Horum primum est contritio vera et efficax detestatio praeteritorum peccatorum, cum scilicet terra cordis nostri copiosissimo imbre lacrymarum irrigatur et amarissimis fletibus absorbetur. Sicut enim aqua sordes corporis lavat, ita lacrymae maculas mentis emundant et iniquitatum nostrarum foeditatem abstergunt.

2. Secundum indicium est stabilis ac firma voluntas, non perpetrandi aliquod grave peccatum, etiamsi propriae vitae, omniumque rerum creatarum iacturam quis timeat. Omnis enim, qui in Christo manet, non peccat et voluntatem peccandi non habet.

3. Multo tempore a malis operibus abstinuisse et grave peccatum non commisisse. Nam unum peccatum alterum trahit, et qui non peccat, probabiliter credere potest, priora sibi peccata remissa fuisse.

4. Observatio divinae legis sicut scriptum est (Ioann. 14, 23): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum.*

5. Lux quaedam coelestis mentes iustorum illuminans, qua saeculi vanitatem agnoscant, coelestia mysteria contemplentur, et quid in singulis negotiis agendum sit, quidve omittendum, facile animadvertant; nam gratia Dei lumen est, ut Psalmista dicit (Ps. 33, 6): *Accedite ad eum, et illuminamini.*

6. Charitas, qua ferventissime Deum amamus et proximos, praesertim inimicos diligimus (I. Ioann. 4, 16): *Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

7. Laetitia et gaudium, non quidem illud inane cuius extrema luctus occupat; sed verum, solidum, interminabile, quod

gere. Quas habet non magni facit virtutes, proficiendi desiderio » (S. Laur. Iust., c. 2, *de cast. connub.*). — Et in hoc sensu, de perfectis dicendum: « Haec

est fructus gratiae, et vitae spiritualis effectus [Deus tamen nonnullos per viam tribulationum et luctus deducit ad magnam sanctitatem].

8. Pax exsuperans omnem sensum, quae tumultus et anxietates conscientiae sedat, fomitis rebellionem comprimit, carnis proterviam spiritui subiugat et admirabilem tranquillitatem ingerit menti, auctorem pacis in ea indicans residere, iuxta illud Psalmographi, (Ps. 75, 3): *Et factus est in pace locus eius* [Multi pace sensibili destituti, imo angustiis multis probati, Deo carissimi fiunt].

9. Honorum, divitiarum, voluptatum, omniumque rerum terrenarum fuga et contemptus. Nam cor humanum sine amore et delectatione esse non potest, quare coelestia amare, et in Domino delectari convincitur, qui mundum eiusque gloriam et delicias detestatur.

10. Aut mortem desiderare, aut saltem non timere. Nam iudicis amicus est, qui eius occursum non metuit, Deique amator censetur, qui dicit cum Apostolo (Philip. 1, 23): *Cupio dissolvi, et esse cum Christo.* [Non timeat tamen qui sincero corde Deo servit, quamvis saepe mortis timore nolens conturbetur].

11. Conscientiae propriae testimonium non increpantis nos, neque adversus aliquod grave peccatum oblatrantis (2. Cor. 1, 12): *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.* [Inanes timores, suadente praesertim confessario, abiiciendi sunt].

12. Testimonium Spiritus Sancti, qui mentibus iustorum quaedam verba aliquando latenter instillat (licet non facillime dignoscantur a quo spiritu proveniant) dicentia, ipsos Dei gratiam consecutos fuisse (Rom. 8, 16.): *Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Haec signa si quis (aliqua) repererit in se ipso, beatus est; verum quia iudicia Dei abyssus multa, illud sapientis monitum est observandum (Eccli. 5, 5): *De propitiato peccato noli esse sine metu.* (Haec Morotius).

est in omnibus sola perfectio, suae imperfectionis cognitio » (S. Hieron. (1)). — Dicitur: *coniuncta cum vera cordis compunctione,* quia aliter magni peccatores dici possent perfecti, dum peccando sciunt se non esse perfectos, imo neque spiritualiter vivos.

92. — *Promptitudo animi ad Dei famulatum.* Ita ut perfectionis studiosus toto corde dicere possit: « Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum » (*Psalm.* 36.). Quae quidem amorosa promptitudo, quamvis ordinario importet quamdam internam laetitiam in Deo serviendo, stare tamen potest cum vera ariditate, dummodo animus seu voluntas parata sit, et firmiter velit quae Deo placent perficere.

93. — *Gradatio ordinata.* Quia 1° « imitatores sui nos voluit Deus, ut prius faciamus aliqua, postea venustemus, et semper venustemus magis ac magis » (S. Ambros.). — Quia 2° « Quisquis in

(1) Unde merito dixerunt Patres et doctores: « Perfectionis gratia quanto melius agnoscitur, tanto ardentius concupiscitur (Richard. a S. Victore).

Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit: et in eo quisque perfectiorem se probat, quod ad maiorem tendit perfectionem (S. Bernard.).

Indefessum proficiendi studium, et iugis conatus ad perfectionem, perfectio deputatur (id.).

Haec est perfectorum vera iustitia, ut nunquam praesumant se esse perfectos; ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum (S. Leo Papa).

Haec est hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse: atque ut ita loquar, cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est (S. Hieron.).

Non minuisse solum, sed et non auxisse culpabile est (S. Hieron.).

spirituali exercitio cupit perfectionis culmen attingere, iuxta Prophetae admonitionem, ascensionis sibi in corde spirituales componat gradus, per quos de virtute in virtutem proficiens, ipsum Deum ex parte comprehendere valeat, a quo plenissime comprehensus est » (S. Laur. Iust., *in Prooem. de Grad. Perfect.*).

94. — Merito igitur scripsit B. Dion. Carthusianus: « Nemo repente fit summus, nec subito perfectus, sed pedetentim proficitur, atque de statu incipientium ad statum proficientium, et de statu proficientium ad statum pertingitur perfectorum ». Et Th. a Kempis: « Si omni anno unum vitium extirparemus, cito viri perfecti efficeremur: sed modo e contrario saepe sentimus, ut meliores et puriores in initio conversionis nos fuisse inveniamus, quam post multos annos professionis ». — Currendum est non incessu pedum, sed ordine virtutum: celeriter, non pigre: affectualiter, non acediose (Ioann. Trith).

95. — *Continua exercitatio.* Unde, qui dicit: sufficit, nec in perfectione crescit nec propriam conservare potest. Hac in re vel adest progressus, vel fit regressus. Quapropter, « electis, cum foris aetas corporis, intus, si dici liceat, crescit aetas virtutis » (S. Greg. Magn.).

96. — Tene ergo monitum S. Ambrosii dicentis: « Sunt multi qui ad perfectionis culmen subito conscendere conantur, sed quia per gradus virtutum non conscendunt, facile corruunt ». Et clama cum S. Agostino: « Nemo se dicat perfectum hic, decipit se, fallit se, seducit se; non potest hic habere perfectionem. — Hic non potest esse perfectus, nisi scias hic non esse posse perfectum ».

97. — Et cum S. Bernardo memento quod:

« Perfectio alta res est valde, inquirentes habet multos, pervenientes paucos, exequentes multo pauciores ». Et cum S. Dion. Areopagita: « Nihil per se absoluteque perfectum, aut quod omnino perfectionis non indigeat, nisi id quod revera absolute perfectum est, et perfectionis est principium ».

98. — *Perseverantia in spirituali palaestra.* Unde semper in hac vita meliora aemulari curemus, nec unquam requiescere velimus, sed dum tempus habemus operemur bona. Ergo « semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti » (S. Aug., serm. 13, *de Verb. Apostol.*. Ergo bonus Christi miles semper bonum certat certamen, ut post mortem habeat coronam vitae (1).

99. — **Concludendum.** — Non est dicenda perfectio illa quae impedit proprii status obligationes: quae inefficaciter desideratur: quae inordinate incipitur: quae pigre prosequitur: quae studioso quasi iam sibi sufficiens satisfacit (2). — De vero per-

(1) Rem illustrat S. Bernardus hac triplici sententia: « Perfectae conversationis culmen apprehende: nulli enim in eodem statu diu esse conceditur. Servo Dei aut semper proficiendum, aut deficiendum est: aut sursum nititur, aut in inferiora urgetur. — Ab omnibus autem vobis perfectio exigitur, licet non uniformis; sed si incipis, incipe perfecte: si iam in profectu es, et hoc ipsum iam perfecte age: si autem perfectionis aliquid attigisti, teipsum in temetipso metire. — Non deficias neque tepescas, ut gradum perfectionis possis ascendere; ad quem non nisi multis laboribus pervenitur ».

(2) **Adiumenta vitae spiritualis et perfectionis spiritualis** multa iam descripsimus et describemus in hoc compendio. Iuvat tamen sequentia ex Morotio adducere: Quae nos iuvare possunt, ut vitam spiritualiter instituamus, adeo multa sunt, ut ex his solis integrum volumen confici possit. Quae enim pagina

fectionis amatore dici debet, quod in via perfectionis nunquam quievit.

100. — *Notandum tamen quod peccatum mortale a perfectionis asseclis forsan commissum post conversio-*

veteris, ac novi Testamenti non est rectissima norma vitae humanae? aut quis liber Sanctorum Patrum non hoc resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem? sed in tanta rerum ubertate delectum habebo, quaedam seligendo, quae magis usui esse et ad manum quotidie haberi possint.

Primum igitur adiumentum vitae spiritualis est in nulla re se ipsum quaerere, sed Deum, semperque illum praesentem habere, quemadmodum dixit Dominus ad Abraham (Gen. 17, 1.): *Ambula coram me, et esto perfectus*, crebrisque suspiriis et oratiunculis ignitis ad eum aspirare.

Rectam deinde in omnibus intentionem habere; omnia in melius interpretari; ex omni re, quam audire, videre vel legere contigerit, piam aliquam considerationem semper elicere; de sola manu Domini cuncta suscipere, seque illi in perenne sacrificium semper offerre; si quando quis ceciderit in aliquem defectum, non despondere animum, sed humili ac contrito corde reverti ad Dominum; in omni tribulatione et negotio cum firma spe ad Deum recurrere, et divinae providentiae omnia committere; de omnibus beneficiis iugiter gratias agere, de nemine conqueri, de nemine loqui, cum omnibus pacem habere, silentium servare.

Magnum quoque adiumentum ad omnem virtutem praebebit nobis vitae et passionis Christi assidua meditatio. Ipsa enim est liber virtutis, in quo veluti in divite quadam bibliotheca, quidquid spectat ad animae salutem, possumus invenire. Et si omnes omnium libri cum suis auctoribus interirent; in sola tamen vita et passione Salvatoris omnem christianam scientiam et spiritualem eruditionem inveniremus. Ideo dicebat Apostolus (I. Cor. 2, 2.): *Non iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum, et hunc crucifixum;* nam revera hoc est scire omnia, scire Christum, et in eo, quaecumque faciunt ad salutem.

nem, mortificat quidem anteacta bona opera et excludit ab actuali perfectione, sed sublato peccato per veram poenitentiam, et anteacta bona opera reviviscunt, et poenitens in via perfectionis denuo collo-

Quia vero non sufficit Christum crucifixum scire, et meditari, nisi et ipsum imitemur; eius vitam, passionem, et mortem in anima et carne nostra ita profunde debemus imprimere, ut omnes cogitationes, verba, opera et mores nostri conformes sint cogitationibus, verbis, operibus et moribus Christi, nihilque in nobis inveniatur, nisi quod fuit in Christo Iesu, atque ita loquamur et operemur sicut ipse nos docuit verbo et exemplo; sitque anima nostra viva quaedam imago Christi, in qua omnium virtutum eius similitudo optime expressa videatur.

Alia denique praecipua adiumenta haec sunt in promptu semper habenda: Nihil populare in se habere et plebeias opiniones supergredi. Domi consistere et latere, quantum fieri potest, quia quidquid devotionis domi colligitur, foras egrediendo dispergitur.

Inter alios verecunde se habere, nec ulli adeo familiarem esse, ut coram eo verecundiae obliviscamur. Conversatione honestum esse ac bene moratum, ita ut omnia bona a nobis, sine nobis proficiscantur. Vitam agere internam, nec ulli rei amore adhaerere, quia omnia vana sunt. Omne praeteritum oblivioni tradere et quotidie inchoare. Mortem omni momento exspectare et singulas actiones ita obire, ac si postremae forent.

Ita ex purissimo amore propter Deum operari, ut non cessemus pari laetitia et fervore quodlibet opus bonum peragere, etiam si illud prorsus nesciri a Deo deberet. Eo nunc modo tempus impendere et ordinare, quo illud impendisse desiderabimus, cum moriemur.

Nos ipsos sedulo examinare, an vitam cum Deo intus agamus, quod ex iis signis deprehendemus, si non placeant nobis res transitoriae, si placeat solitudo et silentium si curemus, quod perfectius est.

Dum versamur inter homines, a duobus malis cavere quoad

catur, aequali vel inaequali, iuxta durationem status peccati, intensitatem poenitentiae, etc.

101. — *Perfectio praesupponit veram devotionem, devotio autem Dei charitatem.* Per charitatem omnia praecepta observamus, per devotionem divina mandata prompte et alacriter adimplemus; per perfectionem, finem devotionis obtinemus, scilicet consecutionem nostri ultimi finis, *inchoative* in hac vita per uberiorem gratiam, *complete* in altera per maiorem gloriam.

102. — **Varia.** — *Causa primaria perfectionis est Deus* bonorum omnium distributor, qui prout vult, dona largitur; *secundaria vero est consideratio divinae bonitatis et nostrae infirmitatis et miseriae.* Effectus est salutaris tristitia seu displicentia de defectibus animae, et laetitia seu promptitudo ad melius proficiendum. Ergo verus perfectionis amator frequenter orat frequenterque meditatur: noscit se, noscit Deum; confidit in Domino, de propria diffidit virtute.

nos ipsos, et a duobus quoad alios, quoad nos cavendum, ne aliquid faciamus, ut ab eis notemur, eisque placeamus, nam qui hominibus placent, confusi sunt; deinde ne pudore superfluo in his, quae coram eis facienda sunt, obruamur, sed ita liberi simus in conspectu eorum, ac si nullus adesset.

Quoad alios cavendum, ne curiose respiciamus vel perquiramus eorum personas, vultum, gestus, habitus vel officia; nec ulla in re illos iudicemus, sed pertranseamus ac si non essent; deinde si de aliquo quidpiam viderimus vel audierimus, quod nobis displiceat, nec turbetur cor nostrum, sed Deo, et iis ad quos spectat, committamus, nisi forte correctio ad nos pertineat ex debito officii, seu magisterii, vel amicitiae, aut ex denunciandi necessitate. Haec autem documenta si servaverimus, magno nobis praesidio erunt ad omnem progressum in virtute faciendum.

103. — « Christus sicut in illo ipso homine, quem gessit, ita in nostris mentibus quosdam gradus corporeae aetatis exequitur. Nascitur, crescit, roboratur... sed orandus, ne in nobis diu aut iugiter parvulus aut infirmus et pauper sit » (S. Paulin., *epist.* 3, *ad Sever.*).

104. — Homo creatus est ad Deum amandum, laudandum, eique serviendum in hac vita, ut eum possideat in futura. Ergo perfectio hominis consistit in perfecta charitate; per hanc enim moraliter unitur Deo, et quantum in hac mortalitate fieri potest, possidet Deum.

105. — Quamvis *devotio* (1) et *perfectio* ab invicem distinguantur, tamquam medium (devotio) ab obiecto (perfectio); tamen in praxi non raro indiscriminatim usurpantur pro perfectionis studio et exercitio. Item, *probus* et *devotus* non sunt unum et idem: etenim homo probus est ille, qui Dei mandata ob-

(1) D. Th. 2. 2. q. 82, a. 1, ait: Devotio nihil aliud esse videtur quam *voluntas quaedam prompte tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famulatum.* — *Ibid.* a. 2, ad 2: Charitas et devotionem causat, in quantum ex amore aliquis redditur promptus ad serviendum amico, et etiam per devotionem charitas nutritur; sicut et quaelibet amicitia conservatur et augetur per amicabilium operum exercitium et meditationem. — *Ibid.* a. 4, scribit: Devotio dicitur a devovendo; unde devoti dicuntur qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant. — *Ibid.* ad. 1: Cum devotio sit actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei serviendum, qui est ultimus finis, consequens est quod devotio imponat modum humanis actibus, sive sint actus ipsius voluntatis circa ea quae sunt ad finem, sive etiam sint actus aliarum potentiarum, quae a voluntate moventur.

servat, licet remisse ac frigide; devotus autem non solum illa totaliter observat, sed et libentissime, prompte ac corde magno, ait S. Franciscus Salesius.

Art. III. — **De Bonis Perfectionis.**

106. — **Dignitas Perfectionis.** — *Per illam magis sanctificatur Nomen Domini.* Glorificatur Deus Pater, cum perfecti vitam supernaturalem habeant, et abundantius habeant. Glorificatur Deus Filius, uberiori copiosae Redemptionis fructuum participatione. Glorificatur Deus Spiritus Sanctus, intensiori charitate perfectorum et in usu spiritualium donorum maiori fidelitate.

107. — Vita perfectorum laus est potentiae Patris, sapientiae Filii, amoris Spiritus Sancti. Quam mirabilis, quam sapiens, quam bonus est Deus in animabus ad vitam supernaturalem revocandis, in vita supernaturali obfirmandis et suaviter perficiendis! Quam bonus Pater qui Filium suum nobis donavit, quam bonus Filius qui copiose nos redemit, quam bonus Spiritus Sanctus qui ignem charitatis in nobis accendit! Quam felices viri perfecti, qui ut tales, se continue exhibent gratias agentes optimo Patri, misericordi Filio, amantissimo Spiritui Sancto!

108. — Beati perfecti, quoniam non tantum tamquam servi ex timore, sed potius tamquam filii Deo peramantissimo Parenti ex charitate placere volunt! Beati perfecti, quoniam non mensurant amorem erga Deum a quo tantum amantur, neque illa tantum praecepta observant ad quae absolute tenentur, sed in omnibus Deo placere volunt ipsique se totos mancipari!

109. — *Perfecti efficiuntur praedilecti inter adoptivos filios B. Mariae Virginis.* Quia in iis perfectiorem videt sui Filii imaginem, quam magis magisque in propria anima efformant sanctitatis amatores.

110. — Quia qui sunt magis in charitate solidati, magis diliguntur a Filio, et quos Filius magis diligit, ardentius peramat Mater.

111. — Quia perfecti Mariam multum diligunt, maximeque diligere peroptant: atqui mensura filiationis spiritualis in charitate praesertim fundatur; ergo ii magis filii qui melius diligunt. Aliunde Maria specialiter benedicit, protegit et in suos recipit qui Filium suum specialiter verbo, opere et veritate peramant.

112. — Omnes perfectionis amatores Mariam quaerunt, ut securius ad Christum pervenire valeant, dicentes cum S. Ildefonso: « Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis! »

113. — *Perfecti totam coelestem curiam laetificant.* Quia per perfectorum exempla valde adaugetur numerus poenitentium.

114. — Quia continuo aedificant coelestem Hierusalem novos in ea collocantes lapides pretiosos, scilicet seipsos et quos ad poenitentiam revocant et exemplis et precibus, Deo dante Deoque aeternae remunerationis gloriam tribuente.

115. — Quia per ipsos maxime multiplicantur actus charitatis et religionis inter fideles; quae omnia, quia Deum multum glorificant, singulariter placent et angelis et sanctis, qui suis intercessionibus implorant divinam misericordiam erga homines viatores quos socios volunt ad Deum in aeternum laudandum.

116. — Uno verbo, perfecti sunt Dei cooperatores in iustificatione et salute animarum. Ergo, beati qui perfectionis studio alios ad rectam viam vel exem-

plo vel orationibus reducentes, propriam salutem securiorem reddunt; quoniam misericordiam facilius consequentur, qui aliis tantae misericordiae instrumenta fuerunt! Vide ergo, o Sacerdos, an perfectionis amator existas, ne tibi infructuosum fiat animarum ministerium. O tu, Sacerdos, qui perfectionis viam alios edoces, cave ne sis omnium minimus in virtute et sanctitate! Luceas igitur et ardeas!

117. — *Perfecti sunt margaritae et gemmae militantis Ecclesiae.* — Quia sunt praestantissima portio haereditatis Christi in ipsa militanti Ecclesia utpote Deo in charitate coniunctissimi.

118. — Quia ex ipsorum coetu innumeri surrexerunt christiani heroes, quorum memoria est in benedictione.

119. — Quia ex ipsis praecipue efformatur coetus piorum clericorum et religiosorum, qui Ecclesiam sanctam Dei ubique terrarum magnificant.

120. — Quia eorum opera, et mirabilia quae in eis Deus operatus est, novum et splendidum constituunt S. Matris Ecclesiae ornamentum perpulchra varietate praeclarum, et notam sanctitatis Ecclesiae practice probant. Ecclesia est enim sancta in Fundatore; sancta in sacramentis; sancta in suis legibus; et sanctos faciens qui illas observant, quod abundanter et libentissime fit a perfectis.

121. — *Perfecti sunt magni viatorum benefactores.* Quia si quilibet iustus est misericordiae divinae instrumentum, a fortiori homines perfecti, nam sunt iusti illi qui quotidie magis iustificantur. Omnes iusti, praesertim perfecti, Deum implorant ut propitietur pro peccatis nostris, ut parcat populo suo, ut longe faciat a nobis flagella...

122. — Quia, Ecclesia flante et auspicante, magnis virtutibus charitatis, voluntariae paupertatis

et misericordiae perfectorum debentur innumerae prope ex piis Institutionibus ad multa et corporibus et animabus bona procuranda, nec non ad omnis generis infirmitatis et corporalis afflictionis mala sublevanda fundatis. Unde difficulter invenire poteris christianae humanitatis charitatisque institutiones quae non sint heroicae vel quasi-heroïcae virtutis effectus. Quantum in huiusmodi negotiis potuit et fecit virtus et abnegatio perfectionis studiosorum! quantum ad hoc fecere magnae illae perfectionis scholae, Religiosa scilicet Instituta!

123. — *Perfecti sunt terror infernalium potestatum*, quas continuis oppugnant victoriis: sunt destructores imperii tenebrarum, raptoresque multorum peccatorum viatorum a faucibus luporum pessimorum: *sunt Purgatorii consolatores* et multarum animarum ab eiusdem liberatores Purgatorii flammis: *sunt coelorum laetitia*, terrarum protectio, totiusque naturae decus; splendidissimumque ipsis paratum est regnum in quo fulgebunt sicut stellae primariae et lucidissimae inter alios electos cum Christo triumphantes.

124. — Oremus, ergo, ut perfectionem ardentissime desideremus, constantissime ad illam acquirendam operam demus, fortissime adversus internos externosque perfectionis nostrae inimicos pugnemus: regnet Deus in tota vita nostra, ut in aeternum eius praesentia in coelis satiemur: ad melius servanda mandata, servemus et consilia: ut infernum securius vitemus, tempestive Purgatorii poenas spiritualibus exercitationibus solvamus, et levissimas culpas totis viribus fugiamus: uno verbo, simus (in quantum sustinet humana fragilitas) immaculati in via, ut celerius perveniamus ad patriam, praestante Iesu Duce et Redemptore nostro, et B. Maria V. Protectrice Oratriceque nostra potentissima apud Filium.

125. — **Utilitas** *Perfectionis quoad ipsum perfectionis studiosum.* Probatur ex maiori salutis facilitate, ex splendidiori in coelis remuneratione, et aliis hucusque dictis. Teneto tamen.

126. — *Perfectio est utilissima animae hominis viatoris.* Quia perfectus quotidie acquirit vel adauget virtutes quae sunt bonae mentis qualitates, quibus anima purificatur et ornatur coram Deo, Angelis et hominibus.

127. — Quia perfectio nobilitat memoriam assidua recordatione mysteriorum et misericordiarum coelestium...., intellectum frequenti contemplatione rerum altissimarum...., voluntatem dilectione vere diligibilium..., uno verbo: viri perfecti conversatio in coelis est, et omnia in coelum dirigit. Quid ergo animae dignius? quid utilius? Quam miseri e contra sunt homines, qui terrestribus quasi unice et principaliter adhaerent, quasi haberent hic manentem civitatem, nec futuram spectarent!

128. — Quia anima perfectorum opulentissima est, veris abundans divitiis: « Verae divitiae non opes sunt sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuo dives sit » *(S. Bern.)*.

129. — Quia perfectio est nutrimentum internae quietis, cum vir perfectionis studiosus maiorem quotidie acquirat securitatem seu fiduciam firmamque spem de venia peccatorum anteactae vitae, de praesentibus auxiliis obtinendis, de futuris animae malis vitandis, deque maiori remuneratione....

130. — Neque obstat quod devotus aliquando, Deo permittente, experiatur excessivum timorem, mentis offuscationem, scrupulos, etc.; tunc enim magis magisque solidatur in virtutibus per iteratos actus humilitatis, spei, conformitatis, etc.; estque dicendus vere beatior in tribulatione, quam viri mundani et

peccatores in terrena prosperitate; et si interdum videmus homines perfectos euntes et flentes, venientes tamen venient cum exultatione verae tranquillitatis in exilio, et magnae felicitatis in patria...

131. — *Perfectio est utilissima verae hominis libertati.* Quia 1° Sancti in coelo sunt liberrimi, cum non amplius peccare possint; unde S. Bonaventura ait: « libertas perfecta est non posse peccare »: atqui perfecti totis viribus intendunt spirituali et corporali munimini contra peccati pericula, carnem frangentes, diabolum expugnantes, mundo contradicentes; ergo eo magis liberi quo magis perfecti. Viri perfecti possunt adhuc peccare, quia viatores, sed fortius armantur ad peccata repellenda.

132. — Quia 2° Homo christiane vivens et a fortiori vir perfectionis studiosus Deo optimo Liberatori adhaeret et in Deo qui eum confortat omnia potest, quidquid tentent animae inimici. Unde, dicendum cum S. Ioan. Chrysost. (Serm. de viv. et vit.): « Quem bene vivere perspicies, et omnia ad divinum cultum referre intelliges, hic si innumeris etiam catenis obsitus fuerit, si semper in carcere vixerit, si apud indignos servitutem tulerit, si pauper sepulchro sepultus combustusque fuerit, si denique, quidquid dici grave potest, passus fuerit, hunc beatum, hunc felicem dicere, hunc ad astra tollere memineris ».

133. — *Perfectio est corporalis sanitatis adiumentum.* Quia corrigit excessus quibus multae infirmitates generantur; docet modum adversa patienter tolerandi, ne habitualis intranquillitas et animae et corpori noceat. Imo et in ipsa infirmitate animum confortat et leviores reddit dolores: unde aegroti perfectionis asseclae sibimetipsis dicunt illud S. Aug., tr. 7, *sup. Ioan.*: « Quam multi aegrotant in lecto

innocentes, et si sani fuerint, procedunt ad scelera committenda! »

134. — **Varia.** — « Christiani perfecti, qui meruerunt ad gradum perfectionis pervenire, et regi proximi fieri, Cruci Christi perpetuo consecrati sunt » (S. Machar. Aegypt.). « Perfectionis gratia quanto melius agnoscitur, tanto ardentius concupiscitur » (Rich. a S. Vict.).

135. — « Ubi perfectio animi, ibi et inhabitatio Dei: quanto ad perfectiones appropinquantur, tanto mens arctius foederatur » (Id.).

136. — **Heroicitas ad Beatificationem.** — Viri sancti et perfecti in statu perfectionis explicato (i. e. in statu perfectionis proprie et stricte talis) dicuntur et sunt heroes christiani, quia, uti notat Aristoteles, 1,6,Eth.,c. 1., illi olim dicebantur heroes aut homines divini, qui ob virtutis excellentiam divini efficiuntur, quales apud Gentiles dicebantur Hector, Hercules, aliique semidii ob quasdam virtutes morales, variis tamen vitiis deturpatas: cum e contra apud christianos, illi heroes vocentur, qui, iuxta S. Thomam, S. 2, q. 52, a 3, charitatis et aliarum virtutum actus strenue ac modo superiori ad communem exercent; ideo S. Doctor talem heroicitatem donis Spiritus S. attribuit, quatenus per supervenientes novas et extraordinarias inspirationes aliquis movetur ad recte operandum super communem modum, quo alii iusti operantur.

137. — Quo pacto etiam, q. 61, a. 5. Theologicam reddit illam aliam Plotini Philosophi Platonici doctrinam, qua virtutes dividit in politicas vel pure humanas et exemplares seu pure divinas, aliasque medias, quas vocat purgatorias, quae pertinent ad nondum perfectos, et alias purgati animi, quae sunt perfectorum, et 3, q. 7, a. 2 ad 2, ait: « Dicendum quod habitus ille heroicus vel divinus non differt a

virtute quae communiter omnibus competat... Sicut etiam Plotinus posuit quemdam sublimem modum virtutum, quas esse dixit animi purgati ».

138. — *Quid ad heroicitatem et beatificationem requiritur.* Ex hoc colligit P. Reguera in Prax. Theol. Myst., cum Benedicto XIV in opere de serv. Dei beatif. l. 3, c. 21 et 22. I° Quod nec ad perfectionem, nec ad beatificationem sufficiat vitae excellentia quae utcumque sit supra vires naturae: quia hoc omni iusto et actui supernaturali commune est, et nonnisi late heroicitas dici potest: sed quae in ipso ordine supernaturali sit modus vivendi excellens.

139. — II. Quod nec ut aliquis sit perfectus, nec ut sit beatificabilis, sufficiat quod sit perfectus, etiam cum heroicitate in uno vel altero actu, aut una vel altera virtute; quia hoc etiam in incipiente, proficiente, imo etiam nondum iusto reperiri potest.

140. — III. Quod tam ut sit perfectus quam beatificabilis, requiratur quod ut plurimum perfecte operetur, maxime in charitate et virtutibus suae vocationi propriis, cum praeparatione animae ad actus reliquarum virtutum pro rerum opportunitate perfecte exercendos: quia in charitate principaliter sita est omnis perfectio et sanctitas, simul tamen cum universali ratione vivendi a ratione tepida et imperfecta omnino diversa.

141. — IV. Quod, qui sic operatur, possit dici heroice operari saltem in vitae cumulo: quia excedit modum communem operandi, et saepe magis arduum est sic continuo perfecte operari quam semel pati martyrium.

142. — V. Quod pro beatificatione non aliter in singulis et omnibus virtutibus heroicitas requiratur, nisi penes hunc modum frequentem perfecte ope-

randi; quia perfectio evangelica et heroicitas Evangelica idem omnino sunt.

143. — VI. Interim tamen, praeter modo dicta, etiam ad beatificationem requiritur ut haec perfectio et heroicitas, quae coram Deo esse potest, coram Ecclesia probetur. Item ut beatificandus in aliqua saltem virtute ita singulariter sit perfectus, ut Ecclesiae velut specialissimum exemplar proponi possit, ut et perfectio usque ad ultimum perseveraverit; id quod miracula post obitum, quasi voces de coelo pro hac veritate clamantes, testari debent.

144. — Illud adhuc observandum, perfectionem et heroicitatem non esse mensurandam penes austeritatem et similia exteriora exercitia, quae nisi discretione spiritus dirigantur, etiam periculosa evadunt, uti notat S. Thomas, 2, 2, q. 188, a. 6. Nec requiritur ad actum heroicum, ut eius materia spectet ad consilium: neque ab heroicitate excluduntur, quae fiunt ex praecepto, instituto vel voto: quia ad haec omnia quoad heroicitatem requisita concurrere possunt. — Ita Schram, Theol. Myst.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Honorate illam, peccatores; et impetrabit vobis gratiam et salutem. Super thus et balsamum orationis eius incensum; preces eius non revertuntur vacuae, nec inanes (S. Bonav., ps. 83).

Mariam invoca. — Quam dilecta tabernacula tua, Domina virtutum! quam amabilia tentoria requietionis tuae! (id. ib.). Ergo, Mater mea dilectissima, tu es refugium cordis mei, tu laetitia animae meae, tu via misericordiae et veniae, tu inventrix pacis et quietis.

Mariam laetifica. — Vanitatum huius saeculi contemptu. Verae pietatis et sanctae perfectionis desiderio. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. II. — DE OBLIGATIONE TENDENDI AD PERFECTIONEM.

145. — **Praenotandum.** — « Si amore Dei tui succensus esses, certe doleres non modicum et erubesceres in te ipso, tam benignissimo Deo tuo sic defectuose et pigre ministrare. Et quanto plus proficeres, tanto amplius erubesceres et doleres, et nunquam cessares, sed semper maiori ardore succensus, maiora reincipere conareris; nunquam certe de his et in his quae ad honorem Dei pertinent, tuus posset refici appetitus, semper enim cupidus, semper avidus, semper famelicus appareres » (S. Bonav., Stim. amor., 2 p. c. 9).

Art. I. — **De generali obligatione perfectionis.**

146. — **Obligatio in genere.** — Ex dictis supra perfectio est *infima*, *media*, vel *superior*, prout excludit mortalia tantum, vel mortalia simul et venialia plene deliberata, vel importat observantiam consiliorum, et opera supererogationis. Consilia autem quorum observantia requiritur ad perfectionem proprie talem, sunt illa quae propriae uniuscuiusque conditioni sunt proportionata. Haec autem consilia inducunt ad vitandas imperfectiones, quae immediate disponunt ad venialia et ad amplectendum omne bonum, et meliori modo ita ut homo semper faciat quae magis placita sunt Deo. Hinc:

147. — *Omnes homines omnino tenentur ad perfectionem infimam.* — Quia 1° tenentur servare praecepta gravia et vitare mortalia peccata: atqui id tantum exigit perfectio infima... 2° tenentur ad perfectionis fundamentum quod est charitas.

148. — Unde perfectio infima est necessaria ad salutem. Notandum tamen, quod mortaliter peccantes

per excessum vel per defectum, non committunt speciale peccatum contra perfectionem infimam, diversum ab eo vel eis ex violatis praeceptis proventientibus, ut patet. Quoad praeceptum poenitentiae et charitatis, vid. Theol. Moral.

149. — *Omnes homines tenentur ad perfectionem mediam.* — Quia 1° tenentur non solum vitare mortalia, sed et venialia deliberato affectu commissa, ut patet. — 2° Tenentur praeceptis divinis parere etiamsi obligent sub levi. — 3° Venialia proxime disponunt ad mortalia. Haec tamen obligatio est levis per se, nec importat reatum levem diversum a praecepto per leve peccatum violato. — Vid. Theol. Mor. quando veniale fit mortale ob periculum, etc.

150. — *Perfectio proprie dicta, seu stricte talis, sive superior, non obligat omnes homines.* — Quia perfectio proprie dicta versatur circa consilia: atqui consilia iam non essent consilia, si omnes obligarent; ergo...

151. — Hinc merito docet S. Greg. Naz. quod in legibus nostris alia peragendi necessitatem imponunt, alia non necessitate constringunt, sed in arbitrio et potestate posita sunt; ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea custodierint, honore et praemiis afficiantur; qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimescant (*Orat.* 3).

152. — *Omnes homines invitantur ad perfectionem proprie dictam.* — Quia existit pro omnibus divinum consilium nihil agendi nisi supernaturaliter, id est, ex motivo ordinis supernaturalis et sub impulsu gratiae et meliori modo: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum » (Coloss. 3, 17); atqui sic agere est perfectorum; ergo...

153. — Notio perfectionis, praeter charitatem habitualem omnibus necessariam, importat proximam dispositionem ad operandum *frequenter, facile* ac *prompte*, iuxta divina praecepta et consilia, ut in omnibus Deo placeamus: atqui haec omnia omnibus proponuntur, ut patet ex Eccles. 9, 10: « Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare ». Item Apostolus, Philip. 4, 8: « De caetero, fratres, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate, » id est, praecepta meliori modo adimplete, opera supererogatoria meliora ac opposita amplectimini, iuxta cuiuscumque statum et vires. Item Matth. 5, 48: « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est »: quibus verbis Christus non iubet impossibilia, sed inducit omnes homines, ut strenue laborent ad maiorem quotidie perfectionem obtinendam. Ergo...

154. — Hinc, sicut de hominibus viatoribus quodam modo dici potest, iuxta doctrinam S. Chrysostomi, quod possibile est, ut in terrarum regione adhuc degentes, quasi iam in coelis habitent, cuncta perficiant: ita cum dolore confitendum, quod pauci sunt qui firmiter, permanenter et efficaciter facere velint quidquid divino beneplacito magis meliusque respondet. Huiusmodi dilectio, ut docet S. Augustinus, non est multitudinis, vel communium iustorum, sed perfectorum filiorum Dei, quia valde magnae et beneficentissimae bonitatis existit.

155. — Ergo totis viribus satagamus, toto corde divinum imploremus auxilium, ut non solum in omnibus agamus *ex motivo sive in ordine supernaturali,* sed etiam *meliori modo in hoc ordine:* etenim iuxta doctrinam S. Ambrosii, dum vivimus debemus semper operari et consequenter bene operari.

156. — Diligamus Deum, crescamus in charitate, et animas nostras multiplici perfectionis virtute adornabimus: etenim, teste Apostolo, « charitas patiens est, benigna est... omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet ». Charitas est « vinculum perfectionis », quoniam omne bonum a charitate ligatur ne pereat, in quantum refertur ad charitatem augendam vel acquirendam: charitas enim est finis aliarum virtutum, easque ligat in unitatem perfectam: perfectio autem charitatis est finis christianae perfectionis.

Art. II. — **De speciali obligatione perfectionis.**

157. — **Obligatio in specie.** — Dictum est alibi quod perfectio est vel *personalis*, vel *status seu regularis*. Attamen latiori et generaliori sensu vocatur etiam STATUS PERFECTIONIS *ille per quem homo Dei obsequio specialiter se dicat ex aliqua obligatione libere inita:* unde status perfectionis debet esse externus, et per externas actiones exerceri. Exemplum status perfectionis in genere: Titius ob Dei amorem promittit quotidie se Missam auditurum, vel horas canonicas recitaturum, vel religionem ingressurum: in iis omnibus debet necessario et consequenter exercere actus perfectionis externos.

158. — Status perfectionis est *completus*, si totum hominem divino obsequio mancipet; *incompletus*, si sub aliquo tantum respectu. Primus est status clericorum et regularium; secundus est status devotorum quibusdam operibus perfectionis et supererogationis ex obligatione addictorum. — HINC:

159. — *Quisque ad perfectionem magis vel minus obligari potest tripliciter: ratione voti, ratione contra-*

ctus, ratione muneris. Etenim, certum est quod perfectio non obligat nisi volentem ad illam se adstringi per specialem statum vitae, cum nemini rigorosum praeceptum imponatur ad illam amplectendam. Homo facultatem habet se Deo specialiter dicandi sive per votum, sive per contractum seu promissionem, v. gr. in hospitalibus pie conversandi, sive per munus ecclesiasticum servatis servandis susceptum: ergo...

160. — *Obligatio perfectionis importat peculiarem statum perfectionis.* Porro status perfectionis oritur ex aliqua obligatione permanenti, v. gr. ex promissione continentiae quoad sponsos. Cum ergo multiplices sint obligationes quas homo externo modo sive quadam solemnitate seipso in ordine ad perfectionem imponere potest, multiplices esse possunt perfectionis status, quibus homo permanenter vivat modo apto ad perfectionem, aliqua supererogationis opera exercendo.

161. — *Status perfectionis ad opera perfectionis ordinatur.* Hinc, ad mensurandam obligationem perfectionis, talis vel talis status perfectionis, attendendum est ad naturam et circumstantias voti, contractus vel muneris ex quibus oritur, iuxta communes Theologiae moralis regulas, et fugienda interpretatio rigorista, ne ex conscientia erronea multiplicentur peccata servorum Dei (1).

162. — Ex generaliori notione *status perfectionis*, prima fronte apparet quanta adest differentia inter incompletum et completum perfectionis statum. Agendum ergo speciatim de completo, seu de proprie tali, sive de statu clericali et religioso.

(1) Nulli negant posse aliquos extra statum perfectionis inveniri valde perfectos: sicut e contra, proh dolor! perfectionis professio, vel status, multos patitur inperfectos (Ioann. Gerson).

163. — **Obligatio clericorum.** — Ad vitandam omnem confusionem circa obligationem tendendi ad perfectionem, sciendum quod aliud est *status perfectionis acquirendae*, et aliud *status perfectionis exercendae*. Primus est regularium, secundus ecclesiasticorum. Primus est studium propriae perfectionis in religioso instituto, secundus est studium salutis animarum. Primus est pro seipso, secundus pro aliis. Primus est status perfectionis propriae, secundus est status perfectionis alienae. Primus respicit personam, secundus respicit munus seu officium. — HINC:

164. — *Perfectio exercenda praerequirit personalem perfectionem acquisitam.* « Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen eius; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt » (Lev. 11).

165. — « Sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum prae se ferant », ait Tridentinum.

166. — « Ad idoneum exercitium Ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens: ut sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis; ita et superiores sint merito sanctitatis », ait (S. Thom. Supp. q. 35, a. 5).

167. — Ecclesiastici, praeter fugam mortalium et venialium deliberatorum, necessario et specialiter debent in castitate obfirmari, in humilitate contra ambitionem solidari, obedientiam erga proprios Praelatos fideliter servare, patientiam et charitatem erga fideles in ordine ad salutem aeternam ipsorum fidelium fortiter tenere.

168. — Ergo *perfectio personalis* est convenientissima et moraliter necessaria statui *perfectionis exercendae* seu communicandae.

169. — Attamen, *quoad conscientiam, notandum,* iuxta doctrinam Suarezii, quod: licet convenientissimum sit et longe melius, ut non assumatur munus perficiendi alios, nisi post multam propriae perfectionis exercitationem et acquisitionem; nihilominus non est simpliciter et ex praecepto necessarium, ut reipsa talis perfectio praecedat; sed satis est, ut proposito et voluntate de se efficaci habeatur, saltem quoad implenda omnia, quae ex vi talis muneris necessaria sunt, et sub obligatione cadunt, quamvis perfectissima sint; v. gr. omnia bona sua pro honore Dei et sui gregis salute contemnere si opus fuerit; pro ovibus animam ponere; pro earum salute vigilare, et convenienter illas pascere.

170. — Quoad vitae sanctitatem requisitam in proxime ordinandis, vide Theol. Moral. *Obligatio perfectionis exercendae, repeti debet ex obligatione ab Ordinatione et pastorali officio derivata,* ac proinde mensuranda iuxta regulas Theologiae Moralis et Pastoralis, praesertim ubi de obligationibus Episcoporum et Parochorum, de obligatione ministri sacramentorum, etc....

171. — Ergo negligere perfectionem exercendam idem est ac negligere proprias obligationes quoad fideles et ministerium sacrum. Ergo perfectio exercenda est primario et principaliter officium Episcoporum; quasi-principaliter, officium Praelatorum et aliorum curam animarum habentium; aliquo modo, est officium omnium sacerdotum (1).

(1) Clerici, aliique in via perfectionis ambulare debentes, prae oculis habeant haec monita Regulae Cleri: « *Perfectio*

172. — **Obligatio religiosorum.** — *Religiosi vi professionis tenentur tendere ad perfectionem per media essentialia, seu per tria vota obedientiae, paupertatis et castitatis, et per media accidentalia seu per Regulas proprii Instituti.* — Tenentur enim Deo reddere vota sua, in Religione vivere et conversari modo ipsi Religioni accommodato: atqui hoc fit per observantiam votorum et regularum in genere; ergo... (1).

173. — Religiosi tenentur, etiam ratione cuiusdam

proprii status. Quid a te, carissime Frater, exigit Deus, ut illum vere diligere agnoscaris, ut ille in te sibi bene complaceat, et det tibi immarcescibilem gloriae coronam? quid? Ut serves eius mandata. Quid insuper a te postulat, ut sis perfectus, sicut ille perfectus est? quid? Ut facias voluntatem eius, sicut ille descendit de coelo, Patris sui voluntatem facturus, et illam fecit: ideo missus est. Vis ergo voluntatem eius semper et secure facere, ac summum perfectionis apicem adipisci? Ministerium tuum imple perfectiori quo poteris modo; in hoc consistit sanctificatio tua. Haec meditare; in his esto, ut profectus tuus sit in omnibus secure manifestus, et securius coram Deo. Quid amplius exoptes?

Iterum monemus, et idem monitum usque ad mortem, si necesse sit, insinuabimus tibi: incumbe in minutissima tui status munia; ne turberis erga plurima, carissime Frater; anhelent alii ad splendida ministeria; tu vero intra limites tui status, licet obscuri, libenter quiesce; intra te erit regnum Dei.

Cave, et iterum cave, ne Angelus Satanae transfiguret se in Angelum lucis, ut te seducat; digne ambula vocatione, qua vocatus es; euge, serve bone, sis in haec pauca fidelis; haec enim agens in his fidelis usque ad mortem, quae placita sunt Deo, facies semper; morieris plenus dierum et divitiarum ac a vanitate tutus. O quam laetus morieris! supra multa te constituet miserator et misericors Dominus. Quam bonus Israel Deus his, qui illum quaerunt in simplicitate cordis sui. (*Salamo et Gelabert, Reg. Cleri*).

(1) Studeat religiosus quotidie humilior, timoratior, et cu-

contractus Religionem inter et ipsos, Religioni utiles esse: atqui regularis qui vota et regulas non observat, dici nequit Religioni utilis: ergo... « Monacho cuculla prodest, si regulam observet: si autem praevaricator regulae sit, cuculla sua inutilis facta est » (S. Anselm.). « Male se rectum putat, qui regulam summae rectitudinis ignorat » (S. Francisc.). « A regula nec Abbas eximitur; quid hoc sibi vult? ut regulam conservet in omnibus, nisi ut nullus temere declinet ab ea » (Ioan. Trithem.). « Considerare debes regulam quam professus es, et exemplari regulae, cui te debeas conformare » (S. Th. a Villanova).

174. — Hinc toto cordis affectu consideret devotus religiosus saluberrimum S. Bonaventurae monitum: « Considera statum voluntatis tuae in prima die qua religionem intrare disposuisti: quam humilis tunc fueris; quam paratus tunc obedire ad omnia, tam aspera quam despecta; quam patiens ad correctiones et penurias et labores; quam verecundus et timoratus: quam sollicitus, ut emendares vitam tuam. Secundum hanc formam semper postmodum stude vivere, ne aliter in schola religionis dediscere et retrocedere, magis quam proficere videaris ».

« Hoc valde pensandum est omni religioso, ac metuendum, cum status religiosorum sit status perfectionis acquirendae: ideo ad proficiendum dignam

stoditior fieri, atque in reformatione interna perfectior inveniri (B. Dion. Carthus.).

Si vis tendere ad perfectionem, necesse est ut studeas mentis tuae vitiosas passiones edomare (id.).

Quo vir sanctus semetipsum imperfectum respicit, inde ad humilitatis culmen perfectior assurgit (S. Gregor. Magnus).

Viri sancti unde se destructiores aestimant, inde locupletiores ad coelestis patriae constructionem surgunt (id.).

diligentiam, debitumque conatum non impendere absque mora seu indilate, utpote, tempore opportuno, extat eis damnabile ac mortale praecipitium » (Dionysius Carthus.).

175. — *Religiosus graviter violans aliquod votum non peccat toties quoties contra obligationem tendendi ad perfectionem.* Aliter multiplicarentur peccata absque fundamento, cum obligatio tendendi ad perfectionem non consistit in uno vel altero actu, sed in ordinario vivendi modo. Ergo ad peccatum contra obligationem tendendi ad perfectionem, requiritur ut saepe saepius infringantur vota in re gravi, vel ut regulae *ex contemptu auctoritatis* generatim transgrediantur.

176. — *Quoad religiosum qui frequenter regulas infringit,* notandum cum Suarezio (De relig., tr. 8, l. 1, c. 4, n. 18): « Existimo, raro contingere, ut illa remissio animi in servandis regulis levioribus, etiam directe voluntaria, sit ex hoc solo titulo peccatum mortale: quia illa negligentia, per se loquendo, tantum est dispositio remota, nisi accedant aliquae peculiares circumstantiae, quae in aliqua materia consumment occasionem proximam ». Ergo non statim damnandus de mortali religiosus in regulis servandis negligens: nec facile iudicandus graviter culpabilis contra obligatione tendendi ad perfectionem religiosus ex fragilitate aliquoties graviter peccans contra votum. Standum ergo regulis a Moralistis traditis.

177. — Attamen religiosus qui quasi ad limina inferni per suam imperfectissimam conversationem practice tentoria fixit, ex communi Doctorum sententia, magnis se exponit periculis. Si christiani qui praecise sola mortalia vitare intendunt, solaque graviter obligantia praecepta servare, in praxi difficillime stare possunt, quid erit de viro Deo solemniter dicato, qui cum magna ingratitudine suum mensurat

amorem erga optimum Deum suum, qui eduxit eum de terra Aegypti, et introduxit eum in securum religionis portum?

Art. III. — **Documenta perfectionis et quodlibeta.**

178. — Quatuordecim documenta perfectionis in genere *ab antiquis doctoribus asceticis tradita, quibus adiungimus breves explanationes:*

I. *Resolve* (i. e. firmum propositum et ardens perfectionis desiderium habeto).

II. *Examinare* (frequenter quomodo proficias).

III. *Finem* (agendum ex motivo et fine supernaturali: pro Deo et propter Deum).

IV. *Tempus* (dum tempus habemus operemur bona: thesaurizate...).

V. *Renova* (saepe saepius resolutiones iterans, dicito: « ecce nunc coepi »).

VI. *Cum ordine* (omnia suo tempore fiant: omnia ordinatim, ne confusio pariat inconstantiam).

VII. *Otium expelle* (semper esto honeste occupatus: moderata sit recreatio).

VIII. *Ante Deum* (ambula coram Deo: Creatorem in creaturis considera).

IX. *Poenam elige* (saepe mortificationis causa alacriter elige quae tibi minus placent).

X. *Nec turberis* (peccasti? humiliter et fidenter poenitere. Adversa et prospera in pace accipito) (1).

(1) Perfectorum est non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari (S. Ambros.).

XI. *Melius operando* (non solum agendum ex motivo supernaturali, sed meliori modo) (1).

XII. *Lucem et gratiam a Deo petendo* (ora ut scias quid Deus velit a te, et ora ut ipsi placeas).

XIII. *Et commendare memoriae* (meditare frequenter haec documenta).

XIV. *Mariam Matrem pulchrae dilectionis, Magistram perfectionis, exemplar sanctitatis, tutamentum verae devotionis, frequentissime invoca.*

179. — **Duodecim impedimenta** vitae spiritualis et christianae perfectionis, ex Morotio:

I. Primum impedimentum, primusque defectus vitae spiritualis est amor inordinatus, sive ad se ipsum, sive ad aliquam creaturam. Amor autem inordinatus ille est, qui mentem hominis variis imaginibus inficit, distrahit, perturbat; cum quis pecuniae, vestibus, libris, domui, suppellectili adeo afficitur et inhaeret, ut si contingat haec auferri, vel amitti, iniquo animo laturus sit; cum propriis commodis nimium studet, quo fit, ut se ipsum abnegare non possit et tollere crucem suam.

II. Voluptas nimia et sensuum oblectatio in cibo, potu, colloquiis, iocis, facetiis, familiaritatibus, scurrilitatibus et aliis sensuum evagationibus, quibus devotio amittitur, et animus terrae affigitur sine ullo sensu rerum spiritualium.

III. Seipsum quaerere in omnibus ad evitandam

(1) Quanto magis proficis, tanto magis te abesse a perfectione intelliges (S. Nilus). — Hic quantalibet quis excellentia sanctitatis emineat, quantalibet eminentia perfectionis excellat, potest quidem fieri pro modulo huius vitae perfectus; sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu sollicitus (S. Prosper.).

confusionem, damnum, iacturam rei familiaris, offensam hominum, remorsum conscientiae, poenas inferni et purgatorii; sive etiam propter pecuniam, favorem hominum, auram popularem; vel propter sensibilem devotionem et propter gaudia coelorum. Nam qui bene operatur, his permotus incitamentis, adhuc est imperfectus, in seipso conquiescens, seipsum potius, quam Dei gloriam et beneplacitum quaerens.

IV. Occulta quaedam mentis elatio ex bonis operibus et exercitiis spiritualibus, ob quae homines insolescunt dicentes cum pharisaeo (Luc. 18, 11.): *Non sum sicut caeteri hominum.* Et sic paulatim spiritualem verecundiam amittunt, quae filia est humilitatis et mater progressionis spiritualis.

V. Humani respectus, cum quis multa facit vel omittit, quae nec fieri nec omitti debent, ad aucupandum favorem hominum, et ne ab illis contemnatur, vel odio habeatur; cum turbatur et sollicitus est ad assequendam vel conservandam hominum gratiam; cum optat omnibus affabilis, comis et amicus esse; nam tempus inutiliter terit quaerens omnibus satisfacere, fitque plerumque, ut quanto magis hominibus placere cupit, tanto minus placeat Deo.

VI. Propriae opinionis et voluntatis pertinacia, cui nimium plerique inhaerentes nolunt se Deo et Superioribus resignare, susque deque vertunt omnia, ut iuxta propriam sententiam cuncta perficiantur.

VII. Negligentia in exstirpandis vitiis et naturalibus defectibus, ex qua fit ut nonnulli ira-

cundiae, alii scurrilitati, alii invidiae, alii gulae semper sint dediti; alii semper proni ad iudicandos alios eorumque facta condemnanda, quare nec se cognoscunt, nec recte examinant, nec fraternam habent charitatem, nec vivere possunt Deo, cum sibi suoque sensui vivant.

VIII. Acedia, tepiditas et taedium in divino servitio et amore; cum quis praesertim tepidus est et ignavus in oratione incipiens cum pigritia, procedens cum negligentia, finiens sine fructu.

IX. Nimia sollicitudo et occupatio circa res externas et temporales, nimia effusio ad exteriora; cum magis impetu, quam iudicio et ratione negotiis necessariis se quis immergit; sic enim perit interna pax et tranquillitas cordis, ipsaque negotia ob nimiam praecipitationem male peraguntur, sicut scriptum est (Eccli. 38, 25): *Qui minoratur actu, sapientiam percipiet, et* (Prov. 19, 2.): *Qui festinus est pedibus offendet.*

X. Inordinata scrupulositas, et perpetua quaedam conscientiae carnificina nullis confessionum repetitionibus placabilis. Haec etenim inquietudo animi pacem excludit, sine qua divinus amor haberi non potest.

XI. Profunda intellectus exercitatio per altissimas, tam divinarum scripturarum, quam aliarum scientiarum et artium speculationes, cum ex his non transit affectus in Deum, nec eo fine in scripturis exercetur intellectus, ut discat Deum cognoscere et diligere; sed ob vanam curiositatem et alios perversos fines.

XII. Postremum tandem impedimentum ex eo oritur, quod cuncta opera nostra ex bona potius consuetudine, quam interno affectu per-

ficimus, plurisque aestimamus bonorum operum magnitudinem ac multiplicitatem, quam puram intentionem ac ferventem Dei amorem. Deinde motus nostros internos minime observamus, Deum intus loquentem per secretas inspirationes minime audimus, nec divinae praesentiae strenue assistimus. Et quia mentem nostram a simplici lumine, quod in nobis est, ad multiplicitatem extravertimus, idcirco nec a Deo illuminamur, nec cognoscimus nos ipsos, sed intus multiplices ac instabiles, foris autem in sensibus inexplebiles permanemus. Haec sunt praecipua nostri profectus impedimenta, quae a nobis removere oportet, si ad apicem perfectionis volumus pervenire.

180. — DOCUMENTA PERFECTIONIS ECCLESIASTICAE, ACQUIRENDAE ET EXERCENDAE.

I. Sancta legas, ora, recolens tua facta labora,
Sit Deus ob mentem, videat te ad sacra frequen- [tem,
Sedulus ad pia secedas, sit corde Maria.

II. Fungere muneribus, templo famulare libenter,
Congrua sint vestis, ritus, doctrina Levitae.

III. Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur, ait Tridentinum.

181. — DOCUMENTA PERFECTIONIS REGULARIS. « Sex species observantiae regularis: asperitas vestimenti, ariditas alimenti, protensio vigiliarum, taciturnitas silentii, labor manuum, castigatio disciplinae » (Hugo Card.).

182. — « In religione charitas praecipue custoditur: charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus adaptatur » (S. Aug.).

183. — « Conversare simpliciter inter fratres, devotus Deo, superiori subditus, senioribus, obediens, iunioribus contemperans, angelis placens, verbo utilis, humilis corde, mansuetus ad omnes » (S. Bern.). « Bonus religiosus quidquid virtuositatis cernit in aliis, studet sectari, culpas vero aliorum pie pertransit, salva correptione fraterna » (B. Dion. Carth.).

184. — « Elaborate potius inter vos contentione laudabili ac aemulatione meliori, ut certetis quis vestrum in opere Dei sit promptior; quis in oratione ferventior; quis in lectione sollicitior; quis in castitate purior; quis in lacrymarum largitate profusior; quis in corpore honestior; quis in corde sincerior; quis in ira mitior; quis in mansuetudine moderatior; quis in risu rarior; quis in compunctione ardentior; quis in gravitate fundatior; quis in charitate iucundior » (Euseb. Emissen.).

185. — « Beatus religiosus Deo devotus, saeculo ignotus; cui oppidum carcer, claustrum refrigerium, labor requies, solitudo solatium, luctus gaudium, silentium pacis hospitium » (Kempis).

186. — « Tria haec in congregatione necessaria tibi sunt custodienda: ut scilicet surdus ac mutus et caecus incedas » (Ioan. Cass.).

187. — *Conclusio sive Compendium perfectionis religiosae, seu « D. Anselmi Cantuariensis carmen divinum de mundi contemptu, vita monachorum, adeoque christianorum omnium », excerptum ex operibus eiusdem Sancti.*

Quid deceat monachum, vel qualis debeat esse,
Qui iubet ut dicam, porrigat ipse manum.

Non tonsura facit monachum, non horrida vestis,
Sed virtus animi, perpetuusque rigor.
Mens humilis, mundi contemptus, vita pudica,
Sanctaque sobrietas haec faciunt monachum.
Haec vos in coelum, monachi, quadriga levabit,
Haec post hanc vitam praemia summa dabit.
Nil tonsura iuvat, iuvat haud vilissima vestis,
Si lupus es, quamvis esse videris ovis.
Nam falli possunt homines, sed fallere Christum,
(Qui nullum fallit) nemo potest hominum.
Ille quidem fucum simulatae religionis
Damnat, et in reprobis moribus esse nequit.
Vovistis, fratres? vovistis? vestra rogamus
Vivite solliciti reddere vota Deo.
In maiestatem divinam peccat abunde,
Quisquis quae non vult reddere, vota vovit.
Vovistis Domino, vestros convertere mores,
Iam non peccetis, sit modus et vitiis.
Nunc humilis vivat, qui vixerat ante superbus,
Sit castus quisquis luxuriosus erat.
Quaerebat census aliquis? captabat honores?
Huic iam vilescant census, honosque sibi.
Gaudebat dapibus? gaudebat divite mensa?
Nunc tenuem victum sobria coena dabit.
Ille suis laetus successibus esse solebat,
Nunc lacrymis culpas diluat ipse suas.
Ostro conspicuus, gemmis insignis et auro,
Veste modo vili squalida membra tegat.
Verbosus taceat, mitescat fervidus ira,
Invidus invidiae dira venena vomat.
Cuique prius caedes placuit, placuere rapinae,
Nunc pius et mitis pacis amator erit.
Quisquis adulantium ventosa laude tumebat,
Nunc hominum laudes aestimet esse nihil.
Et qui sponte malus, gratisque nocere solebat,
Nunc etiam laesus, utilis esse velit.
Ad lites facilis fuit, hic ad iurgia praeceps,
Fortiter alterius nunc maledicta ferat.
Non hunc contemptus, non hunc iniuria frangat,
Omnia robusto corde molesta ferat.
Pax animique quies inter convicia duret,
Nam fortem rerum nulla procella movet.

Haec veniam fratres conversio vera meretur,
Haec valet offensum flectere vita Deum.
Funestum monacho est quidquid male suggerit hostis
Et conatur eum fallere mille modis.
Esse Deum credat praesentem semper ubique:
Nec se si peccet, posse latere putet.
Cuncta scit atque videt; nec quicquam praeterit illum,
Omnia sunt oculis nuda et aperta suis.
Cum quid turpe facit, qui me spectante ruberet,
Cur spectante Deo non magis ipse rubet?
Si patriae iudex sciret sua facta, timeret,
Si dominus rerum, cur nihil ergo timet?
Sed tacet et differt, et nondum crimina punit:
Puniet et meritis arbiter aequus erit.
Propositum vitae, monachi, servate rigorem,
Nec pigeat parvo tempore parva pati.
Exiguus labor est, sed merces magna laboris:
Praeterit ille cito, praemia fine carent.
Ergo, Deo melius si nil cognoscitis esse,
Immo si summum creditis esse bonum:
Contemptis mundi rebus labentibus istis,
Iam sint in solo gaudia vestra Deo.
Et mihi quae possunt amitti nulla videntur,
Nec longum quidquid desinit esse reor.
Nam quid honor? quid opes? quid gloria? quidve iuventus?
Forma, genus, vires, foemina, vestis, ager?
Magna potentia, multa scientia, falsa voluptas,
Vita quid? et nostri corporis ista salus?
Non amo quod pestis, quod fur, quod surripit hostis,
Et quae si parcant, aspera mors adimit.
Quis poterit fari, quis scribere, quis meditari
Quae dabis in coelis praemia, Christe, tuis?
Quisquis ad haec igitur paradisi gaudia tendis,
Sedulus angustam nunc agere disce viam.
Ne laxes vitiis angustae mentis habenas,
Divini semper frena timoris habe.
Expecta Dominum, formida iudicis iram,
Et quod promittit rex tibi miles ama.
Parvulus esto fide, mentis depone tumorem,
Porta Dei nullum qui tumet arcta capit.
Summa quidem virtus monachi, parere Priori,
Ferre iugum normae, seque negare sibi.

Quidquid praecipiet, mox et sine murmure serva,
Peccatum solum dedecuisse puta.
Non vilis vestis, non te locus ultimus angat,
Saepe tui stultos ordinis ista movent.
Sed si nos sane sapimus, si vera fatemur,
Aggreditur virtus ardua, dura probat.
Qui sibi vilescit, qui se nihil aestimat esse,
Et timet et mundi labilis alta fugit.
Hic est sapiens, et coelo proximus iste,
Non sine re monachi nomen inane gerit.
Si vult ditari, varios si quaerit honores,
Induit occultum pellis ovina lupum.
Sed qui cuncta videt mundi pius arbiter ille,
Novit oves, tacitos novit et ipse lupos.
Haec ergo monachus labiis et corde frequentet.
Te mihi, te solum da, Deus, et satis est.
O certe felix possessio, quaeque beatum
Sola facit, miserum cetera pondus habent. »

188. — **Quodlibeta varia de statu clericali et regulari.** — *Status Episcoporum est perfectior statu religiosorum.* — Quia 1° Episcopus debet alios illuminare, purgare et perficere, nec sufficit ut sibi perfecte vivat. — 2° Episcopis competit modo principali excellentissimum munus pastorale cum immobilitate officii. — 3° Episcopus est Pater fidelium suae dioecesis, cuiuscumque sint status, secluso privilegio exemptionis. — 4° Episcopus frequentissime debet exercere nobilissimos virtutum actus, ad salutem gregis, et dispositionem habere ad maiora pro ovibus sustinenda. Et in nullo statu respective tot inveniuntur sancti, teste Martyrologio.

189. — **Tamen** « *quamquam praelationis status in perfectione sit altior, religionis tamen status securior et morbis nostris curandis expedientior, pro eo quod a multis periculis eruit, quibus status praelationis exponit* », ait S. Bonav. in Apol. paup. 1, resp. 3. Unde pie, sancte et fructuose emittitur a variis conspicuis

ecclesiasticis votum non acceptandi episcopatum, nisi accedente vi obedientiae aut necessitate charitatis.

190. — « *Nec tamen ex his potest inferri quod ad pontificis statum requiratur, quod omnes status praecellat in omnibus*, alioquin non posset fieri pontifex nisi esset virgo; congruit tamen, quod in his praecellat quae ad pascendi gregis spectant officium, sicut scribit Hier. ad Oceanum: Futurus pastor Ecclesiae talis eligatur, cuius comparatione subiectus populus merito grex dicatur. — Et Greg. in past.: Tanto debet actionem populi actio praecedere praesulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. – Quapropter ad praelationis statum non congruit accedere nisi perfectum, ut ibidem ait Greg.: Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus, nec coactus accedat. Status vero religionis peccatores et imperfectos admittit, ut iustos efficiat et ad perfectionem adducat » (S. Bonav. *ibid.*).

191. — *Presbyteri, Parochi et alii Clerici saeculares non sunt maioris perfectionis, quam religiosi.* — Quia religiosi sacerdotes et clerici possunt facere omnia quae illi, et Presbyteri saeculares possunt relinquere sua munera et ingredi religionem. Unde non valet ratio perfectionis status Episcoporum, quia clerici Episcopis inferiores non habent *principaliter* sublimitatem muneris coniunctam cum stabilitate proprie dicta. — Nota quod religiosus potest fieri Episcopus, non e contra absque speciali R. Pontificis licentia.

192. — *Clerici tamen, secundum quid, sunt in statu perfectiori ac religiosi laici, ut patet.* Sacerdotium enim ad quod clerici ordinantur est omnino perfectius vita mere monachali seu regulari. — Regulares sacra ordinatione decorati habent specialem perfectionem, et multum participant de perfectione status Episcoporum, ratione ministerii altaris et animarum.

193. — *Status clericalis seu perficiendi alios, sive principaliter ut Episcopatus, sive minus principaliter ut Ordinis sacri susceptio et animarum cura, non absolute consulitur.* — Quia talis status, quamvis sanctissimus, adnexa habet difficillima officia, et praerequirit varia adiuncta ut honestetur in subiecto sive candidato ad illum ascendere volente, ut constat etiam ex dictis alibi. — Temerarium est per se desiderium Episcopatus.

194. — *Status vero religiosus absolute consulitur*, et non solum desiderari potest in seipso, sed eo melius anima proficit, quo ardentius desideratur et liberius amplectitur, ut docent Doctores cum S. Thoma. Unde in praxi via religionis est facilior et securior.

195. — *Status religiosus antonomastice est via ad perfectionem.* — Religiosus ut holocaustum totaliter se dedicat divino servitio, in quo est perfectio, ut habet Angelicus (2, 2, q. 186, a. 1). Hinc:

196. — Laudabile est alios ad Religionem seu statum religiosum inducere. — Unde, ait S. Th., « Inducentes alios ad Religionem non solum non peccant, sed magnum praemium merentur...; Dan. 22, dicitur, quod qui ad iustitiam erudiunt plurimos, erunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. *Posset tamen contingere circa huiusmodi inductionem triplex inordinatio.* Primo quidem, si violenter aliquis alium ad Religionem cogeret: quod prohibetur in Decret. 20, q. 5 (cap. *Praesens).* — Secundo, si aliquis simoniace alium ad Religionem trahat, muneribus datis, ut prohibetur in Decret. ibidem, q. 2 (cap. *Quam pios).* Nec tamen ad hoc pertinet, si aliquis alicui pauperi necessaria subministret in saeculo nutriens eum ad Religionem; vel si sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam. — Tertio, si mendaciis eum alliciat: imminet enim sic inducto

periculum, ne cum se deceptum invenerit, retrocedat; et sic fiant novissima illius hominis peiora prioribus, ut dicitur *Luc.* 26 » (2, 2, q. 189, a. 9).

197. — *Quapropter damnanda nimia illa quorumdam spiritualium Directorum severitas et difficultas in iuvandis et sustinendis discipulis ad statum religiosum inclinatis.* Tales enim in praxi ita agunt quasi ii tantum vocati dici possent, qui extraordinariis signis et quasi miraculoso impulsu ducuntur, cum tamen certum omnino sit quod ordinaria signa sufficiunt.

198. — Eheu! quando agitur de vocatione clericali, quae non melius probandam, sed probatam virtutem exigit, vel de vita saeculari, sive de matrimonio, quae tot difficultates habet (absque novitiatu), omnia faciliora videntur, omniaque festinanter et magistraliter resolvuntur; sed quando negotium versatur circa vitam religiosam, in qua tempus habetur probationis et novitiatus, statim multiplicantur obiectiones, haesitationes, dubitationes; imponitur nimis longa et periculosa mora, differtur Directoris consensus, et in praxi temerario quaeritur quaedam divina evidentia et quasi revelatio... Tempus divinae appellationis est maxime tempus acceptabile; caveat vocatus, caveant Directores ne despiciatur momentum opportunum et hora divinae visitationis.

195. — Numerus ad Religionem vocatorum. — Deus, ut dictum est, omnes homines vocat ad perfectionem christianam per *communia* Evangelii *consilia:* attamen ad statum perfectionis religiosae per *tria specialissima consilia* eos tantum vocat qui ad illa servanda habent *idoneitatem et affectum.*

200. — Porro haec idoneitas vel est, Deo dante, quasi ingenita et veluti adhaerens vocatorum indoli, vel pedetentim enascitur et cum aetate crescit et formatur, vel quasi sponte sua datis etiam minoris

momenti occasionibus manifestatur et efflorescit, vel insolitis de causis quasi subitaneo et inopinate declaratur. In prioribus casibus habetur *ordinaria vocatio,* in posteriori vero *extraordinaria.* Et licet *stricto sensu* vocatio extraordinaria importet revelationem divinam, aut saltem inspirationem singularem, nihilominus vere extraordinaria reputatur vocatio modo insolito et subitaneo patefacta.

201. — *Pauci* quidem vocantur a Deo modo stricte extraordinario, ut S. P. Franciscus et alii; *numerosiores* vero sunt quos Deus ad religionis iugum invitat modo quasi extraordinario sive insolitis subitaneisque rationibus; *innumeri prope* qui ordinario modo vocationem manifestant, suntque qui coelestibus benedictionibus praeventi, ac tamquam parvuli lacte pietatis enutriti, a iuventute, imo non raro ab infantia in rebus religiosis specialiter delectantur, charismata meliora aemulantur, et ad perfectiorem vivendi rationem quasi naturaliter aspirant, non obstantibus transitoriis quibusdam defectibus et fragilitatibus.

202.— Hinc, *pauci* per miraculum et revelationem, *multi* per advenientem insolitam circumstantiam, *innumeri* prope per quasi inconscientem internam educationem et inclinationem a Deo ad religiosam vitam vocantur.

203. — Unde merito dici potest illud quod in genere de vocatione habet S. Augustinus (ps. 102, 8): « Vocat undique Deus homines ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam... vocat per lectorem, vocat per tractorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per misericordiam consolationis ». Et Hugo Victorinus: « Vocat Deus.... interius, per inspirationem; exterius, per Scripturas; superius, per promissiones; inferius, per

comminationes; anterius, per beneficia; posterius per flagella ».

204. — Ordinaria et stricte extraordinaria vocatio inveniri potest in hominibus cuiuscumque aetatis et conditionis; vocatio vero quasi-extraordinaria *generatim* reperitur in solis adultis, non autem in pueris, sive in iunioribus adolescentibus.

205. — Quasi extraordinario modo vocati haberi debent illi iuvenes aetate maturi, qui universitates et maiora gymnasia frequentantes, et sat dissolutam vitam agentes, subitaneo v. gr. ad auditionem sancti Verbi Dei praeconis, mundo valedixerunt; quod non raro evenit post conciones S. Laurentii a Brundusio, etc. Quanta misericors Salvator noster paravit laquea salutaria ad animas capiendas, et per nobilissimam servitutem a potestate daemonis liberandas!

206. — QUINDECIM ENCOMIA STATUS RELIGIOSI.

I. « Hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo » (S. Aug.).

II. Tutior haec vita est et dulcior, ubi unus alium cohortatur, ubi alter alterius exemplo inflammatur. (Id.).

III. O vita secura! ubi pura conscientia; o, inquam, vita secura! ubi absque formidine mors expectatur, imo et exoptatur cum dulcedine et excipitur cum devotione (S. Bern.).

IV. Viri religiosi habent in praesenti quatuor dotes corporum glorificatorum: subtilitatem habent per votum paupertatis, quo abscindunt a se omnem proprietatem, ut possint intrare per angustam portam vitae aeternae; claritatem habent per votum castitatis, habentes vestimenta alba sicut nix; agilitatem habent per votum obedientiae, sequentes Agnum quocumque ierit; impassibilitatem habent, per amo-

rem iustitiae, quae facit omnes iustos impassibiles (Hugo Card.).

V. In religione, homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiduciosius, purgatur citius, praemiatur copiosius (S. Bernardus).

VI. Vehementer religiosi diabolum affligunt, cum ieiunant; verberant, cum disciplinam recipiunt; calcant, cum veniam petunt; premunt, cum se humiliant; terrent, cum Iesum invocant; torquent, cum Mariam nominant; fugant... cum Crucifixum adorant; vincunt, cum obediunt; arctant, cum in solitudine manent; ligant, cum silentium servant (Kempis).

VII. Tanta gratia datur accipientibus habitum religionis devote, quanta datur fidelibus in baptismo (Glossa ord.).

VIII. Secundum opus maius post martyrium, est religionem ingredi, et renuntiare pro Deo voluntati propriae (S. Vinc. Ferrer.).

IX. Altissima est professio vestra, coelos transit, par angelis est, angelicae similis puritati (S. Bernardus).

X. Aliorum est Deo servire, vestrum adhaerere; aliorum est Deum credere, scire, amare, revereri; vestrum est habere, intelligere, cognoscere, frui. (Id.).

XI. Modus vitae religiosorum est sanctus, honestus, castitate decorus, discretione praecipuus, a patribus institutus, a Spiritu Sancto praeordinatus, animabus salvandis non mediocriter idoneus (Id.).

XII. Quis non illos miretur et praedicet, qui contemptis atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul aetatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tu-

midi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam et intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ista posse meruerunt (S. Augustinus).

XIII. Esse religiosis in coelo sedes inter seraphicos potest, quod hic in statu perfectissimae degerint charitatis (B. Alan. de Rupe).

XIV. Sancta religio figurative vocatur mors; unde vulgariter regulares dicuntur mortui, et saeculares viventes: tamen malus saecularis est vere mortuus, et bonus regularis vere vivens (S. Antonin.).

XV. Sunt novem beneficia religionis: abundans est pauperi; mediocri sufficiens; tolerabilis diviti; infirmis larga; delicatis compatiens; fortioribus moderata; poenitentibus misericors; perversis severa; bonis optima (Hug. a S. Vict.).

207. — Hinc *omnibus a Deo vocatis*, tempestive *et fiducialiter dicendum est:* « Si te religionis tuba vocet, statim progredere, et multa cum alacritate descendas ad certamina » (S. Chrysost.). — Et cum S. Bonaventura: « Convolate ad urbes refugii, ad loca videlicet religiosa, ubi possitis de praeteritis agere poenitentiam, in praesenti obtinere gratiam, et fiducialiter futuram gloriam praestolari ».

208. — *Nec turbentur vocati ob amicorum displicentiam.* Etenim « dubitare an propter contristationem amicorum, vel quodcumque temporalium detrimentum, homo debeat religionis propositum praetermittere, est animi adhuc carnali amore irretiti » (S. Thom.).

209. — *Deinde vocati ad fortitudinem et perseverantiam inducantur:* nam « Claustrum intrare nihil aliud est, quam se ad bellum contra hostes Christi armare » (Hugo Card.). — Et « qui aliud in reli-

gione quaerit, quam pure Deum et animae suae salutem, non inveniet nisi tribulationem et dolorem » (Kempis).

210. — *Ad pacem et humilitatem in congregatione conservandam,* prae oculis vocatorum ponantur duo sequentia monita: « Christus divisus non est: sive in alba, sive in pulla veste, in omni professione et ordine quis serviat, acceptus est Deo » (Petr. Bles.) — « Quamvis unus religionis status alterum praecedat in votis substantialibus, non tamen praeferri potest in omnibus, cum quilibet status aliquid praerogativae specialis obtineat, quo sancta mater nostra et sponsa Christi Ecclesia tamquam vestitu deaurato, circumdata varietate decoratur, et deiformis efficitur » (S. Bonav.).

211. — **Imitatio quaedam vitae regularis.** — Multi sacerdotes piissimi, et perfectionis sive propriae sive alienae zelatores, hodiernis temporibus spiritualia vitae religiosorum commoda obtinere conantur, et vestigia tot antiquorum sacerdotum sectantes, specialibus vinculis charitatis, pietatis, et eiusdem sacerdotalis vitae normae inter se coniunguntur, tamquam in quasdam quasi communitates physice dispersas, sed moraliter unitas, sub uniformi directione alicuius sacerdotis, virtute et prudentia conspicui, et omnimoda erga Ordinarium obedientia et reverentia.

212. — Quot quantaque ex tam sancta ad perfectionem aemulatione exoriantur bona, patet ex spiritus sacerdotalis ferventiori renovatione in illis dioecesibus, ubi plaudente et benedicente Ordinario (aliter fabricaretur super arenam, et societas esset petra offensionis, et causa rebellionis...), florent et dilatantur *Associationes sacerdotales intuitu perfectionis.*

213. — Hinc, clerici qui ex Dei vocatione perma-

nent in saeculo, multum iuvari et spiritualiter ditari possunt per praelaudatas Associationes. Et quamvis dioecesis destituatur tanto perfectionis incitamento, devoti tamen Dei ministri invenire sciunt multiplices formas se fortius adstringendi ad vitam regulatam in omnibus, piam, sanctam, spiritualiter et specialiter subiectam directioni prudentis probatique Directoris.

214. — Iuniores praesertim sacerdotes et vicarii parochiales prudentissime vitam agunt communem cum parocho, in humilitate et fervore spiritus, Deo et Ecclesiae fideliter servientes.

215. — Ergo toto cordis affectu dicamus illud S. Augustini: « Scio, Domine, scio et fateor quia indignus quidem sum tibi servire, sed tu non es indignus servitio creaturae tuae: da ergo mihi, Domine, unde tu es dignus, et ego ero dignus unde sum indignus ».

216. — **Tertius Ordo** a Sede Apostolica magno multiplicique encomio celebratus, universali Ecclesiae plausu laudatus, gloriosissima sanctorum corona circumdatus, est potentissimum perfectionis adiumentum populo et clero propositum.

217. — *Regulae Tertii Ordinis observatio hodie facillima facta est per Const. Leonis XIII « Misericors Dei »*; et sacri ministri in saeculo degentes, absque ullo fere supererogationis opere, per Tertium Ordinem non solum spiritualibus thesauris ditantur, sed et fiunt quasi-religiosi, sub Seraphici Patriarchae S. Francisci vexillo adunati, per regulam ab Ecclesia solemniter approbatam.

218. — Unde non mirandum si Leo XIII ad dictum Ordinem omnes vocat clericos et fideles, per triplices Apostolicas Encyclicas « Auspicato », « Huma-

num genus », « Quod auctoritate », aliasque publicas, privatasque exhortationes.

219. — « Nobis est diu et magnopere in votis, ait idem Leo XIII, in Enc. *Auspicato*, ut quantum quisque potest in imitationem Francisci Assisiensis se intendat... Christianos homines hortamur ut nomen dare sanctae huic Iesu Christi militiae ne recusent. Plurimi numerantur passim ex utroque sexu, qui Patris Seraphici vestigiis alacri animo iam ingrediuntur. Quorum laudabile tale studium vehementer probamus, ita tamen ut illud augeri, et ad plures propagari, vobis praesertim adnitentibus, Venerabiles Fratres, velimus... Itaque date operam, ut Tertium Ordinem vulgo noscant, atque ex veritate aestiment: providete, ut qui curam gerunt animarum, doceant sedulo qualis ille sit, quam facile unicuique pateat, quam magnis in animarum salutem privilegiis abundet, quantum utilitatis privatim et publice polliceatur. » — Eia, devote clerice, corde, verbo, opere, exemplo, pontificio desiderio responde.

Conclusio tractatus de vita et perfectione spirituali in genere.

220. — Ex dictis patet quam magna, quam salutaria, quam nobis et aliis utilia sint bona vitae spiritualis, verae devotionis et genuinae perfectionis christianae. Quae quidem a charitate perfecta proveniunt, tamquam fructus sanctissimi ab arbore sanctissima. MOROTIUS PRAECIPUOS EFFECTUS SEU FRUCTUS PERFECTAE CHARITATIS ET PERFECTIONIS DUODECIM ESSE AFFIRMAT DICENS :

I. Fructus perfectionis primi, et purissimi, cunctisque opibus pretiosiores nihil aliud sunt, quam effectus perfectae charitatis, quorum primus est: *Puritas mentis;* quia perfecta charitas,

sicut quaedam splendidissima lux, non solum tenebras lethalium discutit peccatorum, sed et levissimas quasque maculas dispellit. Non quod perfecti ab omni leviori culpa in hac mortali vita immunes sint, sed quia diligentissima cura a quaque minori labe mentem custodiunt, quam si aliquando quovis modo foedaverint, aqua contritionis, et igne amoris statim lavant, et emundant.

II. *Abiectio temporalium*, omnes enim sinus, et recessus animi charitas occupat, ita ut terrenis rebus nullus relinquatur locus, nec vilia mundi bona concupiscere possit. Duobus autem modis temporalia contemnimus, corde quidem, et opere, si vivimus in religione: in saeculo vero solo affectu, sicut scriptum est: *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.* (Ps. 60, 11).

III. *Quies appetituum,* charitas enim omnes nostras affectiones ad pacem, et tranquillitatem redigit, continetque in officio, ne in vana mundi oblectamenta prolabantur. Atque ideo vir perfectus amores, et desideria in rebus collocat divinis, odium, atque tristitiam in peccata et vitia contorquet, spem in solo Deo, desperationem in se ipso constituit, difficilia audet propter virtutem, et adversus quotidianos defectus iram exercet.

IV. *Circumspectio verborum,* quia charitas instar carbonis igniti omnes sordes labiorum consumit, et purgat, et qui perfecte diligit, nulli obloquitur, nulli convitium infert, nullius detegit peccata, neminem verbis laedit, non vanis rumoribus, et saecularibus colloquiis occupatur; et *omnis narratio illius in praeceptis Altissimi.* (Eccl. 9, 23).

V. *Munditia cogitationum*, vir enim perfectus illas dumtaxat cogitationes admittit, quae purissimis Dei oculis gratae sint, quas si Deus ab occulto cordis extraheret, et in fronte conscriberet, nec eas indignas sua nobilitate, et statu putaret, nec de illis tamquam ineptis, et insipientibus erubesceret.

VI. *Impatientia desideriorum*, sicut enim ignis nunquam dicit: Sufficit, sic charitatis desideria, quae igni comparantur, nova semper virtutis opera inveniunt, nova Dei obsequia perscrutantur, novos aggrediuntur labores; nunquam cessant, nunquam quiescunt, et quasi nihil egissent, semper incipiunt.

VII. *Sollicitudo virtutum*, quoniam perfectio non est otiosa, sed attenta consideratione omnia perlustrat; omnium virtutum

exercendarum occasiones cum ingenti exultatione complectitur, ne ipsum aliquod lucrum spirituale praetereat.

VIII. *Pulchritudo operum*, quae a perfectis ita fervida, et pura, ita debitis circumstantiis ornata, ita numeris omnibus absoluta perficiuntur, ut non solum hominibus, qui latentem intentionem non vident, et defectus operum parum considerant, sed etiam Angelis, ac ipsi Deo gratissima sint, eiusque nitidissimis oculis sole lucidioribus omni ex parte decora, et honesta videantur.

IX. *Tolerantia adversitatum*, nam qui Deum diligit, beatum se existimat, cum variis tribulationibus exercetur, laborem, et dolorem non sentiens prae amoris magnitudine.

X. *Collectio internarum virium*, si enim profanus amor, cum ardentissimus est, non sinit hominem sui compotem esse, et mentem extra se in rem amatam abducit; quid faciet amor divinus eo multo potentior, et validior? Plane hominis mentem cogitatione, et affectu a rebus mundanis eximit, et uni Deo ita applicat, ut ipsum solum cernat, ipsum desideret, totoque virium nisu in eum contendat.

XI. *Concordia voluntatum*, voluntas enim perfectorum voluntati divinae nexu indissolubili colligatur; illud vult, quod Deum velle existimat, illud non vult, quod Deum nolle cognoscit, amat quod ipse amat, odio habet, quod ipse odit, et quantum potest, a Dei nutu et iussione nunquam discedit.

XII. *Transformatio in Deum*, sicut dicit Apostolus (Gal. 2, 20): *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Nec vero transformatio ita intelligenda est, quasi homo naturam propriam deserat, et in Deum conversus esse divinum acquirat, hoc enim fieri nequaquam potest. Sed dicitur homo in Deum transformari, quia veteris Adae miserias exuens, Christi novi hominis virtutem induit, eiusque divinas proprietates, quantum homini licet, imitatur.

Hi duodecim fructus ex perfecta erga Deum charitate oriuntur: ut autem charitas respicit proximum, tres etiam fructus parturit, qui sunt neminem temere iudicare, nemini obloqui, omnes opere et exemplo iuvare. Verus enim fratrum amator bene, ut decet, de omnibus sentit, honorifice de omnibus loquitur, bonisque operibus, ac beneficiis omnes adiuvat, ut potest.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Nemo negabit, Matrem nostram esse Mariam; cum et ipsa sub cruce nos genuerit: si ergo, qui honorat patrem suum et matrem suam, longaevus erit super terram, ut ait Dominus; quid non obtinebis tu, qui honoras Mariam, quae et Mater tua et Mater Dei est? (Ex Opusc. « *Piissima* »).

MARIAM INVOCA. — Reminiscere miserationum tuarum, Domina; et releva peregrinationem incolatus nostri (S. Bonav.). Ab omni perturbatione libera servos tuos; et fac eos vivere, sub pace, et protectione tua (id.). — Ave honorificentia et gaudium populi nostri, dulcissima Virgo Maria; esto fortitudo nostra, respice tristitiam cordis nostri, et recrea nos servos tuos benignissima praesentia pietatis tuae!

MARIAM LAETIFICA. — Celeberrima B. M. V. templa et sacella devotissime visita (nulla neglecta opportunitate), ubi proposita maioris fervoris et perfectionis renova, et te, tua, tuosque omnes maternali B. Virginis curae committe. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

TRACTATUS DE VIIS PERFECTIONIS SPIRITUALIS ET PRIMO DE VIA PURGATIVA

CAP. I. — DE VIIS QUIBUS PERVENITUR AD PERFECTIONEM

221. — **Monitum.** — « Via coelestis ambulantes quaerit : tria sunt hominum genera quae odit : remanentem, retro redeuntem, aberrantem : excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntes revocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi » (S. Aug.). Tu ergo qui in via Domini ambulas, indesinenter memento quod sis in terris *viator*, et « Viator dicitur, qui praesentem vitam, viam sibi esse, et non patriam attendit, qui in dilectione praetereuntis saeculi cor figere despicit, qui nec remanere in transeuntibus, sed ad aeterna pervenire concupiscit » (S. Greg.).

222. — **Definitio.** — Via *etymologice* sic dicitur : *quia per eam unusquisque transeuntium viatur*, ait Cassiodorus, sive *litteraliter*, sive *metaphorice* ut in praesenti tractatu. — Unde metaphorice sunt viae iniquitatis, viae sanctitatis, imo aliquo sensu tot viae quot sunt hominum vivendi normae seu modi, ut multipliciter probant Doctores « Septem sunt viae difficiles (ait S. Antonin.) : via montuosa, via spi-

nosa, via lutosa, via tenebrosa, via tumultuosa, via sumptuosa, via taediosa. Via montuosa, superborum; via spinosa, avarorum; via lutosa, luxuriosorum; via tenebrosa, invidorum; via tumultuosa, iracundorum; via sumptuosa, gulosorum; via taediosa, acediosorum ». Et viam devotorum sic describit S. Bonaventura: « Quadruplex est via: Via a qua, via in qua, via per quam, via ad quam. Via a qua imus, est peccatum; via in qua imus, sunt virtutes et bona opera; via ad quam tendimus et per quam imus, est Christus ».

223. — VIA PERFECTIONIS est *quaedam ordinata devote vivendi ratio ad charitatis augmentum quotidie obtinendum.* — Duplex est: *late*, vel *stricte* sumpta.

224. — VIA PERFECTIONIS LATE SUMPTA est *legitima quaelibet devote vivendi ratio in ordine ad perfectionem charitatis*, ut v. gr. via zeli animarum, via mortificationis, via studii specialis circa lectionem spiritualem, via habitualis sanctique timoris, via specialis fiduciae et spei, via tribulationis et patientiae, etc.: quia in omnibus hisce viis anima quamplurima pia opera vel exercitia facit quibus ad perfectionem tendit.

225. — VIA PERFECTIONIS STRICTE SUMPTA *est generalior et quasi habitualis animae vivendi ratio in ordine ad perfectionem charitatis per continuas mentis ascensiones obtinendam.* Dicitur *quasi habitualis*, quia vir perfectionis studiosus semper tendit ad perfectiores sanctitatis gradus.

226. — Hinc, nomine *viae perfectionis* haec ultima tantum, seu *stricte sumpta* communiter in scientia ascetico-mystica intelligitur, cum priores viae, seu *late sumptae* sint potius *modi tendendi* ad perfectionem, quam designationes status animarum relate ad

perfectionem. Ergo agendum de *viis* perfectionis *stricte sumptis*.

227. — **Divisio.** — *Via perfectionis* melius vocatur *via ad perfectionem*, cum in hac vita semper proficere possimus. Et quoniam in via seu itinere adest *terminus a quo, terminus per quem* et *terminus ad quem;* sequitur quod in via perfectionis considerare debemus *quid relinquere debemus*, *quo pervenire intendimus*, et *media per quae* perveniemus. Relinquere et detestari peccata, ad unionem cum Deo tendere, et per virtutes ad id laborare debemus.

228. — Vita hominis secundum intellectum (qui est vel practicus vel speculativus) convenienter dividitur in *vitam activam* et *contemplativam*, ac consequenter etiam in *vitam mixtam* ex activa et contemplativa.

229. — Doctores Mystici dividunt vitam spiritualem in *vitam activam, contemplativam et mixtam. Mixta* autem est perfectior in specie, nam quaelibet longe superior evadere potest ex perfectione individuali. Status religiosus vitae contemplativae est perfectior statu religioso vitae activae; ambo vero superantur a vita mixta, ut probant AA.

230. — Differentia statuum seu viarum recte attenditur secundum incipientes, proficientes et perfectos, quia datur principium, medium et finis in libertate iustitiae a servitute peccati, ut docet Angelicus in Summa passim. Hinc, Via perfectionis dividitur in *Viam purgativam,* seu incipientium, *Viam illuminativam* seu proficientium, et *Viam unitivam*, seu perfectorum. — Via purgativa est *illa in qua homo ad Deum conversus, discedit a peccatis; sive in qua anima a peccatis purgatur, et ab affectu ad peccata.* — Via illuminativa est *illa in qua anima a peccatis purgata, illuminatur per virtutes, et roboratur in charitate.*

per augmentum charitatis. — VIA UNITIVA est *illa in qua anima a peccatis purgata, et virtutibus illuminata et exornata, principaliter intendit ut Deo inhaereat, eo fruatur, et in Deo quiescat,* et consequenter Deo in omnibus placere studet. — Ergo *in via purgativa* anima purificatur a sordibus ; *in via illuminativa* accipit ornamenta quibus decoretur ; *in via unitiva* anima Deo charissima efficitur.

231. — **Existentia trium viarum perfectionis.** — *Datur in vitae spiritualis notione triplex via: purgativa, illuminativa, et unitiva,* ut constat ex dictis alibi. *Probatur etiam,* 1° ex D. Thoma : « In omni autem humano studio est accipere principium, medium et terminum ; et ideo consequens est quod status spiritualis servitutis et libertatis secundum tria distinguatur, scilicet secundum principium, ad quod pertinet status incipientium ; et medium, ad quod pertinet status proficientium ; et terminum, ad quem pertinet status perfectorum » (2, 2, q. 183, a. 4).

232. — 2° Ex sequenti damnata Molinos prop. 26 : « Tres illae viae : purgativa, illuminativa et unitiva, est absurdum maximum quod dictum fuerit in Mystica ; cum non sit nisi unica via, scilicet interna ».

233. — 3° Perfectio christiana consistit in ipsius charitatis perfectione : ad charitatis autem perfectionem pervenitur per tria diversa stadia, id est incipiendo a fuga peccati, proficiendo per virtutum acquisitionem, et Deo specialiter inhaerendo per exercitium praedominans ipsius charitatis. Ergo...

234. — *Tres illi gradus seu viae non debent nec possunt stricte seorsim sumi, sed simul ad perfectionem pertinent.* Aliter perfectus dici posset qui mortalia peccata tantum vitaret. Hinc requiritur, ut qui sunt in via purgativa tendant ad illuminativam, et qui

in illuminativa ad unitivam, imo qui in unitiva, semper tendant ad maiorem charitatem et unionem cum Deo. Ergo tres viae sunt gradatio qua anima ascendit ad Deum per amoris desiderium et charitatis augmentum. Unde semel atque iterum dicendum cum S. Bernardo: *Indefessum proficiendi studium, et iugis conatus ad perfectionem, perfectio deputatur.*

235. — **Distinctiones** NECESSARIAE AD NOTIONEM TRIUM GRADUUM SEU VIARUM PERFECTIONIS RITE INTELLIGENDAM. — Quoniam non raro ex modo loquendi nonnullorum Doctorum ascetico-mysticorum, fieri posset confusio inter ea quae pertinent ad vias ordinarias, et ea quae vias extraordinarias et arcana mystica respiciunt, sequentia prae oculis habeantur principia sive distinctiones:

236. — *Tres perfectionis gradus non ita distinguuntur, ut unus excludat actus alterius, imo in quolibet gradu interveniunt ex parte aliorum graduum quaedam manifestationes, tamquam saluberrima adiumenta.* Etenim, « constat hos tres status nunquam esse in via ita condistinctos, quin unusquisque illorum aliquid de caeteris participet. Quilibet ergo illorum ab eo quod in ipso praedominatur nomen et rationem accipit. Nam imprimis in hac vita nunquam ad eum gradum perfectionis pervenitur in quo proficere homo non possit et debeat » (Suarez).

237. — « Licet in omnibus his tribus gradibus, illos habentes semper proficiant, haec tamen nomina eis accommodantur, iuxta exercitia quae unusquisque habet, cum hoc tamen stat, quod in omnibus his tribus statibus purgantur imperfectiones, quamvis purgatio sit propria viae purgativae, et etiam in via purgativa, et illuminativa incipientes, et proficientes aliquo modo attendunt unioni Dei, quamvis haec

unio sit propria viae unitivae et perfectorum. Et ratio est, quia hi omnes amant Deum super omnia, siquidem sunt in charitate, quae eos inclinat ad hanc unionem, et omnes etiam perfecti habent aliquam imperfectionem a qua debent semper purgari, quin desinant esse personae perfectae charitatis » (Ant. a Spir. Sancto).

238. — Hinc in quolibet gradu, anima vigilare debet contra diabolicas fraudes et peccandi pericula, in virtutibus exerceri, et Deo adhaerere saltem ad supernaturalem vitam semper habendam et abundantius habendam.

239. — Ergo *viae seu gradus desumi debent ex forma quae magis et generalius dominatur in anima in propria perfectione laborante*. Sic, ubi charitas dominatur, seu magis elucet, habetur via unitiva; ubi timor et spiritualis pugna, via purgativa; ubi conatus virtutum per spem, via illuminativa.

240. — *Ordinario viae perfectionis successive procedunt, non vero per saltum*. Constat ex ipsorum perfectionis graduum notione. Dixi, *ordinario*, quia aliquoties ex magnae divinae misericordiae et bonitatis dispensatione, anima potest per vere singularem et extraordinarium seu miraculosum gratiae interventum a profundo abiectionis et peccatorum ad altissimos charitatis gradus subitaneo sublimari, ut S. Maria Magdalena et alii. Et ex hac consideratione, viri sancti non pauca compassionis et humilitatis erga magnos peccatores deducunt incitamenta.

241. — *Ex divinae providentiae supernaturali dispositione, quicumque in palaestra perfectionis incipit et perseverat, perveniet ad charitatis ardorem*. Quia, quamvis gratia sit semper gratuita, ut dictum est in Theol. Dogmatica, Deus tamen vult ut homo divinae gratiae respondens active et indefesse adlaboret ad

perfectionem obtinendam. Et licet favores mystici, vera viae unitivae ornamenta, sint rari, non tam rari dicendi sunt fideles qui ad *ordinariam* viam unitivam Deo dante perveniunt. Vocat semper nos Deus ad perfectionem charitatis : utinam vocanti semper responderemus !

242. — *Absque speciali vocatione, quae nemini debetur neque promittitur, homo non sublimatur ad communicationes viarum mysticarum proprie talium.* Hinc viae mysticae sunt dona omnino gratuita quae Deus concedit cui vult, et quando vult, et quomodo vult; unde huiusmodi donis carent (nisi a Deo vocentur ad vias extraordinarias seu mysticas stricte sumptas) etiam devotissimae animae quae purgatae et illuminatae, in charitate iam fortiter roboratae et amoris igne succensae sunt.

243. — *Manifestationes mysticae stricte sumptae pertinent generatim ad viam unitivam seu perfectorum.* Quia Deus non solet animae extraordinaria dona perfectionis concedere, antequam ipsa per ordinarias vias purgationis et illuminationis fideliter pertransierit, et speciali charitatis ardore ipsi iam unita fuerit. *Attamen, aliquando inveniri possunt in aliis viis nonnulli favores mystici*, v. gr. visiones, extases : quo in casu, per illos favores Deus in sua bonitate et misericordia intendit exceptionem concedere ad alliciendam animam imperfectam ad charismata meliora, seu ad viam magnae perfectionis, ubi facilius spectari possunt mysticae communicationes.

244. — **Concludendum.** — I. Non confundendae, neque minus faciendae tres perfectionis viae ; neque ita separandae, ut animae unius viae esse iudicentur veluti in circulo e quo non licet aliquoties exire ad flores aliarum viarum colligendos. — II. Viae perfectionis non confundendae cum extraordinariis viis con-

templationis. — III. Sedulo distinguendae manifestationes seu phaenomena proprie mystica ab actibus viae perfectionis ordinariae. — IV. Secure quis respective et progrediendo in ordinariis viis purgativa, illuminativa et unitiva versatur, quotidie ad meliora adspirans et humiliter Deo serviens. — V. Attendendum multo magis ad animae purificationem, illuminationem et ad charitatis augmentum, quam ad favores extraordinarios. — *Ergo antequam consideremus altissima contemplationis arcana, agendum est de singulis ordinariis viis perfectionis.*

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Piissimus Deus providit nobis de advocata, quae tota mitis, et suavis est; nihil in ea invenitur asperum, nunquam ex ea processit verbum durum (S. Antonin.).

MARIAM INVOCA. — Ave periclitantium auxiliatrix et iucunda libertas, fons gratiae et consolationis: ave peccatorum refugium atque diversorium: ave laborantium propitiatorium: ave spes omnium proborum adversis casibus afflictorum, dulce conversorum solamen atque praesidium (S. Ephrem).

MARIAM LAETIFICA. — Amore christianae solitudinis et silentii. « Qui igitur intendit ad interiora et spiritualia pervenire, oportet eum cum Iesu a turba declinare » (Kempis). — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. II. — DE VIA PURGATIVA IN SE.

245. — **Praenotandum.** — Ad perfectionem nemo tendit qui a peccatis mortalibus mundari non vult, et charitatem obtinere. Siquidem « primus effectus charitatis in hominibus iustificatis est, ut homo a peccatis discedat, et ideo mens charitatem habens, circa hoc maxime occupatur, ut a peccatis praeteritis emendetur, et a futuris praecaveat, et quantum ad hunc effectum dicitur charitas incipiens... Charitas in incipientibus nutritur, in proficientibus roboratur, in perfectis perficitur » (Ant. a Spiritu Sancto). Agemus de *via purgativa activa,* seu in qua homo a Deo adiutus laborat ad se a vitiis purificandum. Alibi describentur arcana purgationis passivae, cuius modus, tempus et duratio pendent a misericordiosa dispositione et permissione divina.

Art. I. — **De vera notione viae purgativae.**

246. — **Errores** quae viam purgativam aliqualiter respiciunt. — I. *Pelagiani* ex Schola Stoicorum prodeuntes volunt, iustum pervenire posse in statum in quo nullum peccatum committat, nec ulla passione afficiatur. — II. *Beguardi* et *Beguinae* contendunt, hominem tantam perfectionem acquirere posse, quod reddatur penitus impeccabilis, et amplius nequeat proficere. — III. *Illuminati* dicebant, quod possit homo ad eum perfectionis gradum pervenire, ut gratia animae facultates submergat, nec possit omnino nec progredi nec regredi. — IV. *Quietistae* dicebant, quod per viam internam pervenitur ad continuo consistendum immobiliter in pace quadam imperturbabili.

247. — *Absurditas tot errorum imo haeresum eruitur non tantum ex expressa eorum per Ecclesiam damnatione, sed etiam ex consectariis quae ex talibus erroribus oriuntur.* Omnes siquidem tendunt ad pigritiam animae legitimandam, ad vigorem spiritualis pugnae destruendum, ad superbiam fovendam, ad peccatorum occasiones nihili faciendas, ad activitatem virtutum tollendam, etc. Et quamvis praedicti errores etiam aliis viis adversentur, nihilominus in tota vita spirituali specialiter tendunt ad actus et fructus purgationis (in omnibus viis huius exilii plus minusve necessariae, ut dictum est alibi) impediendos et destruendos.

248. — **Notio viae purgativae.** — Via purgativa, ut dictum est, *est ea in qua homo a peccatis purgatur et ab affectu ad peccata;* VEL *ea in qua incipientes, per fugam peccati, opera orationis et mortificationis, ad christianam perfectionem contendunt.* A B. Dionysio Carthusiano definitur: *Via purgativa est conatus seu studium animae, quo tamquam per iter et medium quoddam tendit ad cordis emendationem a passionibus, ignorantiis, erroribus et peccatis, vacando poenitentiae actibus, corpus quoque subiiciendo spiritui, sensitivam partem rationi* (1).

(1) In notionibus *viarum perfectionis* semper prae oculis habenda est haec eiusdem B. Dionysii Carthusiani doctrina, *De fonte lucis, a.* 12: « Praedictarum trium viarum una aliam secundum aliquem gradum comprehendit atque includit: quoniam via unitiva purgativam illuminativamque praesupponit, nec sine illuminatione contingit Deo uniri, amore perfici, aut charitate affici. Conformiter via illuminativa unitivam quodammodo comprehendit, quoniam divinorum cognitio nec contemplatio nec illuminatio proprie nuncupatur, nisi dilectionis affectu formetur ac perficiatur. Sic et via purgativa aliquid habet ad-

249. — **Officium viae purgativae** multiplex: 1° *Eludere ipsas sordes ac naevos tam conscientiae quam morum* (1). Ergo, ante omnia, anima anteactam peccatorum vitam detestetur, et reconcilietur cum Deo. 2° *Debite corrigere superiorem hominis partem, intellectum, memoriam et voluntatem.* Ergo invigilandum. 3° *Mortificare et edomare appetitum sensitivum, passiones et sensus.* Ergo pugnandum.

250. — **Finis viae purgativae** est: *Exuere veterem hominem cum actibus suis, et induere novum qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate,* iuxta illud D. Pauli *ad Ephes.* 4. — Unde, viae purgativae specialiter applicari potest quod habet Taulerus: « Hoc faciunt et huc spectant omnes ritus, cunctaque opera et exercitia, ut fundum habeamus expeditum ab omnibus ipsius (i. e. Dei) operationem praepedientibus, nihil continentem nisi solum Deum ».

mixtum de via illuminativa et perfectiva, quoniam sine verae sapientiae directione, charitate et gratia, nemo purgatur a culpa, nec passiones reformat ».

(1) S. Th. 2, 2, q. 24, a. 7: « Primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato et resistendum concupiscentiis eius, quae in contrarium charitatis movent; et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur ». — In 3, dist. 20, a. 1, q. 1: « Primus ergo effectus charitatis est ut homo a peccato discedat: et ideo mens charitatem habentis in primis circa hoc maxime occupatur ut a peccatis praeteritis emundetur, et a futuris praecaveat, et quantum ad hunc effectum dicitur charitas incipiens ». — In 3, dist. 33, q. 2, a. 3: « Finis autem proximus humanae vitae est bonum rationis in communi; unde dicit Dionysius in IV cap. *De div. nom.*, § 32, quod malum hominis est contra rationem esse: et ideo est intentum in omnibus virtutibus moralibus, ut passiones et operationes ad rectitudinem rationis reducantur ».

— « Cum incipis, magis debes niti ad munditiam vitae: cum proficis, ad odorem bonae famae », ait S. Anton. Patavinus. — Fortiter ergo pugnandum a principio ut anima indesinenter mundetur et dealbetur: « Inchoasti aliquid boni? non revoceris per impedimenta inimici, quoniam et ipse inimicus patientia tua destruetur » (In Vit. Patrum).

251. — **Terminus viae purgativae** *est totius hominis reformatio ac renovatio*, consistens 1° in puritate conscientiae; 2° in correctione potentiarum et sensuum. — Nota tamen quod haec omnia in via purgativa non inveniuntur nisi in statu imperfecto; unde renovatio et correctio respiciunt praecipue quasi essentialia et magis necessaria ad gratiam nutriendam et fovendam, ne impediatur per passiones adhuc insufficienter mortificatas, vel expellatur per peccatum grave.

252. — **Signa quibus cognosci potest quemdam pervenisse ad terminum viae purgativae.** — I. Si habeat totalè odium peccati et fugiat occasiones; — II. Si propriam voluntatem et amorem et reliqua veteris Adae ita evacuaverit, ut ad rectae rationis praescripta facile reducat; — III. Si exortas in se cupiditates facile coerceat, et appetitum eiusque passiones sufficienter edomuit; — IV. Si inutilia a sensibus amovit, etc. (1).

(1) Morotius, I, 5, 4: « Ipsa autem purgatio sic perficienda est, ut habitus vitiosi penitus eradicentur; malae propensiones, et appetitus immoderati, quoniam prorsus evelli nequeunt, sub imperio rationis coërceantur, tentationes expugnentur; occasiones extrinsecae sive ex convictu, sive ex loco, sive ex officiis, et negotiis, si fieri possit, excidantur; vel saltem animus adversus eas variis excogitatis remediis praemuniatur; axiomata quaedam politica exterminentur, quae non admodum cum christiana simplicitate concordant; fraenum linguae ac sensibus

253. — Ergo, habitualis cura resistendi concupiscentiis, mortificandi passiones ab eisque abstrahendi, ut charitas nutriatur et foveatur, omnino requiritur, ut quis ad terminum perveniat viae purgativae.

254. — Nota quod haec via, licet imperfecta, tamen praesupponitur ad perfectionem consequendam. Etenim cum optima dispositione ad servanda praecepta, importat etiam passionum mortificationem, et propositum perveniendi ad placendum Deo in omnibus. Ergo totis viribus conemur vineam animae nostrae quotidie emundare; et ad meliora aspirantes, humiliter et fiducialiter *semper adlaboremus* ut magis magisque Deo placeamus. Etenim: « nihil in sancto proposito otio deterius est, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam parata consumit » (S. Hieron.). Considera insuper quod « quatuor sunt quae revocant a bono proposito: amor voluptatum, ambitio dignitatum, timor asperitatis, diffidentia persistendi » (Hugo Card.).

255. — **Tempus seu duratio viae purgativae.** — « Magistri spirituales debent maxime attendere, ut eius discipuli non plus temporis in via purgativa et illuminativa insumant, quam opus sit, nec debent eos accedere, sed iuxta profectum uniuscuiusque illos facere transire de via purgativa ad illuminativam, et ab hac ad viam unitivam. Unde postquam aliquis per aliquot menses sua peccata deploraverit, si iam

imponatur; usus eorum, quae corpori iucunda sunt, ad iustum moderamen discretione magistra redigatur; ipsum corpus ieiuniis, cilicio, flagellis, aliisque poenalitatibus iuxta cuiusque vires castigetur, et exerceatur. Atque hoc pacto nihil erit, quod nostram censuram effugiat, nihil, quod a nobis non recte, et prudenter fiat, ut hominem decet rationis compotem, bonique infiniti capacem ».

ab habitibus malis videatur purgatus et in virtutibus appareat radicatus, debet ei consulere, ut transeat ad viam unitivam, dummodo non omnino omittat duas vias antecedentes, sed in eis magis perficiatur » (Ant. a Spir. S., Direct. Myst. tr. 1, disp. 1, sect. 7). — Cui concordat S. Ioannes a Cruce, qui monet directores ne in meditatione, seu in via meditativa, detineant discipulos, plusquam necessarium erit (1).

Art. II. — **Monita generalia circa viam purgativam.**

256. — Nota. Quoniam Directores debent opere et sermone alios docere, opportunum iudicamus variis sententiis Patrum et Doctorum doctrinam viae purgativae illustrare.

257. — I. Fugienda excessiva scrupulositas, seu uti dicunt, exclusivismus, in modo exercendi viam purgativam. — Etenim, ait Ant. a Spir. S. ibidem: « aliquando permittenda sunt incipientibus et pro-

(1) *De duratione viarum perfectionis*, teneto cum Marotio: « Nonnulli longitudine viae deterrentur existimantes virtutis consecutionem lentum esse negotium, ac multorum annorum. His autem respondere possumus, tantae excellentiae esse virtutem, ut quamvis toto tempore vitae nostrae ad eam comparandam laborare deberemus, labor noster non esset inutilis, et infructuosus. Nam *quod est in praesenti momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternae gloriae pondus operatur in nobis* (2, Cor. 4, 17). Sed praeterea dicendum est, a nobis ipsis procedere omnem moram, et dilationem profectus nostri. Possumus enim si volumus, una die, imo vel

ficientibus exercitia perfectorum per aliquod breve tempus, ut in die Natalis Domini et Spiritus Sancti, qui dies sunt dedicati amori Dei, quod est exercitium proprium perfectorum. Et ratio est, quia in his et similibus diebus convenit, quod incipientes omittant propria exercitia, et exercitiis perfectorum accommodentur, seipsos conformando cum sanctae Ecclesiae spiritu, quae tunc temporis tota Dei amore inflammatur. Et vice versa dicendum est de perfectis, nam hi etiam solent aliquando facere maximas poenitentias et mortificationes, et sua deplorant peccata, quasi nunquam deplorassent, quae sunt propria incipientium: quae omnia debet prudens confessor attendere, et disponere iuxta cuiuscumque capacitatem ». Ergo omnia ita moderanda et disponenda, ut anima facilius, libentius, securius et perseveranter Deo serviat, et in viis Domini ambulet semper proficiendo.

258. — PER PECCATUM GRAVE IN VIIS PERFECTIONIS FORTE COMMISSUM *(et contritione seu sacramento poenitentiae iam expiatum), devotus non collocatur iterum in primo purgationis gradu, seu non excluditur a via perfectionis in qua versabatur ante peccatum*

unica hora ad culmen sanctitatis pervenire, si toto corde aversi a creaturis, convertamur ad Deum. Fiet quoque brevissimum nobis iter ad perfectionem, si viriliter accingamur operi strenue pugnantes adversus vitia, et prava desideria; si certum nobis scopum, et finem proponamus, puritatem scilicet cordis, et perfectionem charitatis; si ad hunc finem certis remediis, certoque ordine, ac methodo properemus; si diurnis nocturnisque horis recte distributis singulis exercitiis proprium tempus assignemus; si tandem post factam vitae ac status electionem in vocatione nostra constanter perseveremus ». (Cursus vitae sp. I, 2, 18).

post conversionem commissum (1). — « Si aliquis proficientium, vel perfectorum, ait Ant. a Spir. S., in aliquod peccatum grave forte inciderit, non ob id debet relinquere sua exercitia, redeundo iterum ad statum incipientium, sed debet per aliquot dies suum peccatum deplorare, et de eo agere poenitentiam, iuxta consilium sui Magistri spiritualis, et iterum redire ad cursum suorum exercitiorum, quae antea habebat. Ratio est, quia qui hoc modo cadit, frequentius maiori fervore surgit, quam antea habebat; et quamvis peccaverit, non ob id perdidit habitus acquisitos virtutum, nec uno, aut paucis peccatis acquisivit habitum peccandi, ad quem extirpandum sit necessaria via purgativa. Quod confirmari potest exemplo Sancti Petri et Sancti Thomae Apostoli, qui non ex eo quod peccarunt, reliquerunt exercitium proficientium, vel perfectorum. Tum quia tales lapsus (vere timendi) saepe sunt proficientibus, vel etiam perfectis occasio melius proficiendi, quae sunt valde notanda » (tr. 1, disp. 1, sect. 7).

259. — Unde fideles nuper conversi a via peccatorum, non debent animo deficere ob subitaneam fragilitatem, sed statim poenitere, ferventius orare, et fortius pugnare. Dicito tamen frequenter: O Do-

(1) Blosius, Can. vitae sp. cap. 2 : « Si graviter aegrotas, si superbiae, vanae gloriae, iracundiae, invidentiae, gulae, avaritiae, vel cuiuslibet alterius vitii morbo periculosius laboras, non propterea spem salutis abieceris; sed accede cum fiducia ad coelestem Medicum, accede ad Iesum, roga ut manum adhibere dignetur. Misericordissimus est, piissimus est: non refugit, non a se repellit infirmos, non eorum consortium abhorret, sed ultra quam dici possit eorum commiserescit. Omnino paratus est te sanare, modo morbum aperias, modo sanitatem ex animo desideres, modo te humilies, et in eo confidas ».

mine, concius ingratitudinis, negligentiae, vanitatis et superbiae meae, timeo ne punias me subtractione gratiae tuae, miserrimeque cadam; castiga me, Pater benignissime, mortifica me, humilia me, ut discam et custodiam iustificationes tuas, sed libera me a lapsu, libera me a morte animae meae, libera me ab omni peccato!

260. — III. Relapsus in imperfectiones (1). — *A fortiori dicendum est quod relapsus in imperfectiones*

(1) Audiatur Blosius: « Non fueris etiam nimium pusillanimis propter quotidiana peccata quae invitus [i. e. ex fragilitate et quasi ex surreptione] committis. Nam quemadmodum singulis diebus in multis saltem leviter offendimus: ita quotidianas expiationes habemus in promptu, quibus huiuscemodi peccata deleantur. Est sancta confessio, est gemitus, est fletus, est sacra lectio seu verbum Dei, est eleemosyna, est hospitalitas, est oratio qua Domino dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* sunt aliae precationes, aliaque pietatis, misericordiae, et charitatis opera. Ergo culpam tuam agnosce, plange, suspira, renova propositum: placide ad hoc labora, ut ipsas offensas evites; reliquum Deo committens, teque in eum proiiciens. Ipse enim inscrutabili sapientiae suae consilio saepe huiusmodi negligentiarum naevos nobis inhaerere permittit, ut semper humiliemur, et de nobis penitus diffisi, in eo speremus; utque vitiis ipsis viriliter resistentes, utiliter exerceamur, et tandem gloriose coronemur.

« Aliud est, labi in levia peccata ex occasione aut humana fragilitate dumtaxat: et aliud, labi ex affectata negligentia. Nam qui ex infirmitate sola delinquit, dum liber apud semetipsum est, odit vitia, eorumque vitat occasiones: quando tamen sese offerunt ipsae occasiones, facile aut linguae incontinentia, aut sensuum nimia libertate, aut passione affectioneque indigna, aut consimili aliqua transgressione offendit; sed mox ut ad se redierit, dolet, et penitus aversatur vel minimam peccatorum labem, ob idque veniam repente consequitur. Ille

non est argumentum de nullo profectu in perfectione. Etenim, iuxta pii auctoris comparationes, si aliquis ab uno loco in alium ambulet et saepius quidem cadat, sed mox iterum resurgat, et in itinere pergat, an, inquam, talis nullum progressum in itinere faciat, et propius semper ad locum destinatum accedat? Simili ergo modo si devotus post lapsum per poenitentiam cito iterum surgat, et in studio perfectionis alacriter pergat. Nec terrere debet, quod nulla signa profectus deprehendat; nam et hieme nulla indicia fructificandi seminis deprehendimus, et tamen ex illo copiosam suo tempore messem reportamus. Idem de semine seu studio perfectionis speret. — Ergo recte dictum est, quod iugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.

261. — IV. NON DIFFERENDUS INGRESSUS IN VIAS PERFECTIONIS; *ac consequenter tempestive reformemus vitam*

vero qui ex affectata negligentia peccat, dum malorum occasionibus e medio sublatis liber apud semetipsum esse potest, miris modis concupiscit easdem occasiones, illisque plurimum afficitur, non sane propter peccatum, sed propter oblectationem. Labitur quidem et ipse ex fragilitate fortassis, sed non ex mera fragilitate: qui tamen, si statim post culpam admissam innovato proposito vere poenitentiam ageret, ipse quoque, celerrime obtineret veniam...

« Scito autem, quia ipsa leviora peccata efficacius in te delebuntur, si culpam agnoscens, humiliter et amanter te ad Deum converteris, quam si ea morosius apud temetipsum pertractare, et in eorum consideratione diutius cum pusillanimitate occupari volueris. Sive gravia, sive levia sint, constanter permane in sancta erga Deum fiducia, proiiciens illa in abyssum misericordiarum eius, ut ibi penitus absumantur et depereant. *Nihil enim damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu: qui non secundum carnem ambulant;* quin potius *iustificati in sanguine ipsius, salvi erunt ab ira per ipsum* » (Blosius, Can. vitae sp. cap. 3).

nostram. — « Primum est, ait S. Bonaventura, ut homo sit impiger, et agilis ad incipiendum, et faciendum bonum quod ex Divina inspiratione intelligit faciendum : multum enim profectum negligimus, eo quod taedet nos bonis studiis virtutum insistere ex horrore difficultatis. Si autem voluntatem faciendi habemus, hanc de tempore in tempus differimus, et procrastinamus, et interim irrecuperabiliter perdimus et tempus, et meritum, quod lucrari poteramus ». — « Hinc fit saepe, addit Richardus, ut dum vitam nostram corrigere disponamus, semper tamen differamus, ut dum hoc fieri in futuro proponimus, fit, ut illud futurum semper sit futurum : immo fortassis nunquam futurum'».

262. — V. Excusationes non admittendae. *Imperfecti falsas adducunt excusationes, dicentes se non posse difficultates superare et firmiter reformationem vitae incipere.* « Siquidem ex propria negligentia, frigida remanent corda multorum, quaerulantium sibi deesse gratiam, cum magis gratia ipsa conquaerere habeat, se non habere factores bonorum operum. Vix enim est aliquis, ut dicit Bernardus, qui in his quae Dei sunt, experiri velit quid possit Dei gratia adiutus » (Harp., lib. I, cap. 18). *Dicendum ergo:* « Dum quis quod est in se facere studet, haud dubium quin, et Deus cooperetur, et ubi natura succumbit gratia illi fert suppetias » (Taulerus).

263. — VI. In via purgativa homo agit principaliter vitam poenitentiae, *quam tamen nunquam relinquet etsi perfectior evadat*, ut patet ex praxi omnium perfectionis amatorum et ex Doctorum loquendi modo. — « Quaerat aliquis fortasse, ait Taulerus, quae sit vitae poenitentialis essentia, et veritas? Nihil sane aliud, quam vera aversio ab omnibus extra Deum ; et integra perfectaque conversio ad purissimum illud

bonum, quod est idem ipse Deus; quod quis studiosius, et abundantius facit, ille plus quoque agit poenitentiae ». — Et addit: « Sed quaerendum nobis est, quid sit vera poenitentia? Non modica pars verae poenitentiae est, ut quando gratissimum foret loqui, si absque peccato tacere potes, digito compescas labellum, et Dei amore silentium imponas ori tuo; et quando oculi cum delectatione aliquid intueri maxime cupiunt, ipsos propter Deum claudas, vel avertas; et ut paucis absolvam, ab omnibus ad quae sensus cum delectatione procliviores sunt, quaeque magis appetunt, te avertas ». — Quae cum grano salis intelligenda, ad inquietudinem vitandam.

264. — VII. Via purgativa importat specialem vigilantiam adversus antiquos animae hostes. « Convertenti se ad Dominum, maior cura oritur, ne avertatur donec carnalium negotiorum requiescat impetus effraenatus consuetudine diuturna, et tumultuosis recordationibus conversioni eius sese ingerens » (S. Augustinus). In omnibus viis vigilandum contra leonem rugientem, sed principaliter in via purgativa.

265. — VIII. Primordia viae purgativae interna dulcedine comitari solent. — Unde, anima purganda in ipso interno solatio roboratur contra futuros labores. « Quisque in ipso conversionis initio magna plerumque dulcedine consolationis excipitur, sed durum laborem postmodum experitur probationis » (S. Greg. Magn.). Unde non semper lacte nutritur, sed et duro pane roboratur. Meminerint ergo et magistri et discipuli quod: « Conversos prius dulcia suscipiunt, quae consolentur; postmodum amara, quae exerceant; et tunc demum suavia atque salubria, quae confirment » (Id.).

266. — IX. In viae purgativae initio, *expedit firmiter sibi proponere assecutionem magnae perfectionis.*

— Attamen Directores non desperent de tepide incipientibus. Etenim « saepe electorum conversio plus finiendo peragit, quam inchoando proponit, etsi tepidus prima inchoat, ferventius extrema consummat » (S. Greg.).

267. — X. Ne mirentur convêrsi si bellum acrius sustinere debeant. — Etenim inimicus vim facit ne totaliter expellatur. — « Vitia ante conversionem, quasi pacem in homine habent; quando autem expelluntur post conversionem, acriori virtute consurgunt. Fiunt inimica converso quae peccatori prospere blandiebantur, et fiunt blanda converso, quae peccatori adversa extiterunt. Ante conversionem praecedit turba peccatorum, post conversionem, sequitur turba tentationum » (S. Isidor.).

268. — XI. Discretio adhibenda, ne conversi inhabiles fiant ad exercitia devotionis, et postea sibi nimis indulgentes, recedant a via perfectionis. — « Quamplurimos, qui sustinuerunt maximum certamen in conversatione sanctissima, indiscretio interfecit » (S. Ant. Ab.). *Et melior discretionis acquirendae modus est renuntiatio propriae voluntati:* « Nihil sic spiritum discretionis extinguit, quomodo voluntas propria, subvertens corda hominum et rationis oculos claudens » (S. Bern.). Aliunde: « quidquid modum excedit, et discretionem non tenet, nec Deo placet, nec diu durare solet » (Kempis).

269. — XII. Fortiter et suaviter disponendae res viae purgativae. — Etenim valde necessaria est pugna in hac via, sed et ipsa requirit modum ordinatum, ne pax animae perturbetur, et minus habilis fiat ad diabolicas fallacias vitandas et repellendas. — « Tu fortiter inchoas, tepide consummas: cur? quia non disponis omnia suaviter, nec scis operari sapienter. Incipis, curris, festinas, lassaris, deciperis:

non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis » (Hugo a S. Vict.). — Generatim « nemo repente fit summus; sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat » (Haymo). — Nota quod quando per miraculum quidam transit de statu gravissimi peccatoris ad statum viae unitivae, « in ipsa unitiva exercet actus viae purgativae et illuminativae, ad acquirendas virtutes, et destruendos habitus vitiosos, ut accidit in D. Paulo qui de se ait: *Castigo corpus meum* » (Ant. a Spir. Sancto).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est qui invocatam Te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Quis misericordiae tuae, o Benedicta, latitudinem et sublimitatem queat investigare? (S. Bern.).

Mariam invoca. — Per Te enim instauratae sunt ruinae coelestis Hierusalem, ac expectantibus miseris vita perdita data (Id.). — Ave, devotionis exemplar; ave, meditationis magistra; ave, contemplationis doctrix; ave, via dulcissima et securissima sanctitatis.

Mariam laetifica. — Oremus pro Pontifice nostro Maximo, oremus pro conversione contemptorum Ecclesiae, oremus pro sacerdotalis ordinis incremento et sanctitate. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. III. — DE OPERIBUS VIAE PURGATIVAE GENERATIM.

270. — **Opera viae purgativae**, seu in quibus principaliter exerceri debet anima purganda, ad tria capita reducuntur: *vitare mortalia, venialia, et teporem.* Ratio est quia purgatio importat primario ut anima spiritualiter vivat, ac proinde ut libera sit a peccatis mortalibus utpote quae animam occidunt: deinde ut periculum mortis longe fiat, quod fit per fugam venialium deliberatorum utpote quae disponunt ad mortalia; tandem ut pugna non cesset, quod difficile evadit ubi regnat tepor.

Art. I. — **De Mortalibus destruendis et vitandis.**

271. — **Vitare mortalia.** — Totius vitae spiritualis finis est charitatis augmentum et maior amicitia cum Deo. Unde primo, spiritualiter vivere quis debet et in vita perseverare, ut in via perfectionis esse possit. Vitari debent, id est, destrui per poenitentiam peccata vitae anteactae, et futurorum peccatorum pericula praecaveri, ut non amplius redeamus ad vitiorum coenum.

272. — **Media ad peccata mortalia destruenda et vitanda.** — Haec autem, Deo dante, sequentibus mediis obtinentur: *per sacramentalem confessionem, contritionem, humilem compunctionem, pugnam contra tentationes, fugam occasionum, sui diffidentiam, in Deo fiduciam et orationem.*

273. — **Confessio** (ac consequenter devota susceptio SS. Eucharistiae). — Etenim, praeter ea quae in Theol. Morali dicuntur, iuvat illud S. Bonaventurae considerare: « Fundamentum, ait, et ianua virtutum omnisque gratiae, ac spiritualis consolationis

principium, est conscientiae puritas ac cordis munditia, ad quam principaliter et praecipue per puram et veram ac integram et perfectam confessionem peccatorum acceditur ».

274. — Expedit ut anima purganda, post primam a conversione confessionem, totoque vitae cursu, nunquam obliviscatur *quid fuit;* et quamvis iam perfecte confessa fuerit, bonum erit, saepe aliquod anteactae vitae peccatum clavibus iterum subiicere, non solum ad materiam certam forte praebendam, sed etiam ad dolorem et salutarem confusionem cum merito adaugendum.

275. — Cavendum tamen a nimia circumstantiarum peccatorum iam rite confessorum repetitione: sed sufficit ut quis generali modo, absque scrupulo, et *iuxta confessarii iudicium* confiteatur. Ipsa vero confessionis consuetudo pro viribus sit frequens: utinam singulis hebdomadibus!

276. — Vade ad poenitentiae sacramentum ad animae puritatem quaerendam et adaugendam: esto brevis, modestus, sincerus, et noli tibi, confessario et aliis fidelibus molestus fieri inutilibus historiis et commentariis ad modum quarumdam muliercularum non recte devotarum.

277. — *Notent confessarii:* quod non raro personae devotae exponunt sacramentum poenitentiae nullitati, ob defectum materiae circa quam verum dolorem et propositum conceperint. Unde prudenter instruant eosdem devotos, ut saltem se accusent de antiquis venialibus de quibus vere doleant, v. gr. de impatientiis totius vitae...

278. — **Contritio.** — Praeter Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae accuratam et frequentem receptionem, saepissime magis magisque purgetur anima

per breves et frequentiores contritionis actus, quibus gratia adaugeatur, et horror peccati intensior fiat.

279. — Hugo a S. Victore contritionis motiva ad triplex caput reducit, dicens: « *Dolor cordis triplex: acer, acrior, acerimus. Acer* quia Creatorem offendisti, cuius legem cum coelestia, terrestria conservent, in tanta Republica Dei, tu solus peregrinus es, Imperatoriae Maiestatis dexteram contemnens. *Acrior*, quia cum Creatore Patrem etiam ad iram provocasti, qui tibi ministrat siderum cursus et fructuum ubertatem. *Acerrimus*, qui pertranseat animam, quod beneficium contempseris eius, qui dolorem crucis sustinuit, ne dolorem amplius sustineres inferni ». Dicat ergo frequenter anima purganda: O Iesu, tibi soli peccavi... parce, parce! (1).

(1) Considera etiam turpitudinem peccati, de qua ait S. Th. 3, q. 1, a. 2, ad 5: « Dicendum quod quantitas peccati ex duobus potest pensari; scilicet ex parte Dei, in quem peccatur; et sic infinitatem quamdam habet, prout offensa Dei est, quia quanto maior est qui offenditur, tanto culpa est gravior; vel ex parte boni, quod corrumpitur per peccatum; et sic quantitas culpae finita est, scilicet in quantum est corruptio naturae ». — Et q. 2, *de malo*, a. 9, ad 2: « Dicendum quod mors animae est privatio, gratiae, per quam anima Deo uniebatur; privatio autem gratiae non est essentialiter ipsa culpa, sed effectus culpae et poena... Unde peccatum dicitur mors animae non essentialiter sed effective. Essentialiter vero peccatum est actus deformis et inordinatus ». — In Isai. c. XXIV: « Nota super illo verbo *amara potio*, quia potio peccati est amara, primo propter conscientiae remorsum... Secundo propter mortis metum... Tertio propter divinae dulcedinis defectum... Quarto propter poenitentiae planctum » — In Isai. c. L: « Nota super illo verbo: *In iniquitatibus venditi estis*, quia homo pro peccato vendit multa. Primo animi virtutem... Secundo coelestem haereditatem... Tertio animae libertatem... Quarto divini amoris honorem. » — In Isaï. c. XLI:

280. — **Compunctio** *hic sumitur quasi habitualis animi dolor et quasi continua et humillima recordatio propriae indignitatis*, et merito vocanda *cordis punctio*, qua frequenter ad odium peccatorum incitatur. Eius utilitas est maxima: Si enim « minima (sed vera) contritio omnes animae maculas delet, mortem aeternam occidit, benedictionem Dei Patris confert, amicitiam Filii Dei reddit, familiaritatem Spiritus Sancti, societatem civium supernorum restituit » (S. Aug.); quot quantique spirituales proventus et ad resistendum diabolo vires acquiret anima per habitualem contritionem verbo, ore, opere, interne, externeque per compunctionem adauctam? — Vera compunctio habet socium sanctum timorem, humilitatem, et magnam displicentiam vitae anteactae cum moderamine spei et pacis.

281. — **Pugna contra tentationes** vix enascentes et quocumque modo et tempore animam sive leviori sive acerrimo pulsent bello. — I. Tentationes contra fidem et castitatem potius superantur tentatorem aspernando et animum ad alia vertendo, quam quasi facie ad faciem cum inimico disputando. — II. « Eligamus potius ardere quam cedere: etiamsi gravis tentationum fervor utriusque hominis statum vehementer afflixerit » (S. Bern.). — III. « Vigilandum est praecipue circa initia tentationis: quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur, sed extra limen statim ut pulsaverit,

« Nota super illo verbo: *Onera vestra pondere gravi*, quia peccatum quemadmodum onus fatigat, primo propter sollicitudinem in excogitando... Secundo propter laborem in exequendo... Tertio propter confusionem in recogitando... Quarto propter frustrationem in expectando ».

illi obviatur » (Kempis). — IV. « Diabolus tentat improbe et procaciter, sicut musca; quia saepe repulsus saepe redit: et sicut canis impudens, per unam ianuam pulsus, redit per aliam » (Ioan. Trith.). — V. « Hic est optimus modus contra tentationes diaboli, non litigare cum eo, id est non turbari » (Hugo a S. Vict.). — VI. « Diabolus illum qui recedit ab eo, fortius persequitur, omni peccatorum genere tentans, nunc de isto, nunc de illo: et si forte inveniat otiosum, cito subvertit eum » (Id.). — VII. « Daemonem audit, qui tentationem sentit: exaudit vero, qui tentationi consentit » (S. Greg. Magn.): ergo non confundas sensum cum consensu. — VIII. Si tentatio per aliquod tempus cessat, in pace para bellum; nam « diversis machinis diabolus utitur, et cum certamini manifesto cedit, ad hoc se victum demonstrat, ut vincat; ad hoc fugam simulat, ut persequentem nimis post tergum sagittis occidat » (S. Fulgent.). — IX. « Tantum permittitur diabolus tentare quantum tibi prodest ut exercearis, ut proberis, ut qui te nesciebas a teipso inveniaris » (S. Aug.). — X. Ergo anima purganda speret in Deo, oret, humiliter et fortiter pugnet, inimicum non timeat supra modum, et firmabitur in charitate accipietque coronam victoriae.

282. — **Fuga occasionum.** — I. Considerandae causae generales et praesertim causae particulares anteactorum lapsuum, ut vigilantia rite exerceatur et prudenter. Saepe enim fit ut insidiae diaboli efficaces evadant quia inveniunt homines imparatos aut non recte paratos ad pugnam: proposita enim generalia sive non sufficienter ad casus particulares applicata, inefficaciora evadunt. — II. « Subtrahenda nobis occasio est, et opportunitas fugienda peccati » (S. Bern.). — III. « Tolle originem causae, et

mox occasionem removebis offensae » (Euseb.). — IV. « Quamdiu quis occasiones noxias non vitat, impossibile erit a corde eius perturbationes pravarum cogitationum et incendium improbarum concupiscentiarum recedere » (S. Ephrem). — V. « Difficile est assueta relinquere, et a pristinis vitiis, praesente occasione, abstinere » (Ioan. Trith.).

283. — **Diffidentia sui.** — Experientia enim intelligat purgandus quam fragilis, quam miser, quam pauper sit; meminerit quid fuerit, recogitet quid sit, et videat quid ex seipso erit si Deus ei non auxilietur. Deploret ergo quod fuit, laboret ut melior evadat, et non ex suis viribus, sed ex Dei adiutorio speret quod bene ipsi erit, id est, recte in viis Domini ambulabit et perfectionem assequetur. — Hinc I. « Vere homo habet timere et non praesumere, considerata hominum invalitudine, daemonum fortitudine, et lapsorum multitudine » (S. Antonin.). — II. « Superbum est de non peccandi facilitate praesumere, cum hoc ipsum praesumpsisse peccatum est » (S. Leo Max.). — III. « Nemo se falsa securitate decipiat, ut de suis viribus periculose praesumat » (S. Aug.) (1). — IV. Ergo « noli sperare de te,

(1) Signa verae conversionis, ex Morotio : « Quod si locus coniecturis esse potest in tam difficili negotio, non desunt ad solatium poenitentium signa quaedam, et indicia verae conversionis, ex quibus quisque coniiciat in quo statu sit, et quasi se, ut potest, deprehendat. Si quis nimirum in se ipso affectionem illam inesse animadverterit similem David, qua dicebat (Ps. 118, 163): *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum :* si corpus elevet a terrenis voluptatibus, ut iam anima eius concupiscentiis non feratur, sed magis ipsa regat illud, et ferat quo non vult; si omnem foeditatem tam in se, quam in aliis odio habeat, dicens cum Propheta (eod. Ps.): *Vidi prae-*

sed de Deo tuo ; nam si speras de te, anima tua conturbatur ad te, quia nondum invenit unde sit secura de te » (Id.).

284. — **Fiducia** seu spes in Deo. Omnia poterit purgandus, si iactat super Dominum curam suam, et in eius protectione et bonitate fiducialiter sperat. Timor tui et spes in Dei adiutorio sint duo alae quibus ad sublimia charitatis pedetentim ascendas. Unde, « cuiuscumque rei adipiscendae spem quisque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quam pulchra sit videat » (S. Aug.).

285. — **Oratio.** — Medium quod hic ultimo inserimus loco est medium mediorum ad peccata vitanda et destruenda : oratione siquidem obtinetur gratia bene confitendi, oratione vera contritio, oratione vita compunctionis, oratione vigor ad pugnandum contra tentationes, oratione assiduitas et firmitas ad fugiendas occasiones, oratione diffidentia sui et spes seu fiducia in Deo ; imo oratione obtinetur magna, saluberrima et valde necessaria orandi gratia. — Dicendum ergo : I. « Vere novit recte vivere, qui recte novit orare » (S. Bonav.). — II. Oratio « iram Dei placat, peccatorum veniam impetrat, tentationis impetum sedat, vitia cordis expellit, in periculo liberat, a periculis defendit, difficultates complanat, familia-

varicantes, et tabescebam : si quae retro sunt obliviscens, ad ulteriora se extendat desiderio, et proposito proficiendi. Spectat quoque ad veram conversionem post reconciliationem cum Deo, et sacramentalem satisfactionem, reliquo vitae tempore in exercitatione poenitentiae perseverare, tum ob perpetuam peccatorum venialium, qua premimur, necessitatem, tum ut debitam iam condonatis mortalibus poenam minuamus, tum denique ad sensuum, carnisque licentiam profligandam, ne mentem secum trahant in perditionem » (I, 1, 2).

ritatem Dei confert... Omnia contraria saluti reprimit; necessaria confert, et conservat, et perficit » (Id.). — III. « Frequens et fervens oratio dissipat omne malum : ollae ferventi muscae non insident » (Id.). — *De oratione mentali, alibi.*

Art. II. — **De vitandis venialibus peccatis.**

286. — **Vitare venialia.** — « Cum septies in die cadat iustus, ut ait Sapiens, non est credibile quam variae sint incipientium imperfectiones. Quae magis torquent, sunt peccata venialia : nam licet iusti in gratia perseverent, non est credibile quantum peccata venialia charitatis perfectionem ac intimam cum Deo unionem impediant. Hinc in Canticis Canticorum dixit Spiritus Sanctus : Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas. Haec vinea in qua per gratiam et charitatem Deus inhabitat, iuxta illud canticorum : Vinea mea coram me est, morsibus vulpium parvularum demolitur : nam licet venialia, etsi plura, non tollant gratiam vel charitatem, eam perturbant, infrigescunt, et impediunt ne homo cum Deo uniatur » (Ant. a Spir. Sancto).

287. — Teneto ex Angelico, 1. 2. q. 89, a. 1 : « Peccatum veniale, impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitualem, quia non excludit, neque diminuit habitum charitatis et aliarum virtutum ». — Ibid. a. 2 : « Dicendum est quod ipsa peccata venialia, quae admiscent se procurantibus terrena, significantur per *lignum, foenum et stipulam*. Sicut enim congregantur in domo, et non pertinent ad substantiam aedificii, et possunt comburi aedificio remanente, ita etiam peccata venialia multiplicantur in homine, manente spirituali aedificio ; et pro istis

patitur ignem vel temporalis tribulationis in hac vita, vel purgatorii post hanc vitam, et tamen salutem consequitur aeternam ». — In 4, dist. 12, q. 2, a. 2, quaest. ad 1 : Non est inconveniens quod aliqua hora homo sit absque omni peccato veniali, quamvis hoc durare non possit propter difficultatem vitandi peccata venialia ». — In 3. q. 87, a. 1, ad 1 : « Poenitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus: sed ad poenitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas huius vitae non patitur; debet tamen habere propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quae sunt peccata venialia ».

288. — **Media ad peccata venialia vitanda,** sunt: *contritio, timor, labor, reparatio, pax cum humilitate.* — Nota: 1° Hic praesupponimus quae in Th. Morali dicuntur de natura et effectibus venialium, de effectibus sacramentorum, de sacramentalibus, etc. — 2° Memento tamen versus: Veniale *offendit Dominum; decus imminuitque timorem; subtrahit auxilia; ad poenam et mortalia ducit.* — 3° Quae in praecedenti articulo diximus utilia etiam sunt ad venialia fugienda et destruenda. — 4° Sacramentalia sunt: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.*

289. — **Contritio.** — I. Quanto magis quis dolet de mortalibus peccatis, tanto facilius detestabitur et fugiet venialia, ob adauctam charitatem per intensiorem dolorem de praeteritis. Consequenter qui vere et frequenter dolet non solum de mortalibus, sed etiam de tot venialibus quibus ob suam negligentiam inquinatur, firmius sibi proponit mortalia magis

magisque vitare. — II. Magna sit ergo contritio mortalium, et odio habebuntur venialia : detestemur venialia, et adaugebitur fidelitas in Dei famulatu. — III. « Scientibus perfectionis bonum, etiam minimorum peccatorum multitudo gravissima est » (Ioan. Cassianus). — IV. Non solum contritio, sed et attritio (probabilius) venialia remittunt etiam extra Sacramentum.

290. — **Timor.** — I. Et imprimis *time quod non timeas venialia:* aspernando enim modica, paulatim decides; magnae erga Deum ingratitudinis eris; et servus parum fidelis a tota coelesti curia cognosceris. Time ergo si habitualiter nihili facis leves reatus : quia « iudicio divino in reatum nequiorem labuntur, qui distringere minora facta sua per negligentiam contemnunt » (S. Isidor.). — II. « Ex consuetudine venialium peccatorum, securitas mentis et familiaritas Dei amittitur, et gratia multiformis negligitur » (B. Alb. Magnus). — III. Attamen purgandi qui sibi vim faciunt ad venialia deliberata non admittenda, non debent turbari et nimio timore contristari, si ex fragilitate saepe adhuc advertentes labuntur in minoribus: sperent in Deo, totis viribus caveant a neglectu habituali venialium, et quotidie melius purgabuntur et in bono obfirmabuntur.

291. — **Labor.** — I. Purgatio exigit conatus assiduos ut anima non detineatur in viis Domini per offendicula venialium : et ipsa ratio levitatis venialium magis nos sollicitos reddere debet, quia minus timentur. In Dei famulatu pugnandum est contra pigritiam nostram, contra concupiscentiam, contra tot inimicos virtutis. Absque labore nihil fit : militia est enim vita hominis super terram. — II. « Inveniuntur certe plurimi, qui libenter sequerentur Dominum, si absque labore, sive dolore, et citra mo-

lestiam : nihil videlicet difficultatis sustinere valentes, atque ab ea tantum parte montem hunc Oliveti cupientes ascendere, qua ille Hierusalem respicit, hoc est, quatenus pacem praestat, nec aliquid difficultatis, sive molestiae continet » (Taulerus). — III. Memento quod « omnia Deus posuit in labore, ut in omni re mercedem praeparet » (S. Chrysost.); et ipso laborandi studio labor facilior tibi erit: « unusquisque quanto amplius pro aeterna vita laborare conatur, tanto ferventius ad laborandum Sancti Spiritus ardore succenditur » (S. Greg. Magn.).

292. — **Reparatio.** — I. Utilissimum contra venialia antidotum est immediata aut quasi immediata reparatio singulorum venialium in specie (et generalis pro praeteritis), v. gr. sibi statim post veniale imponere parvam aliquam poenitentiam executione facilem, praemisso actu contritionis et humilitatis. — II. Sic enim anima quasi perpetuo evigilata manet, et non paucos virtutum actus facere potest quibus in charitate roboratur et fidelius Deo deservit. — III. Sic etiam vita compunctionis enutritur et obfirmatur magno cum animae profectu. Felix qui etiam minima deflet peccata! etenim « lacryma spiritum contritum lavat, ipsum devotum levat, spiritum malignum necat, terram cordis irrigat, sitim sedat, orando efficaciter impetrat... Vis amoris per lacrymas emanat; et ideo ubi amor non est, lacryma cessat » (S. Bonav.).

293. — **Pax cum humilitate,** seu pax humilis, quae ex diffidentia sui et ex fiducia in divino auxilio enascitur. — I. Patientiam habeat purgandus et cum proximo suo et cum semetipso; nec turbetur ob difficultates et labores, imo neque ob fragilitates, sed Deum invocet, exurgat, et strenue pugnet. — II. « Pax est voluntas Dei, iucunditas Christi, perfectio sancti-

tatis, iustitiae regula, magistra doctrinae, morum custodia, in rebus omnibus laudabilis disciplina, suffragium precum, supplicationum facilis atque impetrabilis via, desideriorum omnium competens plenitudo, dilectionis mater, concordiae vinculum, purae mentis indicium manifestum » (S. Petr. Chrysol.). — III. Attamen « inchoatio pacis sanctorum est in hac via, non possessio: tunc autem erit plenitudo pacis cum ad Dei contemplationem absorpta carnis infirmitate convaluerint » (S. Isidor.). — IV. Memento denique quod « vera pax est, a Dei voluntate non dividi, et iis solis quae Deus diligit, delectari » (S. Leo I). — V. Ergo in pace quaere pacem, in pace committe bellum, in pace perge in viis Domini.

Art. III. — **De vitando tepore.**

294. — **Vitandus tepor,** seu acedia (1), sive tepiditas, vel pigritia, et toto cordis affectu desiderandus magnus profectus in charitate. I. « Hanc magnam perfectionem toto desiderio, ac universis vi-

(1) « Acedia vox graeca est tristitiam significans, quae ita hominem deprimit, ut nihil ei agere libeat. Ea duplex est: Una cum mortali peccato coniuncta, cum quis omnia spiritualia exercitia tamquam tristia et molesta abominatur, et post primum fervorem ad pristinas curas saeculi et ad priora peccata revertitur. Ex hac oriuntur legum contemptus, abiectio disciplinae, murmurationes, scandala, apostasia et desperatio. Altera sine culpa quidem lethali, sed animi defatigati est, et immoderantia passionum ac curarum nimietate languentis, aut certe rei magnitudine atque itineris difficultate deterriti, et rerum spiritualium taedio ac satietate laborantis. De hac secunda specie sermo nobis futurus est » (Morotius, I. 8.).

ribus suis quisque apprehendere conabitur, et si fortasse in vita sua ad eam minime pertigerit, bono sit animo, quia ad coeli palatia perductus, ea ibidem perfruetur, tanto magis aut minus, quanto maiori eam vel minori est dilectione prosecutus, eamque ex toto corde plus aut minus desîderavit » (Taulerus.). — II. « Merito proinde sui quisque desiderii arcum ad summum usque extendere deberet, veris namque desideriis Deus perenniter vicem reddet, etiam si quod desiderat, nunquam in hac vita consequatur : hoc autem curet, ut amet eam ex corde, et votis omnibus ad eam suspiret » (Id.). — III. Unde sicut valde necessarium est ardenter desiderare animae purgationem et perfectionem, ita consequenter magno odio habenda est tepiditas boni desiderii, et tepor sanctae operationis in viis sanctitatis. Milites Christi sumus : ergo ferventer et fortiter pro Christo et cum Christo pugnemus, ut et Christo gloriam demus et nostros vincamus hostes.

295. — **Notio teporis seu acediae.** — I. Acedia, juxta S. Bernardum, est : *Taedium spiritualis boni, quo quis negligit bona debita inchoare, aut coepta perficere.* Et iuxta S. Bonaventuram : *Taedium operandi bonum.* Comparatur salicibus, febri hecticae, paralysi, lethargiae, ferro, terrae, aquae, scholari negligenti, homini stanti et non ambulanti, hydropisi, etc. (Id). — II. Oritur ex deordinatione voluntatis circa bonum, quod refugit secundum instinctum concupiscibilem (Id.). — III. Aliquando dicitur etiam *desidia*, quasi desistentia ; *negligentia*, quasi non diligentia ; *torpor*, ob appetitum quietis ; et *pigritia*, ob difficultatem laboris.

296. — **Actus teporis** seu acediae, sive torporis varii sunt : — I. In exercitiis spiritualibus remisse se gerere ; meditari sine fructu ; orare sine devotione ;

conscientiam suam cursim examinare ; legere quae delectent, non quae moveant ; in confessione durum, in communione lapidem et sine sensu existere ; in exhortationibus spiritualibus sponte ad aliena distrahi ; ferventes homines aversari et spirituales Directores fugere ; colloquia inutilia quaerere et frequentare ; nunquam se colligere, nec ad seipsum spiritualiter attendere ; otium et carnalia desideria sectari ; proposita continuo mutare (Ita varii DD.). — II. « Amant enim (tepidi) in carne suas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo otio : et si haec interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt ; inde est quod raro affectiones suas dirigunt in Deum, et eorum compunctio non continuata sed horaria est » (S. Bern.). — III. Tepidos « vix gehennae metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coërcet » (Id.). — IV. Nota. Sedulo distinguendae ariditates quibus animae bonae voluntatis et sanctae firmaeque resolutionis non raro a Deo probantur, ab actibus teporis et acediae. Item distingue actus teporis transitorios a vita tepida. Aliter in varios errores incideres, ut patet ex numero sequenti.

297. — **Signa tepiditatis**, seu acediae. — Praecipua signa quibus cognoscitur tepor sunt : — I. Magna quaedam facilitas in omittendis exercitiis spiritualibus. — II. Negligentia in operibus pietatis explendis (v. gr. irreverentiae, distractiones voluntariae, etc.). — III. Dissipatio continua ad obiecta vana. — IV. Consuetudo operandi sine reflexione, sine bona intentione, sed ex gustu, etc. — V. Incuria in ordine ad acquirendas virtutes, mortificationem passionum, etc. — VI. Contemptus minimorum in negotio animae seu vitae spiritualis.

298. — Monita : — I. Tepor seu vita tepiditatis spiritualis non statim videnda et declaranda ob nonnullos defectus, quibus animae purgandae adhuc inficiuntur et detinentur, cum tepor sit potius *quid habituale*, et totam spiritualiter agendi rationem quodammodo respiciens. Unde non approbanda praxis aliquorum qui, ex falsa acediae seu teporis notione, animas frequenter perturbant, et sub praetextu fervoris, quamdam quasi desperationem in personis devotis bonae voluntatis causant et fomentant. — II. Ubi adest *bona voluntas cum efficaci proposito laborandi* seu pergendi sive proficiendi in viis perfectionis, ibi adesse debet pax cordis, fiducia specialis perveniendi ad superiores perfectionis gradus ; ac proinde pulvis imperfectionum et vulnera ex offendiculis viarum, i. e. defectus ex fragilitate, contra quos tamen vere pugnatur et pugnari vult, non constituunt fidelem in vero tepiditatis statu. — III. Ergo quod dicitur de statu tepiditatis, ita cum grano salis explicandum et intelligendum, ut non videatur fere omnibus omnino devotis applicandum ; nec fiat causa indebiti rigorismi ascetici destructoris desideriorum perfectionis et laetitiae spiritualis ad Deo serviendum inter tot humanae vitae adversa et diversa. — IV. Quae omnia ad memoriam revocare debent concionatores communitatum religiosarum, ne tempore praesertim spiritualium exercitiorum, vere devotos ad indebitam et falsam tristitiam inducant, fiduciam extinguant, fervorem minuant, ascensiones animarum impediant, et amorem constringant : faciant utique ut vere tepidi timeant, sed omnibus ducatum praestent : iis qui sunt bonae voluntatis, maiorem ardorem ; iis qui vere torpescunt, intelligentiam de periculis acediae ; omnibus, fiducialem vigorem. — His praenotatis :

299. — **Mala seu effectus teporis proprie talis.** — Ex ipsa definitione, atque ex notione actuum et signorum verae acediae patet quantum fugienda et odio habenda sit in viis vitae spiritualis. Unde non mirandum si tam vehementer reprobetur in sacris litteris, et in Patrum et Doctorum scriptis.

300. — Unde merito dictum est: — I. « Vult et non vult piger » (Prov. 13, 4). — II. « Scio opera tua; neque frigidus es, neque calidus, utinam frigidus esses! Sed quia tepidus es, et neque frigidus, neque calidus, incipiam te evomere ex ore meo » (Apoc. 3, 15). — III. « Sicut ad succensam ollam muscae non appropinquant, si vero tepida fuerit, insident in ea et faciunt vermes: ita et monachum succensum igne divini amoris fugiunt daemones, tepidum vero illudunt et insequuntur » (In vitis Patr.). — IV. « Tepidi, si diu ita permanserint, sub onere aut opprimuntur et succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt » (S. Bern.). — V. « Spiritu tepido et paulatim a gratia frigescente, necesse est carnem et sanguinem, quae sua sunt, quaerere » (S. Francisc. Assis.). — VI. Per longam acediam tandem « fit saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de coelo in coenum, de claustro in saeculum, de paradiso in infernum » (S. Bern.). — VII. « Tepiditas charitatem suffocat, devotionem extinguit, virtutes debilitat, oculos caecat, aggravat corpus, enervat mentem » (S. Laur. Iust.). — VIII. « Vir in torpore et negligentia dies suos transigens, seipsum decipit » (S. Ephrem). — IX. « Vicina morti labes est torpor animarum » (S. Paulin.). — X. « Si incipis tepescere, incipies male habere » (Kempis). — XI. « Vae animae illi, quae in tepiditate sua secura consistit se iustificando, de qua Dominus in Apocalypsi, in persona talis animae ait: Sedeo ut Regina,

vidua non sum, luctum non video. Et subdit: propterea una die venient plagae eius » (S. Bern.). — XII. « Radix desperationis est ignavia, et non solum radix, sed et nutrix eius et mater » (S. Chrysost.).

301. — **Media seu remędia contra teporem.** — Praecipua sunt: — I. *Oratio ad divinum auxilium implorandum, ut concipiatur et confirmetur ac roboretur fervor spiritus.* — Unde merito ait D. Bernardus: « Cum te torpore, acedia, vel taedio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere a studio spirituali, sed iuvantis require manum ». Imo qui vitio acediae iam infecti et debilitati sunt, ante omnia caveant ne orationis et devotionis exercitia derelinquant. Etenim, ut addit idem S. Bernardus : « Saepe corde tepido et arido accedimus, orationi incumbimus: persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis ». Ergo, « si tepidus es, et evomi iam formidas, non discedas ab eloquio Domini et inflammabit te; quia eloquium eius ignitum valde » (Id.). — II. *Meditatio de Divina Maiestate et propria infirmitate.* Constat ex efficacia meditationis et sanctae considerationis. Qui recordatur frequenter altissimae Maiestatis Dei et magnae infirmitatis propriae, roboratur in humilitate et reverentia, nec teporis somnio facile capitur. — III. *Non festinare in opere faciendo,* sed pacifice, assidue et tranquille omnia meliori modo perficere. — IV. *Brevitatis vitae recordatio,* ut dum tempus habemus, operemur bona et thesaurizemus nobis aeternas divitias. — V. *Fuga omnis inordinati terreni affectus.* Si enim mens vanitatibus occupetur, non curat quae pietatis et devotionis sunt. — VI. *Fuga otii et observatio ordinata distributionis temporis.* Absque ordine, tempus inutiliter insumitur, adaugetur defatigatio, generatur taedium, etc. — VII. *Constantia*

et fervor in exercitiis spiritualibus. — VIII. *Examen* conscientiae frequens, praesertim meridie et in fine diei, cum dolore de commissis defectibus, et proposito emendationis. — IX. *Fuga inutilium colloquiorum, distractionum, et familiaritatum.* — X. *Exercitia spiritualia* singulis annis per aliquot dies instituenda, et per diem in mense. Exercitia sint tibi tamquam vacationes spirituales in quibus interiora melius disponas, et in divina charitate diteris...

302. — ALII HAEC ASSIGNANT REMEDIA. I. Exempla sanctorum considerare; — II. Vitam Christi ob oculos semper habere; — III. Amorem Dei desiderare et in illo solidari; — IV. Auxilium divinum implorare. — V. Salutem animae et propriam vocationem serio amare; — VI. Severitatem iudicii perpendere; — VII. Praesentiam Dei saepissime ad mentem revocare; — VIII. Continua in spiritualibus exercitatio; — IX. Non comparare se cum aliis; — X. Nunquam subsistere, sed quotidie fortiter quasi denuo incipere: *Ecce nunc coepi...*; — XI. Beneficia accepta et misericordias Dei recolere; — XII. Damna tepiditatis considerare, et quantum tepidi Deo displiceant meditari; — XIII. Praemium fervoris ponderare. — XIV. Denique semper mente et corde retinendum: quod ad omnia quae vitari debent facilius et securius vitanda, *Immaculata Virgo Maria fiducialius et frequentius invocanda, colenda, diligenda est.*

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Quia Mater nostra Maria merito vocatur fons pietatis, « ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiae cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat » (S. Bern.).

MARIAM INVOCA. — Quis ergo misericordiae tuae, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare?... Per te enim coelum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinae coelestis Ierusalem; expectantibus miseris perdita vita data (id.).

MARIAM LAETIFICA. — Mortalia, venialia et teporem efficaciter devita: perfectionem vitae B. Virginis meditare, et pro viribus imitare. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. IV. — DE OPERIBUS SIVE DE PRAXI VITAE PURGATIVAE SPECIATIM, ET PRIMO DE DEFECTIBUS PURGANDIS.

303. — **Necessitas Purgationis** patet ex peccatorum, defectuum et imperfectionum foeditate et effectibus, et ex hucusque dictis. Unde « qui agrum non coluerit (id est, animam suam non mundaverit) et spinis eum opprimi permiserit, habebit in hac vita maledictionem terrae suae, et post hanc vitam, habebit vel ignem purgationis, vel poenam aeternam » (S. Aug.). — « O stultitia mirabilis! mundat homo faciem, manus, pedes, imo etiam calces mundat, et miserum cor non mundat » (S. Bonav.). — « Quid stultius? quid detestabilius? quid inordinatius? vis habere omnia munda, et animam coelo nobiliorem non curas esse immundam » (id.).

304. — **Obiectum purgationis specialis** REDUCITUR AD PECCATA CAPITALIA (seu eorum consectaria), PASSIONES et POTENTIAS. Unde agemus *de defectibus purgandis, de passionum moderatione, de sensuum externorum et internorum purgatione*, et speciali modo, de duobus praecipuis purgandorum armis, *oratione* scilicet, et *mortificatione*. Quamvis enim de oratione et mortificatione necessario multa passim dicantur in toto praesenti tractatu, nemo est qui non videat quam necessaria sit specialis de ipsis institutio.

De defectibus purgandis.

305. — **Fontes defectuum.** — « Non solum mortalia et venialia debet vitare, qui desiderat accedere ad divinum osculum et Dei unionem, sed etiam

omnes imperfectiones. Has autem reduxit noster Ven. P. Ioannes a Cruce, ad capita peccatorum mortalium » (Ant. a Sp. S.): et non paucae important aliquem reatum, ut ex explanationibus deducetur. De purgatione mortalium et venialium generatim iam actum est in *Theol. Mor.* et in praecedenti capitulo. Nunc autem perscrutemur defectus affines et veluti consectarios ex notione peccatorum capitalium, qui minus apparenter videntur, quique in corde incipientium facile inveniri possunt vel solent.

306. — **Superbia.** — Ex sensibili devotione seu ex consolationibus quibus tamquam melle alliciuntur, incipientes non raro superbiunt. — I. Illam suis meritis et mortificationibus tribuunt. — II. Videri volunt perfectiores aliis qui tali devotione sensibili destituuntur. — III. Multa peragunt asperiora ut videantur ab hominibus... — IV. Cum ipsis confessariis seu directoribus se habent potius tamquam doctores, et facillime coram aliis devotis definiunt magistraliter de talento et pietate spiritualium moderatorum : usque ad coelum extollunt confessarios seu directores qui sunt approbatores et adulatores sui status, nec quiescunt usquedum tales inveniant ; et iniuste deprimunt directores qui occultam in eis superbiam intelligentes, destruere conantur illusiones et errores quibus inficiuntur. — V. Minus sensibiliter devotos despiciunt, et falso zelo ducti, ubique inveniunt reprehendenda, proprioruмque etiam Pastorum censores fieri non timent.

307. — Concordat Morotius, I, 11, 1 : « Sunt autem occultae et spiritualis superbiae actus huiusmodi : Ex eo, quod quis se ferventem in rebus sanctis animadvertat, aliquam sui operumque suorum satisfactionem et complacentiam concipere; putare se proprio labore gratiam devotionis meruisse, se

magis a Deo dilectum esse, se melius scire uti donis Dei; alios contemnere et condemnare in corde suo, qui eius devotionem non suscipiunt, non laudant, ac ne advertunt quidem; appetere de rebus spiritualibus coram aliis disserere, et eas velle potius docere, quam discere; eo dementiae delabi, ut neminem praeter se velit probum videri; cum Magister spiritualis eius vivendi rationem improbat, nequaquam ei acquiescere, sed eum exosum habere, eum rerum spiritualium inscium arbitrari, ac propterea existimare suum spiritum ab illo nec intelligi nec cognosci; ex nimia sui praesumptione multa sibi agenda proponere, modica tamen praestare; agnosci ab aliis desiderare, et ideo externa signa devotionis coram aliis promere per suspiria, lacrymas, genuflexiones, raptus et excessus, quos daemon aliquando promovet ad animarum perditionem et lapsum; bona sua potius quam mala dicere; peccata nunquam nude et clare aperire, ne a confessariis minoris fiat; ignotum quaerere confessarium, cui mala pandat: ob quotidianas imperfectiones nimium affligi non Dei intuitu, sed vitandae confusionis et molestiae causa; aliorum laudes non libenter audire, bona aliorum facta haud recte interpretari » (1).

(1) Thomas de Vallgornera, Myst. Theol. D. Th., q. 2, disp. 1. a. 6, n. 1, de hac superbia spirituali, scribit: « Quantum ad superbiam, quae secundum D. Thom., 2, 2, q. 162, a. 1 et 2, definitur: Inordinatus appetitus propriae excellentiae, incipientes ex devotionis sensu, quem Deus eis benigne communicat, ut a terrenis voluptatibus segregatos ad coelestes delicias fortiter et suaviter alliciat, superbiendi sumunt occasionem, licet ex natura sua res sanctae potius humilitatis, quam superbiae causam praebeant: cumque se prosperis auris navigare conspiciunt, hanc prosperitatem suis meritis attribuentes, in

308. — Remedium contra superbiam. Attende ad propriam infirmitatem; ad divinam Maiestatem; ad

seipsis tamquam dignis et in suis operibus velut excellentibus temere complacent. — Unde superbe sapientes ac plurimum de se praesumentes, alios facile despiciunt, quos externa devotione carere conspiciunt, et more Pharisaei superbia tumidi, caeteros contemnentes in suis orationibus sua potius temere iactant opera, quam divina referant humiliter beneficia, et Deo gratias pro ipsis rependant; eoque deveniunt superbiae, ut ex una parte plurima et asperrima virtutis exercitia subeant, ut appareant coram hominibus; ex alia vero parte caeterorum virtutes, et gestibus et verbis, occasione data, reprehendunt, ut ex eorum humiliatione singulariter ipsi boni ac in virtute eminentes videantur. — Ex quo sequitur, quod confessarios, aut vitae spiritualis directores quaerant, non quasi veritatis et humilitatis doctores, sed magis sui faustos approbatores ac perniciosos adulatores: unde huc illuc permutando directores divagantur, donec tales invenerint, et summo studio devitant eos, quos suis erroribus contrarios viam humilitatis docere conspiciunt: miris inventionibus confessoris et directoris ambiunt affectum, et applausum, eique sui spiritus rationem reddentes, fictos nonnunquam internos Dei favores simulate referunt, ut ipso plus caeteris aestimentur, et invidia misere tabescunt, si quos ab ipso sibi videant praeferri; et inde est, quod externum devotionis fervorem, quem saepe diabolus accendit, ad hunc effectum parere affectent, et proprios defectus pro viribus occultent; imo contingit aliquando, quod secretos et ignotos confessores habeant quibus peccata confiteantur, ut ordinario et noto suo confessori sola virtutum opera et divinos favores manifestent. — Ex eadem radice superbiae procedit quod similes incipientes, vel proprios defectus quasi nullos negligant, vel de eis plus nimio confundantur et inquietentur, ita ut amori proprio potius consulentes, quam amori divino studentes, importunis precibus se ab illis liberare precentur. — Rari sunt incipientes, qui in praedictos aut similes defectus, et aliquando in multo graviores non cadant ».

imperfectionem bonorum de quibus superbis. De qua re haec habet Angelicus, 2, 2, q. 162, a. 6, ad 1 : « Motus superbiae... postquam deprehensus fuerit per rationem, facile evitatur tum ex consideratione propriae infirmitatis, secundum illud Eccli. 10, 9 : *Quid superbit terra et cinis ?* tum etiam ex consideratione magnitudinis divinae, secundum illud. Iob. 15, 13 : *Quid tumet contra Dominum spiritus tuus ?* tum etiam ex imperfectione bonorum de quibus superbit homo, secundum illud Isaiae, 40, 6 : *Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri* ». — Examina ergo, deplora, et humilietur cor tuum...

309. — **Avaritia** *oritur ex inordinata sensibilium sollicitudine, etiam pietatis praetextu.* — I. Non pauci incipientes, quamvis multos adhuc habeant defectus purgandos, vix de spiritu divinitus concepto contenti sunt, et nisi favores coelestes plena manu recipiant, tamquam a Deo derelicti gemunt. — II. Multi devoti praetextu perfectionis et pietatis, potius inhaerent rebus accidentalibus devotionis quam substantialibus, practice quasi credentes quod sanctitas in magna copia numismatum, imaginum, reliquiarum, et in scrupulosa frequentatione omnium piarum functionum loci (forsan cum proprii officii negligentia) consistat. Unde iis contenti, non curant quae magis necessaria sunt, et dum in templo videntur piissimi, domi multiplici impatientia et defectu alios contristant. — III. Hinc eorum cor nimis adhaeret sensibilibus, nimisque repletur accidentalibus.

310. — Th. a Vallgornera. Myst. Theol. D. Th. q. 2, disp. 1, a. 6, n. 5, scribit: « Loquens D. Thomas de avaritia, 1 p. q. 63, a. 2, ad. 2, et 2. 2. q. 118, a. 1 et 3, sic eam definit: Avaritia est peccatum quo quis supra debitum modum cupit acquirere vel retinere divitias. Et sic avaritia spiritualis erit pec-

catum quo quis supra debitum modum cupit acquirere vel retinere dona spiritualia. Multi incipientes plurimos patiuntur defectus: vix de spiritu divinitus concesso contenti sunt, et nisi devotionis affluentiam ac coelestium charismatum abundantiam plenis, (ut ita dicam) manibus recipiant, inferius angustiantur, et penitus desolati tamquam a Deo derelicti gemunt, huc illuc divagantur ut propriae spirituali inopiae succurrant, nec datis multiplicibus directorum consiliis sic acquiescunt, quia nova semper ab aliis requirunt, unde plus inquisitioni consiliorum, quam piis vacantes exercitiis maximam incurrunt iacturam meritorum... ». Et n. 6, ait: « Sunt enim aliqui, qui ita inhaerent aliquibus devotionibus, ut ab illis dimoveri non possunt. Sic imaginibus sanctorum, crucibus, rosariis, et reliquiariis adhaerent, et in eis artem et valorem magis quam veram pietatem attendentes, ut ingentem semper eorum copiam penes se habeant, unde devotionis accidentibus, et non substantiae addicuntur: sed nunquam ad perfectionis culmen ascendent, si copiosam huiusmodi proprietatis spiritualis suppellectilem sponte non dimittant » (1).

(1) Unde merito scripsit Morotius, I. 11. 2: « Avaritia spiritualis ex hisce actibus dignoscitur: Eo spiritu, quem quis a Deo accipit, contentum non esse, itemque affligi et conqueri, quod non eam reperit, quam cuperet in rebus spiritualibus consolationem; spiritualibus monitis et praeceptis nunquam expleri, et plus temporis insumere in quaerendis et evolvendis libris, quam in bonis operationibus, nulla perfectae mortificationis habita ratione; aurea reliquiaria et alia huiusmodi nimio affectu possidere, cum vera devotio ex corde prodire debeat, non ex rebus visibilibus ».

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

311. — Remdedia contra avaritiam spiritualem. — *Ergo te indignum reputa omni consolatione, et humili gratoque animo accipe favores coelestes quomodo, quando, et quantum Deo placuerit; solidam pietatem et cordis reformationem quaere; pietatis actus publicos et privatos quadam generali ratione cum confessarii consilio dispone; et in rebus devotionis ut sunt cruces, imagines, etc., attende potius ad verum animae incitamentum, quam ad curiositatem et pretiositatem.* Ergo cave ab avaritia spirituali, quae cor exsiccat *et ingratum facit,* animumque occupat rerum accidentalium multitudine et sollicitudine. Habeas aliqua pietatis obiecta sensibilia, devotissimas scilicet imagines Iesu, Mariae et Sanctorum, ad incitamentum, animi solatium et devotionis exercitia; ecclesias sollicite frequenta devotionis causa: sed omnia cum moderamine fiant, neque sensibilibus nimium inhaerendum.

312. — **Luxuria.** — Quantum ad luxuriam, etiam incipientes suos patiuntur defectus, nam: — I. Saepe Deo permittente ad maius meritorum incrementum, motus carnis patiuntur, vel suggestione daemonis, vel naturae corruptae incentivo. Immo saepe contingit, quod in ipso devotionis et pietatis exercitio, et in ipso Sacramentorum usu, motus aliqui sensualitatis in corpus redundent, maxime in natura debili; ex naturali quippe connexione partis superioris et inferioris provenit, ut dum pars superior spiritualibus fruitur deliciis, pars inferior circa propria obiecta sensualia frequenter excitetur: ex sympathia namque utriusque provenit, ut una in alterius delectatione et poena communicet modo sibi proprio et connaturali, donec una totaliter alteri subordinetur. Unde cum in principio vitae spiritualis, pars inferior non perfecte dominetur a superiore, sed tantum ab illa

regatur, incipientes praedictos motus sensuales, ad praesentiam delectationum spiritualium (aliquando) patiuntur, donec pars inferior perfecte a superiore totaliter dominetur.

313. — II. Isti motus sensualitatis proveniunt etiam incipientibus *ex familiaritate nimia cum personis spiritualibus,* etiamsi a principio sit sancta; nam ex nimia familiaritate, incipit unus appetere alterius praesentiam corporalem, sicque spiritualis devotio paulatim convertitur in corporalem et carnalem. Unde quidam liquide dixit, quod haec familiaritas incipit a *Credo in Deum,* et terminatur in *Carnis resurrectionem,* et quod peius est, quod existimant, hanc alterius memoriam, et desiderium ex maxima charitate procedere. Sentiunt etiam in oratione mentali quamdam vivam repraesentationem personae alterius; et ad conspectum illius imaginis habent calorem quemdam exercitatum a diabolo, et affirmant esse ignem charitatis, a Spiritu Sancto transmissum, volentem coniungere spiritum unius spiritui alterius vinculo charitatis, cum tamen sit ignis libidinosi amoris: unde iudicant posse prolixius simul loqui, atque in hoc tempus non perdere, sed lucrari, et quaerunt modos et cautelas mirabiles, ut simul frequenter alloquantur, allegantes id sibi maxime prodesse, cum tamen haec frequens locutio sit libidinis incentivum, cui iam ratio et voluntas succumbit. — Ita Ant. a Sp. Sancto.

314. — III. Diabolus saepissime hos sensualitatis motus commovet, dum anima orationi vacat, illamque minus insequitur extra tempus orationis, ut per hoc perturbata, tam saluberrimum exercitium relinquat et debilitata succumbat.

315. — IV. Timor nimius quo incipientes afficiuntur ob motus libidinis est altera ex causis car-

nalium motuum: unde dum nimis horrent ad aspectum serpentis, venenosis eius influxibus, sine culpa tamen, commoventur.

316. — In compendium similia habet Morotius, I, 11, 2, dicens: « Ad luxuriam spiritualem hi actus pertinent: Impuros quosdam sensualitatis motus in ipsis spiritualibus exercitiis interdum pati, vel ex daemonum astutia hominem bonis operibus vacantem ea ratione impedire conantium, vel ex suavitate rerum spiritualium, quae redundans in corpus, in hominibus debilis complexionis eos motus excitat, nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, vel ex metu talium commotionum in iis praesertim qui laborant humore melancholico, vel tandem ex propria culpa ob inordinatam aliquam affectiunculam erga aliquam creaturam; spirituali praetextu cum quibusdam personis speciales inire amicitias, quae multoties ex luxuria, non ex spiritu nascuntur; quando enim amor est pure spiritualis, eo crescente crescit amor Dei, quando autem carnalis est, frigescit amor Dei, et ex tali amicitia multi conscientiae remorsus oriuntur » (1).

(1) Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 2, disp. 1, a. 6, n. 7, de hac gravissima re ita scribit: « Quantum ad luxuriam, etiam huiusmodi incipientes suos patiuntur defectus: nam Deo sic permittente, ad maius meritorum incrementum, vel naturae corruptae incentivo, vel etiam daemonis suggestione, saepe internos, saepe etiam externos carnis motus in ipso pietatis exercitio, et in quotidiano sacramentorum usu, praeter intentionem, imo plurimum resistentes, experiuntur. Contingit aliquando, quod in ipso devotionis internae sensu, motus aliqui sensualitatis in corpus redundent, et maxime in natura debili: ex quo naturali quippe superioris et inferioris partis connexione provenit, ut dum pars superior spiritualibus in Deo fruitur deliciis, pars

317. — Remedia contra luxuriam spiritualem. — I. Quam citius curent incipientes valde proficere, seu exire a purgationis statu, ne sensus imperfectissime adhuc purgati in suae sphaerae delicias ferantur, etiam ob occasiones spiritualium deliciarum quibus anima a Deo allicitur et ad meliora invitatur.

318. — II. Non solum incipientes, sed et omnes perfectionis amatores, vitare debent familiaritatem cum mulieribus; imo cavendum a nimia familiaritate cum personis spiritualibus: et in relationibus inter personas devotas, et a fortiori inter spirituales directores et discipulos, abstinendum a *sensibilismo* seu ab illis amicitiae et dilectionis manifestationibus,

inferior circa propria obiecta sensualia frequenter excitetur.... Sed longo virtutum exercitio purgata et reformata pars inferior, et superiori totaliter subordinata, non solum ad spirituales eius delicias, sed etiam ad spiritualem eas participandi modum quodammodo elevatur ». Et n. 9 addit: « Isti motus sensualitatis inordinati ex multiplici alia radice promanant incipientibus. Et primo ex familiaritate nimia, quam cum personis spiritualibus et praesertim mulieribus incaute contrahunt... Audite D. Thom. Opusc. 64. De periculo familiaritatis dominarum et mulierum. Ad tantum malum in brevi deveniunt, ut iam non velut Angelus sicut coeperant se invicem alloquantur et videant, sed tamquam carne vestitos se mutuo intueantur, et sentiant mentes quibusdam commendationibus ac verbis blanditoriis, quae videntur ex prima devotione procedere. Exinde unus incipit appetere alterius praesentiam corporalem... sicque spiritualis devotio paulatim convertitur in corporalem et carnalem... Et non minus horrendum est cum hi proprium errorem percipere et emendare deberent, in ipsius potius nutrimento erroris totum illud iudicant ex maxima charitate procedere... Quales autem illusiones accipiunt a sagittario supradicto, specialiter mulieres, quae citius fidem adhibent illusioni mentali, esset horribile et quasi impossibile declarare ».

quae potius cordis mere naturales affectus quam veram et supernaturalem charitatem fovent.

319. — III. Optimum contra motus carnales remedium est perseverantia in oratione; unde valde aberrant qui ob tentationes quibus tempore orationis torquentur, ab ipsa oratione desistunt. Viriliter age, persevera in divino colloquio, confortetur cor tuum, et frangetur satanica malitia.

320. — IV. Contra nimium timorem motuum libidinis, expedit obfirmari in voluntate placendi Deo in omnibus, et humiliter a Deo vires ad resistendum et plenam victoriam implorare et expectare. Unde tentatus et turbatus maximo odio habeat peccatum; renovetur in pace; firmum propositum habeat Deum nunquam offendendi; abstineat a concreta et quasi singulari consideratione et commensuratione possibilium carnalium tentationum. In negotiis libidinis fuge, fuge semper, non solum a peccatis, sed et ab innecessario anteactarum tentationum examine; fuge denique a nimio timore, quia haec omnia imaginationem excitant, sensus commovent, et mentem offuscant.

321. — V. Qui carnalibus motibus frequenter torquentur timeant superbiam, et videant an tali vitio multum adhuc inficiantur. Etenim: « sicut in syllogismis ducentibus ad impossibile, quandoque aliquis convincitur per hoc, quod ducitur ad inconveniens magis manifestum, ita etiam ad convincendam superbiam hominum, Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia », ait S. Thomas, 2, 2, q. 162, a. 6, ad 3. — Cum incipientes superbia abundent, et superbia sit veluti luxuria mentis, iusto iudicio, carnali luxuria illos torqueri permittit Deus, qui spirituali quasi luxuria, id est, superbia multum infecti permanent. Ergo humilitas est unum ex

maximis remediis contra peccata et defectus ad luxuriam quomodocumque pertinentia. Ergo incipientes caveant ne superbiant ob spirituales consolationes quibus aliquoties fruuntur, neque ob spiritus fervorem in operibus poenitentiae et devotionis ex Dei gratia conceptum.

322. — **Ira.** — Laqueis irae non raro detinentur incipientes. — I. Falso zelo decepti irascuntur contra imperfectiones aliorum, multumque in alienis defectibus improbandis occupantur. — II. Irascuntur contra proprios defectus, cum se parum provectos inspiciunt in perfectione. — III. Irascuntur quando consolationi sensibili succedit ariditas et caecitas et fastidium; tunc tristitia afficiuntur, sibi et aliis efficiuntur graves et fere intolerabiles, et vitam perfectionis quasi inhonorant coram fidelibus infirmioribus et mundanis malignis, qui vitae fervoris et devotionis tribuunt quod debilitati personae eiusque non purgatae superbiae et irae adscribendum est.

323. — Similia habet Morotius, I, 11, 2: « Ex iracundia spirituali istae imperfectiones oriri solent: Cum subtrahuntur consolationes spirituales, in taedium et amaritudinem prolabi, atque ideo facile irasci, et fere aliis intolerabilem fieri; alienis vitiis cum quodam inquieto zelo item irasci, alios observare, et cum indignatione reprehendere; sibi etiam irasci ob imperfectiones, in quas labi quisque solet, atque adeo impatientem esse, ut velit una die sanctitatem adipisci » (1).

(1) Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 2, disp. 1, a. 6, n. 11, ait: « Quidam praelibato rerum spiritualium gustu, dum se in siccitatem et ariditatem redactos respiciunt, prae angustia spiritus fastidientes, occasione qualibet oblata, adversus subditos in irae motus prorumpunt, et non solum aliis, sed etiam si-

324. — Remedia contra iram spiritualem. — Hinc: *primi* de quibus in numero 322 actum est, imperfectissimi dicendi sunt et superba indiscretione infecti, ac proinde debent imprimis « attendere sibi »; magno zelo proprio profectui incumbere; alienos defectus seclusa iusta causa minime considerare, semperque misericorditer iudicare. Multi incipientes inquieto zelo contristantur ob indolem impatientem sociorum vel propinquorum, et magno fervore Deum pro illis orant ut mitiores evadant, et interim sibi persuadent seipsos exemplar esse patientiae et abnegationis. Bonum est hoc fraternae charitatis argumentum; sed serio videant an ipsi potius indigeant virtute patientiae et

biipsis graves, et quasi intolerabiles efficiuntur, maxime si ex naturali complexione flava bili abundant. D. Th. 2. 2, q. 158, a. 2, loquens de ira dicit: Ordo rationis in ira potest attendi quantum ad duo. Primo quidem, quantum ad appetibile in quod tendit, quod est vindicta... Alio modo... quantum ad modum irascendi: ut scilicet motus irae non immoderate fervescat, nec interius, nec exterius. Quod quidem si praetermittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat iustam vindictam. — Incipientes destitui gustu rerum spiritualium, et ariditatem sentientes, prorumpunt in motus irae quantum ad modum ». — Et n. 12 addit: « Incipientes contra omnes inquieto et indiscreto zelo facile irascuntur, et quasi essent regulae virtutis. D. Th. exponens illud D. Pauli ad Tit. c. 3, l. 1: *Sed modestos*. Est autem modestia virtus per quam aliquis in omnibus exterioribus modum tenet, ut non offendat cuiusquam aspectum... Quanto autem quis est impetuosior in interioribus affectibus, tanto refrenatur difficilius in exterioribus. Talis est autem inter omnes affectus irae, et ideo contra hoc ponit mansuetudinem, quae moderatur passiones irae — Aliqui incipientes quoscumque delinquentes indebite reprehendunt: cum tamen ut plurimum tunc melius sit tacere quam male reprehendere ».

mansuetudinis, quam alii suis lacrymis et orationibus... Ora et labora ad indolis tuae moderationem, et oculi tui non tantos videbunt in proximo defectus.

325. — *Secundi* in Domino spem collocantes, orent et quieto animo humilientur, pro viribus perfectioni attendentes, et Deo placere maxime desiderantes. Magna insuper insania est imperfectiones per alios defectus detestari.

326. — *Tertii*, praesertim si ex naturali complexione flava bili abundant, indesinenter vigilent ad primos irae motus comprimendos, et in spiritualibus exercitiis non tantum quaerant *consolationes Dei*, quantum *Deum consolationis*, qui consolatur servos suos ubi, quomodo, quantum et quando eorum profectui expedit. — Tu vero in voluntate Dei quiesce, et ipsi te totum committe, ut per cruces vel per delitias ipse te dirigat in via sanctitatis, iuxta sapientissimum et tibi saluberrimum eius beneplacitum.

327. — **Gula.** — Gula spiritualis merito dicta est inordinata sollicitudo spiritualium consolationum. — I. Incipientes, qui a Deo suavi dulcedine alliciuntur ut mundanarum deliciarum obliviscantur, vix alicui orationis et pietatis exercitio incumbunt, statim quaerunt spirituales consolationes, et immoderato appetitu suspirant ad delicias pietatis potius quam ad pietatis soliditatem. — II. Unde potius student proprio gustui satisfaciendo, quam Deo ex corde placendo, et facilius obliviscuntur propriae imperfectionis et antiquae indignitatis, et cum Deo minus reverenter conversantur. — III. Et quoniam in operibus poenitentiae frequenti consolatione donati sunt, non raro absque Directoris consilio corpus immoderatis mortificationibus opprimunt, necessarias vires deperdunt, et quasi inutiles fiunt etiam ad communia virtutum exercitia: unde quamdam novi generis fomentant

sensualitatem, dum corporalem mortificationem imprudenter sibi comparant.

328. — Concordat Morotius dicens: « Gula spirituali peccant, qui potius delicias spiritus et sensibiles consolationes, quam puritatem et veram devotionem in spiritualibus exercitiis aucupantur. Hi sunt, qui attracti suavitate, quam in istis exercitiis degustant, se ipsos variis poenitentiis et afflictionibus corporalibus mactant sine obedientia, sine discretione, sine fructu. Eiusdem vitii rei sunt, qui ob eamdem suavitatem nimis importune a Patribus spiritualibus extorquent, ut frequentiorem Sacramentorum usum illis permittant, qui sine licentia ad ea accedere praesumunt, ex qua temeritate in grandia mala praecipites ruunt; qui dum communicant, omnem conatum adhibent, non ut Deum praesentem venerentur, sed ut aliquem dulcedinis sensum eliciant, quod etiam praestant in oratione et in omni spirituali exercitatione. Hi ut plurimum tepidi sunt, propriae voluntati dediti, mortificationis et abnegationis inimici » (1).

(1) Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 2, disp. 1, a. 6, n. 13, ait: « Gula spiritualis nihil aliud est secundum D. Thom. quam inordinatus appetitus deliciarum spiritualium. Et eo ipso quod recedit ab ordine rationis in quo bonum virtutis consistit, dicitur aliquid esse peccatum, quod virtuti contrariatur, et sic manifestum est quod talis gula est peccatum. In ista gula incipientes passim deficiunt: cum enim divina liberalitate internis deliciis statim a principio perfundantur, ut sic externarum mundi deliciarum facilius obliti a suscepto perfectionis itinere non retrocedant: his deliciis inescati et veluti ebrii non puritati spiritus ac verae devotioni, sed tantum sensibili suo gustui incumbunt; unde sibi magis quam Deo placere student, et non tantum spirituali suo profectui, verum etiam sanitati plurimum nocent... Relicta voluntatis mortificatione, quae est Deo gratissimum holocaustum, corpus opprimunt, et viribus

329. — Remedia contra gulam spiritualem. — I. Ut supra dictum est, et numquam satis dicetur, quaerendus *principaliter Deus consolationis,* non autem *quasi principaliter consolationes Dei;* et totis viribus voluntatem nostram conformare studeamus divinae voluntati, nec in eius servitio ullo modo remissius agendum, quando non lacte dulcedinis, sed pane (roborativo quidem) tribulationis et ariditatis sustentamur. — II. Adveniente spirituali consolatione, ea humiliter, sobrie et grato quidem sed prompto ad oppositum animo utatur devotus. — III. Mortificanda imprimis propria voluntas, et alliganda sub securissimo obedientiae vinculo; et tolerandae patienter mortificationes quae absque nostra electione nobis obveniunt. — IV. Ergo aspirandum totis viribus ad veram cordis puritatem sub omnimoda directione proprii spiritualis moderatoris, et totali conformitate cum divino beneplacito. Si divina consolatione visitemur, humiliter gratias agamus et cor obfirmemus in vero proposito *Deo semper serviendi, nosmetipsos abnegantes, crucem nostram ferentes et Iesum Crucifixum in hac vita sequentes,* ut cum Illo in aeternum gaudeamus. *Ergo valde diligenda crux Christi, ut gula haec destruatur.*

330. — **Invidia.** — I. Incipientes non aequo animo ferunt si alii, praecipue consocii et consodales, eis superiores sint in via perfectionis, maxime si eos videant laudari a propriis Directoribus vel Superioribus. « Invidia spiritualis est, quosdam displicentiae motus boni spiritualis aliorum pati, aegre ferre se ab aliis in via spiritus superari, ex alienis virtutibus

temere exhaustis omnino succumbunt, et ad persequendam virtutis semitam inepti penitus inveniuntur. Quam utilius ipsis esset, si sensibilibus deliciis sobrie tunc utentes ad veram spiritus puritatem aspirarent, quae in perfecta directoris obedientia, et in totali ad divinam voluntatem conformitate consistit ».

contristari, et aliorum laudes non libenter audire, atque eas extenuare », ait Morotius, I. 11, 2. — II. Invidia quadam infecti, saepe livore tabescunt, verbisque gestibusque contradicunt laudantibus et exaltantibus alienam virtutem, cum ipsi vellent praeferri, et in omni perfectione singulares apparere. — III. Unde quadam mentis sensualitate libenter audiunt loquentes de defectibus ferventiorum et quasi delectantur quod aliquid in eis reprehendi valeat (1).

331. — Remedia. — I. Haec subtilissima invidia saepe multorum animas occupat, easque non parum detinet in via perfectionis: ac proinde tali modo infecti, debent in fraterna charitate roborari, ut non quaerant quae sua sunt. — II. Aemulentur ergo charismata meliora, gaudentes de aliena virtute, et cupientes ut alii magis magisque proficiant et maiorem

(1) Vallgornera, *Myst. Theol.* D. Th., q. 2, disp. 1, a. 6, n. 16, scribit: « Incipientes quantum ad invidiam multos habent defectus: cum enim non sint charitate perfecti, quae non quaerit quae sua sunt, sed quae aliorum, aegre admodum ferunt dum alios aequales sibi, vel etiam maiores in vita spirituali conspiciunt. Quamvis enim prae superbia se illis interius praeferant, dum tamen vel exterius excellere, vel ab aliis, ut excellentes audiunt laudari, torquentur invidia, et livore tabescunt, ac saepe verbis et gestibus contradicunt, dolentes maxime quod simili modo ab aliis non exaltentur, et illis non praeferantur, cum in omni perfectione singulares velint apparere. Haec invidia multum est damnabilis, et contraria charitati, quae secundum Apost. (I. *Cor.*) congaudet in bono... Dicit D. Thom. 2. 2. q. 36, a. 1, quod invidia est praecipue de illis bonis in quibus est gloria, et in quibus homines amant honorari, et in opinione esse. Idem dicit in solutione ad 3, quod amatores honoris sunt magis invidi. Et similiter etiam pusillanimes sunt invidi: quia omnia reputant magna; et quidquid boni alicui accidit reputant se in magno superatos esse ».

reddant gloriam Deo, quos tamen totis viribus imitari peroptent, ut Deo melius placere possint, non ut ab hominibus aestimentur et honorentur seu in quadam veneratione habeantur. — III. Ad primos huiusmodi invidiae stimulos, humilientur coram Deo, magis exaltent virtutem alienam, quaerentes nova laudis motiva, et si conversationibus charitati minus conformibus libenter participarunt, statim doleant et emendationem proponant. — IV. Ergo omnia aliorum spiritualia bona, dona et charismata sint tibi ad perfectionem vitae incitamento, gratiarum actionis argumento, et humilitatis et compunctionis saluberrimo adiumento: regnet in corde tuo charitas et humilitas, et invidia destruetur, et virtus tua adaugebitur.

332. — **Acedia.** — I. Iam alibi actum est modo generali de pessimo hoc perfectionis impedimento. — II. Hic tamen expresse notandum quod in incipientibus acedia a cessatione deliciarum et consolationum spiritualium saepe provenit. Quia ergo potius quaerebant proprium gustum, deficiente solatio, multum tristantur, et vere pigri, nec manus levant ut bene agant. Quot in hac via periere! Unde merito dixit Morotius I, 11, 2: « Acedia tandem subtilior est, cum deest consolatio, res spirituales odio habere, orationis studium deserere, sibi ipsi potius et propriae delectationi, quam divinae voluntati satisfacere velle; taedio item affici, cum ea iubentur, quae nulla nos suavitate oblectare possunt; arctam crucis viam cum repugnantia aggredi, et omnem fugere asperitatem » (1).

(1) Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 2, disp. 1, a. 6, n. 17, scribit: « Plures habent imperfectiones incipientes circa hoc vitium. Solent enim in rebus spiritualibus taedium et nauseam pati, ad instar filiorum Israël qui delicioeo mannae cibo divinitus pasti,

333. — Remedia. — Huius vitii remedium est illud quod ferme commune est omnibus vitiis capitalibus, scilicet solum Deum quaerere. Unde rite dictum est: « Qui enim Deum ipsum in oratione quaerit, vel viam inviam conatur ambulare, sciens quod in terra deserta et invia et inaquosa solet Deus apparere. Sane qui hoc immobili sidere ductus Deum solum quaerit, quot sentibus in progressu cruentatur, tot calcaribus movetur, ut Deum ipsum immensis salebris emensis, maioribus certaminibus exantlatis inveniat et iam illud nemo despiciat ».

334. — **Concludendum.** — Hi sunt, ait Ant. a Sp. Sancto, ordinarii defectus incipientium, quos nisi purgatione activa correxerint, vix aliquantulum in via perfectionis procedent.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Multum sollicita es (o Maria) miseros hos in tuos filios adoptare; hos regere, Domina, voluisti, et ideo et Regina misericordiae vocaris. Quid ergo de caetero

dum actu suavitatem eius non gustabant, dicere solebant, nauseat anima nostra super cibo isto levissimo... Sic huiusmodi incipientes suavitate spiritualium exercitiorum aliquando privati, cum alias ob suam praesertim satisfactionem ipsis insisterent, segniter sequuntur, et saepe penitus omittunt: et cum propriae voluntati potius quam divinae velint satisfacere, suavia quoque gustui commensurata solidis virtutum exercitiis praeferunt, quae ut plurimum corruptae naturae, difficilia et amara repugnant. De omnibus ex proprio gustu, velut ex prima regula iudicant: quae ipsis multum arrident, tamquam Deo gratissima amplectuntur; quae ipsis displicent tamquam Deo displicentia semper abhorrent: ex quo apparet quantum verae mortificationi, et verbis Apostoli contradicunt dicentis ad Phil. I. *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* ».

formidamus? quid timemus? et quis a te quod petierit non habebit? Certe nullus nisi qui se miserum non recognoscit (S. Bonav.).

MARIAM INVOCA. — O Mater misericordiae, o Mater mea! « Per te exsultat coelum, laetantur angeli et archangeli, fugantur daemones, et homo ipse ad coelum revocatur... Te adiutrice, gentes veniunt ad poenitentiam » (S. Cyrill. Alex.).

MARIAM LAETIFICA. — Magno virtutum desiderio: indefesso humilitatis exercitio. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. V. — DE PASSIONIBUS MODERANDIS.

335. — **Monitum.** — *Impossibilis omnino redditur profectus in perfectione, imo et ipsa perfectio, si passiones non moderamur, cum ubique nobis pugnandum, semperque contra vitia invigilandum.* Etenim « pugnat contra humilitatem, superbia; contra Domini timorem, inanis gloria; contra veram religionem, simulatio; contra subiectionem, contemptus; contra fraternam congratulationem, invidia; contra dilectionem, odium; contra libertatem iustae correptionis, detractio; contra patientiam, ira; contra mansuetudinem, protervia; contra satisfactionem, tumor; contra spiritale gaudium, saecularis vita; contra virtutis exercitium, torpor vel ignavia; contra firmam stabilitatem, dissoluta vagatio; contra spei fiduciam, desperatio; contra mundi contemptum, cupiditas; contra misericordiam, obduratio; contra innocentiam, fraus et furtum; contra veritatem, fallacia atque mendacium; contra ciborum parcimoniam, ventris ingluvies; contra moderatum moerorem, inepta laetitia; contra discretam taciturnitatem, multiloquium; contra carnis integritatem, immunditia; contra cordis munditiam, spiritalis fornicatio; contra amorem patriae coelestis, appetitus saeculi » (S. Aug.).

336. — « Profectus reformationis est, omnes affectiones habere ordinatas et in virtutes formatas sine rebellione, ut iam non libeat, nisi quod est secundum voluntatem Dei » (S. Bonav.).

337. — Unde per fugam vitiorum, et passionum moderationem aspirare debemus ad veram et magnam cordis et animae puritatem. « Quidquid ergo nos ad hanc puritatem potest dirigere, tota virtute

sectandum est; quidquid autem ab hac potest retrahere, quamvis necessarium et utile videatur, ut perniciosum et noxium devitandum » (Id.).

Art. I. — De Passionibus in genere.

338. — **Definitio.** — Passionis nomine hic intelligitur *motus appetitus sensitivi ad imaginationem boni, vel mali cum aliqua corporis immutatione, quo scilicet fertur ad bonum et fugit a malo.* Vocatur *passio*, quia illa immutatio infert passionem, ac proinde ab ea subiectum *patitur*. Unde *passio* proprie verificatur in *appetitu sensitivo* (1).

339. — Angelicus, 1. 2. q. 24, a. 2, ad 2, ait: « In omni passione animae additur aliquid vel diminuitur a naturali motu cordis, in quantum cor intensius vel remissius movetur, secundum systolen aut diastolen: et secundum hoc habet passionis rationem ». Et q. 81, a. 3, ad 2: « Natus est enim moveri appetitus sensitivus non solum ab aestimativa in aliis animalibus, et cogitativa in homine, quam dirigit universalis ratio, sed etiam ab imaginativa et sensu ».

340. — **Appetitus sensitivi** nomine intelligitur *quaedam animae facultas corpori unita, quae est in parte inferiori hominis, hoc est, in parte sensitiva, et*

(1) D. Th. 1. 2. q. 22, a. 3: «Dicendum quod... passio proprie invenitur ubi est transmutatio corporalis, quae quidem invenitur in actibus appetitus sensitivi... In actu autem appetitus intellectivi non requiritur aliqua transmutatio corporalis, qula huiusmodi appetitus non est virtus alicuius organi. Unde patet quod ratio passionis magis proprie invenitur in actu appetitus sensitivi quam intellectivi ».

habet pro obiecto bonum, vel malum sensibile, quod illi imaginatio proponit cum aestimatione convenientiae vel disconvenientiae.

341. — **Appetitus sensitivus dividitur** in *concupiscibilem* et *irascibilem*, prout respicit bonum vel malum sensibile ut quid *delectabile vel dolorosum*, vel bonum vel malum secundum quod habet rationem *ardui vel difficilis*.

342. — **Numerus passionum**: SEX SUNT PASSIONES IN CONCUPISCIBILI: *amor* et *odium, desiderium* et *fuga, gaudium* et *tristitia*. — QUINQUE IN IRASCIBILI: *spes* et *desperatio, timor* et *audacia, ira*. Sub iis undecim passionibus (quae omnes sunt specie differentes) omnes animae passiones continentur (S. Thom. 1, 2, q. 23, a. 4).

343. — *Gaudium* et *tristitia, timor* et *spes* aliquando vocantur principales. De qua re Angelicus, 1, 2, q. 25, a. 4. ait: « Dicendum quod hae quatuor passiones communiter principales esse dicuntur. Quarum duae, scilicet *gaudium* et *tristitia*, principales dicuntur, quia sunt completivae et finales simpliciter respectu omnium passionum... *Timor* autem et *spes* sunt principales, non quidem quasi completivae simpliciter, sed quia sunt completivae in genere motus appetitivi ad aliquid. Nam respectu boni incipit motus in amore, et procedit in desiderium, et terminatur in spe: respectu vero mali incipit in odio, et procedit ad fugam, et terminatur in timore ».

344. — **Differentia inter concupiscibilem et irascibilem**. — I. *Iuxta scholasticos, concupiscibilis* residet in iecore, *irascibilis* vero subiectatur in corde. Unde passiones *concupiscibilis* nascuntur in iecore; passiones vero *irascibilis* in corde. Et quia cor omnibus passionibus urgetur, ipsae passiones concupiscibilis in corde perficiuntur.

345. — II. *Appetitus irascibilis perfectior est concupiscibili* (imo irascibilis est quasi defensatrix et propugnatrix concupiscibilis). Etenim quoniam *concupiscibilis* respicit bonum sensibile prout dicit hoc quod est delectare, perficereque potentiam, cuius est bonum, et *irascibilis* bonum sensibile prout est arduum et difficile consequi, sequitur quod irascibilis praestat concupiscibili, utpote respiciens obiectum sub ratione minus materiali: *irascibilis* enim regitur ab aestimativa, quae rationibus insensatis ducitur; *concupiscibilis* vero ab imaginativa, quae sensatis rationibus regitur. *Irascibilis* appetit non quae delectant sensum, sed quae inserviunt ad debellanda impedimenta boni concupiscibilis, et ideo magis accedit ad appetitum rationalem. Aliunde irascibilis procurat adeptionem boni alterius facultatis et eam defensat, et hoc est altioris virtutis.

346. — III. Passiones irascibilis et principium habent a passionibus concupiscibilis, et in passionibus concupiscibilis terminantur.

347. — IV. Ergo passiones quae sunt in irascibili specie differunt a passionibus quae sunt in concupiscibili. Constat enim quod concupiscibilis respicit *bonum vel malum absolute*, ut amor: irascibilis vero respicit *difficultatem boni et mali*.

348. — V. in passionibus irascibilis reperitur contrarietas, tam secundum obiecta (id est, bonum vel malum), quam secundum accessum et recessum ab eodem termino: in passionibus vero concupiscibilis, secundum obiecta tantum. Attamen non omnis passio habet contrarium (talis sola ira). Denique sunt aliquae passiones eiusdem potentiae, quae differunt specie, nec sunt contrariae, ut amor et gaudium. — Vide alia apud S. Th. 1, 2, q. 22-25 *passim*, ex quibus multa in toto hoc articulo notamus.

349. — **Ordo passionum ad invicem.** — I. *Ordo passionum secundum viam generationis:* 1° amor et odium; 2° desiderium et fuga; 3° spes et desperatio; 4° timor et audacia; 5° ira; 6° gaudium et tristitia; Tamen *amor est ante odium,* etc.

350. — II. Amor est prima passionum concupiscibilis. Etenim « omnes passiones ex amore causantur » (S. Aug.). Unde Angelicus, 1, 2, q. 27, a. 4: « Dicendum quod nulla alia passio est quae non praesupponat aliquem amorem. Cuius ratio est quia omnis alia passio animae importat motum ad aliquid vel quietem in aliquo. Omnis autem motus ad aliquid vel quies in aliquo ex aliqua connaturalitate vel coaptatione procedit, quae pertinet ad rationem amoris ».

351. — III. Spes est prima inter omnes passiones irascibilis. Quia est propinquior primae, id est, amori.

352. — IV. Gaudium et tristitia, spes et timor sunt quatuor principales passiones, ut supra dictum est. « Solet harum quatuor passionum numerus accipi secundum differentiam praesentis et futuri; motus enim respicit futurum, sed quies est in aliquo praesenti. De bono igitur praesenti est *gaudium*, de malo praesenti est *tristitia;* de bono futuro est *spes*, de malo futuro est *timor*. Omnes autem aliae passiones, quae sunt de bono vel de malo praesenti vel futuro, ad has completive reducuntur » (S. Th. 1, 2, q. 25, a. 4).

353. — V. Ex hucusque dictis, sequitur quod *amor est radix et origo omnium passionum*, ut iam notavit S. Augustinus, siquidem omnes passiones transcendit et imperat. Ideo enim bonum desideratur, delectat, speratur, audaciam et iram excitat, quia amatur. Similiter malum non respueretur, si non amaretur bonum.

354. — **Bonum et malum in passionibus.** — I. Passiones secundum se non habent bonitatem et malitiam: induunt tamen bonitatem et malitiam a voluntate vel imperante, vel non prohibente. — II. Ergo secundum quod sunt voluntariae, possunt dici bonae vel malae moraliter. — III. Ergo non omnes animae passiones malae dicendae sunt, sed quae contra et praeter rationis iudicium sunt. — IV. Ergo cum passiones ex se sint indifferentes ad bonum et malum, ratione regulatae, bonae sunt adiuvantque ab obtinendam virtutem.

355. — HINC. — I. « Dicendum quod passiones animae dupliciter possunt considerari: uno modo secundum se, alio modo secundum quod subiacent imperio rationis et voluntatis. Si igitur secundum se considerentur, prout scilicet sunt motus quidam irrationalis appetitus, sic non est in eis bonum vel malum morale.... Si autem considerentur secundum quod subiacent imperio rationis et voluntatis, sic est in eis bonum vel malum morale. Propinquior enim est appetitus sensitivus ipsi rationi et voluntati, quam membra exteriora; quorum tamen motus et actus sunt boni vel mali moraliter, secundum quod sunt voluntarii » (S. Th. 1, 2, q. 24, a. 1).

356. — II. « Sicut igitur melius est quod homo et velit bonum et faciat exteriori actu, ita etiam ad perfectionem boni moralis pertinet quod homo ad bonum moveatur non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum appetitum sensitivum, secundum illud quod in Psalm. 33, 3, dicitur: *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*, ut *cor* accipiamus pro appetitu intellectivo, *carnem* autem pro appetito sensitivo » (Id. ibid. a. 3).

357. — III. VULGARI SENSU PASSIONES HABERI SOLENT UTI MALAE MOTIONES, quae quidem saepe sub

nomine *concupiscentiae* vel *fomitis peccati* designantur. Et moralistae per *concupiscentiam* plerumque intelligunt motum appetitus sensitivi adversus spiritum rebellantis, qui tendit in obiectum delectabile. Quod quidem notandum est, ne ex tali *minus rigorosa et late sumpta interpretatione* passionum, confundatur vera et proprie dicta passionis notio.

358. — IV. Tenendum ergo cum Angelico, 1, 2, q. 24, a. 2 : « Dicendum quod circa hanc quaestionem diversa fuit sententia Stoicorum et Peripateticorum : nam Stoici dixerunt omnes passiones esse malas ; Peripatetici vero dixerunt passiones moderatas esse bonas... Stoici enim non discernebant inter sensum et intellectum, et per consequens nec inter intellectivum appetitum et sensitivum ; unde nec discernebant passiones animae a motibus voluntatis, secundum quod passiones sunt in appetitu sensitivo, simplices autem motus voluntatis sunt in intellectivo ; sed omnem rationabilem motum appetitivae partis vocabant voluntatem, passiones autem dicebant motum progredientem extra limites rationis... Peripatetici vero omnes motus appetitus sensitivi *passiones* vocant. Unde eas bonas aestimant, cum sunt a ratione moderatae ; malas autem, cum sunt praeter moderationem rationis ».

359. — V. Si passiones antecedunt iudicium rationis, obnubilant illam, et sic diminuunt bonitatem vel malitiam actus ; si subsequuntur, addunt moralitatem tanquam operatio electa et volita a voluntate, ait Ant. a Spir. Sancto. Unde Angelicus, 1, 2, q. 24, a. 2, ad 3 : « Dicendum quod passiones animae, in quantum sunt praeter ordinem rationis, inclinant ad peccatum ; in quantum autem sunt ordinatae a ratione, pertinent ad virtutem ».

360. — **Notandum circa subiectum passionum.** — Passiones sunt in anima indirecte: in composito homine, absolute. « Respondeo dicendum, ait D. Thomas, 1, 2, q. 22, a. 1, quod pati dicitur tripliciter: uno modo communiter, secundum quod omne *recipere* est *pati*, etiamsi nihil abiiciatur a re, sicut si dicatur aërem pati, quando illuminatur; hoc autem magis est perfici quam pati. Alio modo dicitur proprie pati, quando aliquid recipitur cum alterius abiectione. Sed hoc contingit dupliciter: quandoque enim abiicitur id quod non est conveniens rei; sicut cum corpus animalis sanatur, dicitur pati, quia recipit sanitatem aegritudine abiecta. Alio modo, quando e converso contingit, sicut aegrotare dicitur pati, quia recipitur infirmitas, sanitate abiecta. Et hic est propriissimus modus passionis. Nam pati dicitur ex eo quod aliquid trahitur ad agentem; quod autem recedit ab eo quod est sibi conveniens, maxime videtur ad aliud trahi. Et similiter in 1 de Generatione, text. 18, dicitur quod quando ex ignobiliori generatur nobilius, est generatio simpliciter, et corruptio secundum quid; e converso autem quando ex nobiliori ignobilius generatur. — Et his tribus modis contingit esse in anima passionem. Nam secundum receptionem tantum dicitur quod sentire et intelligere est quoddam *pati*. Passio autem cum abiectione non est nisi secundum transmutationem corporalem: unde passio proprie dicta non potest competere animae nisi per accidens, in quantum scilicet compositum patitur. Sed in hoc est diversitas: nam quando huiusmodi transmutatio fit in deterius, magis proprie habet rationem passionis, quam quando fit in melius, unde tristitia magis proprie est passio quam laetitia ».

361. — Hinc « dicendum quod amor, et gaudium, et alia huiusmodi, cum attribuuntur Deo vel Angelis, aut hominibus secundum appetitum intellectivum, significant simplicem actum voluntatis cum similitudine effectus absque passione. Unde dicit Augustinus, 9, *de Civ. Dei,* cap. 5, in fine: Sancti Angeli et sine ira puniunt, et sine miseriae compassione subveniunt; et tamen istarum nomina passionum consuetudine locutionis humanae etiam in eos usurpantur, propter quamdam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem » (S. Th. 1, 2, q. 22, a. 3, ad 3).

362. — Resistentia passionibus ad malum inclinantibus. — Hae omnes passiones spiritu mortificationis fraenandae sunt, si aliquem progressum in virtute sumus facturi. Sunt enim instar nebulae, quae lumen rationis obscurat; sunt compedes et catenae animam in terra detinentes, ut assurgere ad spiritualia non possit; nam ut ait Apostolus (1. Cor. 2, 14): *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei...* Omni conatu eas prohibere studeamus, cum primum adversus virtutem insurgunt; facilius est enim initia affectuum prohibere, quam impetum regere. Tum praecludendus est eis exortus obstructis externis sensibus, nec permittenda est cogitatio in expressionem obiecti excurrere, unde passio possit accendi et efferari... Demum haec cura ab eius affectus moderatione incipienda est, a quo frequentius impugnamur, instituto hac de re examine particulari et ferventi ad Deum adhibita oratione; nec unquam ab huiusmodi exercitatione cessandum, donec contritus hostis rationis imperio parere discat (Morotius).

Art. II. — **De Passionibus concupiscibilis speciatim.**

363. — **Praenotandum.** — *Concupiscibilis tendit in obiectum bonum vel malum, bonum ut adipiscendum, malum ut fugiendum.* « In motibus autem appetitivae partis, *bonum* habet quasi virtutem attractivam, *malum* autem virtutem repulsivam. Bonum ergo primo in potentia appetitiva causat quamdam inclinationem, seu aptitudinem seu connaturalitatem ad bonum quod pertinet ad passionem *amoris*, cui per contrarium respondet *odium* ex parte mali. Secundo, si bonum sit nondum habitum, dat ei motum ad assequendum bonum amatum; et hoc pertinet ad passionem *desiderii* vel concupiscentiae; et ex opposito ex parte mali est *fuga* vel abominatio. Tertio, cum adeptum fuerit bonum, dat appetitus quietationem quamdam in ipso bono adepto; et hoc pertinet ad delectationem vel *gaudium*, cui opponitur ex parte mali dolor vel *tristitia* » (S. Th. 1, 2, q. 23, a. 4). — *Agemus imprimis de passionibus concupiscibilis, quoad bonum adipiscendum, seu de amore, desiderio et gaudio.*

Passiones concupiscibilis quoad bonum adipiscendum.

364. — **Amor.** — Amor sensitivus est *affectio qua appetitus alicui obiecto adhaeret, propter eius bonitatem, unione quadam,* vel *complacentia appetitivae virtutis in bono convenienti.* — Divisio amoris: Alius est *amor concupiscentiae* (quo diligimus bonum), et alius est *amor amicitiae* (qui ordinatur ad illum cui

bonum volumus). Hi autem duo amores miscentur, quando amicitia est utilis et delectabilis. — Hinc :

365. — I. *Amor non est idem ac dilectio.* Dilectio enim addit ad amorem electionem praecedentem : unde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum.

366. — II. *Amor, dilectio, charitas* et *amicitia* quamvis ad idem quodammodo pertinent, differunt tamen in eo quod *amicitia* est quasi habitus, *amor* autem et *dilectio* significantur per modum actus vel passionis, *charitas* autem utroque modo accipi potest. *Amor* communius inter ea est ; omnis enim dilectio vel charitas est amor, sed non e converso... *charitas* addit supra amorem perfectionem quamdam amoris, in quantum id quod amatur magni aestimatur (Cfr. S. Th. 1, 2, q. 26, a. 3). — Id quod amatur amore *amicitiae*, simpliciter et per se amatur ; quod autem amatur amore *concupiscentiae*, non simpliciter et secundum se amatur, sed amatur alteri vel sibi. Ille proprie dicitur amicus cui aliquod bonum volumus ; illud autem dicimur concupiscere quod volumus nobis.

367. — Quia amor sensitivus fertur non in bonum qualecumque, sed in bonum sensibus apprehensum et conveniens appetenti, sequitur quod amor concupiscibilis fundatur primitus in amore quo quis erga seipsum afficitur, ideoque caetera amantur utpote convenientia huic primo amato : ergo amor sui est principium omnium passionum.

368. — IV. Causa amoris. — 1° *Bonum* est proprie causa amoris : Bonum est obiectum amoris. — 2° Cognitio est causa amoris : etenim « nullus potest amare aliquid incognitum ». — 3° Similitudo est causa amoris : etenim « omne animal diligit simile sibi » (Eccles. 13). — 4° Nulla alia passio est

causa omnis amoris : etenim nulla alia passio est quae non praesupponat aliquem amorem. Potest tamen esse causa alicuius amoris ; quia unum bonum est causa alterius. Quae omnia sapientissime explanat D. Th. 1, 2, q. 27.

369. — V. Effectus amoris. — 1° *Unio* est effectus amoris : est enim obiectum amoris, et ut bonum apprehenditur. Unio enim est effectus amoris quo tendit ad realem assecutionem et amplexum amati. — 2° *Mutua inhaesio* (id est, intima perscrutatio , qua amans ingreditur in amatum perscrutans sigillatim omnia) est effectus amoris : « Deus charitas est », etc. — 3° *Extasis* est effectus amoris (*extasis* est vis amoris, qua ponitur amans extra se. Quoad arcana mystica, alibi). — 4° *Zelus* (id est, motus animae per modum doloris et tristitiae contra id, quod impedit quietam et adaequatam fruitionem) est effectus amoris. — Ad hos quatuor effectus amoris reducuntur alii, qui dicuntur *liquefactio*, seu vulneratio, *fruitio*, *languor* et *fervor*. — 5° *Amor* (quantum ad id quod est formale in ipso, quod est scilicet ex parte appetitus) *non est passio laesiva, sed magis conservativa et perfectiva :* unde amor *boni convenientis* est perfectivus et meliorativus amantis ; secus de amore boni non convenientis amanti. Homo perficitur per amorem Dei, deterioratur per amorem peccati. Quantum vero ad id quod est materiale in passione amoris, quod est immutatio aliqua corporalis, accidit quod amor sit laesivus propter excessum immutationis (S. Th. 1, 2, q. 28, a. 5).

370. — **Amoris moderatio.** — I. Amor potest esse inordinatus ex parte obiecti, vel ex parte modi : unde *amandum tantum id quod amari licite potest*, et *modo quo licite potest :* ergo fugiendus amor obiecti

mali, item excessus in modo amandi, item modus illicitus in amando obiectum licitum. Passio ista et omnes passiones appetitus concupiscibilis virtute temperantiae moderanda: temperantia enim retrahit ab his quae contra rationem appetitum alliciunt. — II. *Ad virtutem autem temperantiae pertinent ut partes integrales*, verecundia, honestas; *ut partes vero subiectivae*, abstinentia, sobrietas, castitas, patientia; ut *partes vero potentiales*, continentia, humilitas, mansuetudo, clementia, modestia. Omnes autem istae virtutes plurimum valent ad moderandas omnes passiones appetitus concupiscibilis, ut docet D. Thom. 2, 2, q. 141, a. 2, et alii communiter (Cfr. Ant. a Spir. S.). Quae omnia melius alibi explicantur.

371. — **Monita circa amorem.** — I. Affectus cordis ad Deum dirigat vir perfectionis studiosus, et omnia peragat pro Deo, propter Deum, secundum Deum. — II. Caveat ab excessiva amoris sensibilis erga alias personas sibi notas, praesertim diversi sexus, manifestatione, ne amor vertatur in laqueum contra cordis puritatem. — III. Abstineant confessarii a verbis et gestis quae carnalem potius amorem quam veram animarum charitatem sapiant. Sint benigni, mites, sed graves et prudentes. — IV. Amor indebitus vertatur in obiectum amore dignum: v. gr. amor divitiarum in amorem coelestium, indebitus amor creaturae in amorem Creatoris, etc.... Et hoc valde notari debet pro iis qui naturaliter valde amant et amore specialiter urgentur. — V. Cavendum ab amicitiis quae cor emolliunt ad terrena, vel perturbant in via perfectionis, vel animae periculum habent adiunctum ob multas illusiones. Memento quod amicitiae particulares merito dictae sunt *amicitiae inimicissimae*. Ergo crescat vera charitas erga omnes iuxta ordinem ipsius charitatis a Theologis assigna-

tum : nec amor sensibilis rerum creatarum fiat impedimentum ascensionis animae ad Deum. — VI. « Non dicitur nobis, ut nihil amemus, nam quis potest vivere sine amore ? sed amemus quod vere bonum, quod vere pulchrum est. Amemus eum qui fecit nos, qui tradidit semetipsum pro nobis, quia ipse prior dilexit nos. Non faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores » (Morotius).

372. — **Desiderium.** — DESIDERIUM est *motus appetitus ad bonum absens adipiscendum.* — VOCATUR ETIAM **Concupiscentia** quia amor, ut ait S. Augustinus, magis sentitur quando eum prodit indigentia, ideo inter omnes passiones concupiscibilis magis est sensibilis concupiscentia (desiderium) et propter hoc ab ea denominatur potentia.

373. — HINC. — I. *Desiderium differt ab amore et gaudio.* Nam *amor* est simplex in bono complacentia abstrahens ab absentia et praesentia obiecti: *gaudium* vero est quies in bono praesenti.

374. — II. *Ex concupiscentiis aliae sunt naturales (communes et brutis), aliae non naturales (rationales).* Etenim « concupiscentia est appetitus boni delectabilis. Dupliciter autem aliquid est delectabile: uno modo, quia est conveniens naturae animalis, sicut cibus et potus, et alia huiusmodi; et huiusmodi concupiscentia delectabilis dicitur *naturalis;* alio modo dicitur aliquid esse delectabile, quia est conveniens animali secundum apprehensionem; sicut cum aliquis apprehendit aliquid ut bonum et conveniens, et per consequens delectatur in ipso: et huiusmodi delectabilis concupiscentia dicitur *non naturalis*, et solet magis dici *cupiditas.* — Primae igitur concupiscentiae *naturales* communes sunt hominibus et aliis animalibus, quia utrisque est aliquid conveniens et delectabile secundum naturam... Sed secundae con-

cupiscentiae sunt propriae hominum, quorum proprium est excogitare aliquid ut bonum et conveniens, praeter id quod natura requirit (Philos. dicit primas esse *irrationales*, secundas vero *cum ratione*) » (S. Thom. 1, 2, q. 30, a. 3).

375. — III. Quia natura semper ad aliquid finitum et certum tendit, concupiscentia naturalis non potest esse infinita nisi in potentia per successionem; quia vero ratio in infinitum potest procedere, concupiscentia cum ratione est infinita. Unde nunquam homo desiderat infinitum potum, quamvis successive iterum et iterum postea desideretur potus: sed qui concupiscit divitias, potest eas concupiscere non ad certum terminum, v. gr. ad necessitatem vitae, sed simpliciter se divitem esse, quantumque potest. Uno verbo: *concupiscentia finis est infinita* (quia sine termino appetitur); *concupiscentia vero eius quod est ad finem (mediorum), est finita,* si secundum illam mensuram appetitur quae convenit fini. — (Cfr. S. Th., ibid. a. 4).

376. — **Desiderii moderatio.** — Si desiderium fertur in illicitum, mutandum obiectum. Si in licitum, sed indebite, moderandus modus.

377. — **Monita circa desiderium.** — I. Desideras gloriam vanam? verte te ad desiderium aeternae gloriae. — II. Multorum terrestrium desideriorum pulsaris bello? solum Deum et eius beneplacitum quaere, et gustabis et videbis quam suavis est Dominus. — III. Caveant devoti a confusa illa farragine desideriorum, quae dum mentem occupant, et virtutum palatia fabricant *in futurum*..., impediunt actualem laborem in renovatione spirituali et purgatione animae. — IV. Multi praetextu desiderii meliorum occasionum, et facilioris opportunitatis ad perfectionem animae procurandam, tempus miserabiliter con-

sumunt, in vinea Domini otiosi permanentes. — V. Vigilemus ergo, ne desideria naturalia teneant animam sub peccati et multiplicis imperfectionis servitute. Obediant naturalia rationi, et ratio amorosissimae voluntati Dei, qui sanctitatem animae nostrae desiderat, ad illamque nos invitat (1).

378. — **Gaudium** seu **delectatio** est *quies animae in possessione boni amati.* Unde respicit bonum ut adeptum. Delectatio procedit ex apprehensione sensitiva cum potentia connaturalis boni.

379. — Hinc. — I. *Delectatio differt a gaudio,* in eo quod latius patet delectatio, quam gaudium: nam gaudium est in concupiscentia rationali, delectatio vero etiam in brutis: unde delectationes sunt vel *naturales* vel *non naturales,* seu cum ratione. Ergo *delectatio dicitur de quiete in possessione cuiuslibet boni; gaudium vero de delectatione quae est secundum rationem, id est, cum ratione.*

380. — II. Laetitia, exultatio, iucunditas pertinent ad gaudium, iuxta illud Angelici, 1, 2, q. 31, a. 3, ad 3: « Alia nomina ad delectationem pertinentia sunt imposita ab effectibus delectationis; nam *laetitia* imponitur a dilatatione cordis... *Exultatio* vero dicitur ab exterioribus signis delectationis interioris, quae apparent exterius... *Iucunditas* vero dicitur a

(1) « Felix est, qui subiectus est Deo, qui nihil impense desiderat, qui se rebus accommodat, qui dicit, vult me Deus incolumem esse, vult me aegrotare? vult me divitem, vel pauperem? vult me Romam ire, vel hic morari? Ad utrumque paratus sum. Si semel dixerimus, quando ibimus Romam? actum de nobis est; nam si hoc nostrum desiderium non complebitur, miseri erimus. Tandem mors et aliae calamitates huius vitae ante oculos habendae sunt; facile enim contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum » (Morotius).

quibusdam specialibus laetitiae signis vel effectibus ; et tamen omnia ista nomina videntur pertinere ad gaudium, non enim utimur eis nisi in naturis rationalibus ».

381. — III. Omne quod concupiscimus secundum naturam, possumus (non agitur de moralitate) concupiscere cum delectatione rationis, sed non vice versa. Ergo de omnibus de quibus est delectatio, potest esse gaudium in rationalibus : quamvis non semper sit (etenim quis potest sentire delectationem naturalem de qua non gaudet secundum rationem).

382. — IV. Delectatio et gaudium simul requiruntur et in appetitu sensitivo et intellectivo, cum hac tamen differentia, quod delectatio appetitus sensitivi est cum corporis transmutatione ; delectatio vero voluntatis nihil aliud est, quam simplex intuitus voluntatis.

383. — V. Delectationes spirituales et intellectuales sunt meliores delectationibus sensibilibus et corporalibus. Corporales sunt nobis magis vehementes et magis notae. — Nota quod in appetitu intellectivo potest esse delectatio, quia ex apprehensione intellectus movetur voluntas. « Delectatio quaedam sequitur apprehensionem rationis. Ad apprehensionem rationis, non solum commovetur appetitus sensitivus per applicationem ad aliquid particulare, sed etiam appetitus intellectivus, qui dicitur voluntas. Et secundum hoc, in appetitu intellectivo, sive in voluntate, est delectatio, quae dicitur gaudium, non autem delectatio corporalis » (S. Th. 1, 2, q. 31, a. 4). Maximae delectationes (corporales) sunt secundum tactum : ratione cognitionis, visus est maxima. Quaedam delectationes sunt contra naturam, ut sodomia, etc. — Aliquae delectationes sunt contrariae ; quia aliquae se invicem impediunt.

384. — VI. Delectatio secundum se non est in tempore. « Igitur dicendum est quod delectatio secundum se quidem non est in tempore; est enim delectatio in bono iam adepto, quod est quasi terminus motus. — Sed si illud bonum adeptum transmutationi subiaceat, erit delectatio per accidens in tempore; si autem sit omnino intransmutabile, delectatio non erit in tempore, nec per se, nec per accidens... Delectatio dicitur morosa vel diuturna secundum quod per accidens est in tempore » (S. Th. 1, 2, q. 31, a. 2).

385. — VII. Causae delectationis. — 1° Omnis delectatio in operationem reducitur sicut in causam. Ad delectationem requiritur: *a*) consecutio boni; *b*) cognitio huiusmodi adeptionis: atqui hae sunt operatio.... — 2° Motus est causa delectationis. — 3° Spes et memoria sunt causae delectationis. — 4° Tristitia est causa delectationis: « saepe laeti tristium meminimus » (S. Aug.). — 5° Actiones aliorum sunt nobis causa delectationis: « Charitas... congaudet... veritati » (1 Cor. 13). — 6° Benefacere alteri est causa delectationis: Amor praecipua causa delectationis est. — 7° Similitudo est causa delectationis. Similitudo est causa amoris. — 8° Admiratio est delectationis causa. Omnia admirabilia sunt delectabilia, sicut quae sunt rara (Ita ex D. Th. 1, 2, q. 32).

386. — VIII. Effectus delectationis. — 1° Delectationis est dilatare (metaphorice) ad continendum interius rem delectantem. — 2° Delectatio secundum quod est in actu, non nisi per accidens sitim vel desiderium sui ipsius causat: ut vero in memoria est, et non in actu, sitim et sui desiderium causat per se. — 3° Delectationes consequentes actum rationis (ut contemplatio) augent usum rationis: corporales delectationes impediunt. — 4° Delectatio

perficit operationem; quia facit attentius operari propriam, sed impedit alienam extraneam (Ita ex D. Th. 1, 2, q. 33).

387. — Bonitas et malitia delectationum. — 1° Non omnis delectatio est mala. — 2° Non omnis delectatio est bona. — 3° Aliqua delectatio est *optimum:* Beatitudo. — 4° Delectatio voluntatis est regula bonitatis vel malitiae moralis (est bonus qui gaudet in operibus virtutis): secus de delectatione appetitus sensitivi.

388. — **Gaudii seu delectationis moderatio.** — Delectationes illicitae omnino vitari debent; licitis vero cum moderatione utendum, et ad vitae sustentationem, cum gratiarum actione et intentione Deo placendi. Unde, contra delectationes illicitas adhibenda continentia, verecundia et mortificatio; contra excessus in delectationibus licitis, adhibeatur salutaris praxis alicuius mortificationis, v. gr. in cibo abstineas a minima aliqua portione quae tibi arridet, etc. « Verum gaudium nonnisi ex virtutum conscientia nascitur. Non potest gaudere, nisi iustus, fortis et temperans. Vere gaudet, qui de sui optima parte gaudet. Hoc gaudium noxiae voluptati oppônamus, nam gustata rerum coelestium suavitate omne terrenum gaudium desipiet ». (Morotius).

389. — **Monita circa gaudium seu delectationem.** — I. Voluntas non vacet tota carnalibus delectationibus licitis; sic noli vivere quasi ad manducandum, sed manduca ad vivendum. — II. Non expedit ut viri perfectionis studiosi nimis occupentur in delectationibus naturalibus, etsi licitis, procurandis: nec convenit ut nimis frequenter loquantur de mundanis gaudiis, de conviviis, de cibo, de potu, etc. — III. Etiam in delectationibus rationis seu non mere naturalibus, cavendum a frequenti et clamorosa gaudii

explosione, quae animam veluti evaporare facit, sed in omnibus modeste et moderate agendum. Attamen nullo modo laudanda excessiva serietas et haud sociabilis marmoreaque frigiditas quorumdam, qui praetextu devotionis, fiunt confratribus nimis graves. « Laetamini in Domino, et exsultate iusti ». — IV. Advenientibus vere licitis animae gaudiis, anima convertatur in Deum, et magno cordis affectu et vera exsultatione consideret quanto maiores et nobiliores erunt coelestes delectationes : unde mundana aspernat et suspiret ad aeterna.

Passiones concupiscibilis quoad malum fugiendum.

390. — AMORI *contrariatur* ODIUM ; DESIDERIO FUGA ; GAUDIO TRISTITIA, ut dictum est supra.

391. — **Odium** est *displicentia de apprehenso ut repugnanti et nocivo,* vel *dissonantia appetitus concupiscibilis ad apprehensum ut repugnans.* — HINC : I. Sicut *bonum* est *obiectum amoris,* sic *malum* est *obiectum odii.* Ipsum autem malum seu obiectum odii est malum verum vel apparens, sensibile, cognitum in tota sua latitudine, prout comprehendit inhonestum, inutile ac insuave. — II. Causa odii est malum (1). Dicitur etiam et recte quod odium

(1) Angelicus 2, 2, q. 34, a. 6, ad 3, ait : « Dicendum quod nihil prohibet, secundum diversas rationes aliquid oriri ex diversis causis; et secundum hoc odium potest oriri et ex ira, et ex invidia; directius tamen oritur ex invidia, per quam ipsum bonum proximi redditur contristabile, et per consequens odibile; sed ex ira, oritur odium secundum quoddam augmen

causatur ex amore: etenim, quia amatur bonum, odio habetur impediens bonum. Aliunde « omnes affectiones causantur ex amore » (S. Aug.). — III. Impossibile est aliquem seipsum simpliciter odisse; quia ens tendit in proprium amorem. Per accidens vero peccator vere dicitur se odisse; quia nocet animae suae, etc. — IV. Amor est fortior odio; quia causa fortior est effectu. Odium aliquando videtur fortius, quia est magis sensibile. — V. Non potest veritas in universali a quoquam odio haberi, sed in particulari potest secundum quod repugnat bono amato: « homines amant veritatem lucentem; oderunt eam redarguentem » (S. Aug.). — VI. Ira semper est ad aliquid particulare: odium vero potest esse ad aliquid in genere, v. gr. odium in lupum et in omnem lupum.

392. — **Odii moderatio.** — I. Odium moderemur amore, utpote contrario suq. — II. Malum absolute, ut peccatum, infernum, odio semper habendum est. Secus, non absolute odiandum est, sed prout aliquod conducit ad peccatum. Unde non absolute praecipimur odio habere animam nostram, sed quatenus re-

tum; nam primo per iram appetimus malum proximi, secundum quamdam mensuram, prout scilicet habet rationem vindictae; postea autem per continuitatem irae pervenitur ad hoc quod homo malum proximi absolute desideret, quod pertinet ad rationem odii. Unde patet quod odium ex invidia causatur formaliter secundum rationem obiecti, ex ira autem dispositive ». — Et in libro *De malo*, q. 10, a. 2, ad 1 addit: « Contingit autem aliquem tristari de felicitate alterius propter alias rationes quae ad invidiam non pertinent, sed quandoque ad alia vitia. Quicumque enim odit aliquem tristatur de felicitate eius, non in quantum est excellentia quaedam, sed in quantum est simpliciter bonum quoddam eius quem odit ».

fertur ad illicita, iuxta illud: « Si male amaveris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti; felices qui oderunt persequendo, ne perdant amando ».

393. — **Monita circa odium.** — I. Cave ab internis impressionibus, seu uti vocant, antipathia adversus proximum, quia non raro sunt veluti initia odii et in odium converti possunt. Unde in amore, leva oculos tuos in altum, id est ama pro Deo et propter Deum, et non ex quasi brutali sensitivismo, ut aiunt. — II. Cave ne sub praetextu zeli cor tuum exsiccetur (et charitas destruatur) adversus aliquem, quem imperfectum et gravosum decantare non cessas. — III. In diversitate opinionum scholae vel politicae, invigilandum, ne iudicii discordia causet quasi habitualem rancorem contra personas alterius partis.

394. — **Fuga** seu **Aversio** est *motus appetitivae virtutis quo vivens refugit ab eo quod sibi repugnans et malum deprehendit,* vel *recessus a malo dissono,* seu tamquam a nocivo. — Vocatur **Abominatio** propter rationem cui coniungitur. Viguerius, *Instit. ad christ. theol.* c. 1, § 10, ver. 6 ait: « Abominatio est immutatio appetitus concupiscibilis, quia refugit malum sensibile, ut fiat absens et non appropinquet: et opponitur desiderio sive concupiscentiae ». Hinc *Fuga opponitur desiderio* seu concupiscentiae, quia desiderium accedit ad bonum conveniens, fuga recedit a malo disconvenienti, ut illud evitet.

395. — **Fugae moderatio.** — Fugiendum verum malum, ut peccatum et occasiones seu pericula peccatorum, iuxta dicta in *Th. Morali.* Alia mala non absolute talia, quaeque simpliciter mala non sunt, non solum non semper fugienda, sed et saepe amplectenda, quando scilicet sunt quid bonum pro anima nostra. Sic patienter amplectenda poena mortificationis, afflictiones et labores quibus Deus amicos

suos probari permittit. « Considerandum nos multa fugere ut adversa et appetitui nostro contraria, quae quia spiritui prosunt, inepte satis abominamur. Quod si potum amarum accipimus, quia corpori salutem affert, cur multa amara et molesta menti salutem afferentia non tolerabimus? *Non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis* » (Morotius).

396. — **Monita circa fugam.** — I. In negotio salutis corporalis non excessivo et inquieto modo agendum ut ab omnibus incommodis praeservemur: aliter vita nostra fiet tota fere sensualis et delicata, magno cum spiritualis profectus nocumento. Attamen cavendum ab imprudentiis saluti corporis nocivis. — II. Cavendum ne ad physicas vel morales molestias fugiendas, laedatur iustitia vel fraterna charitas. — III. Fugiamus vanitates, utpote quae sub boni materialis specie saepe malum animae absconditum tenent. Ergo « fugiamus hinc, ubi nihil est, ubi inane est omne quod magnificum putatur esse; ubi qui se putat aliquid esse nihil est, et omnino non est » (S. Ambros.).

397. — **Tristitia** est *quidam motus quo appetitus affligitur, perturbatur et inquietatur de malo praesenti,* vel *inopia appetitionis. Tristis* idem sonat ac *tritus stans*, quia tristitia terit, id est affligit et consumit corpus.

398. — Tristitia vocatur etiam **Dolor.** — Dolor qui est proprius hominis, dividitur in *misericordiam, invidiam, acediam, angustiam,* quibus addunt *poenitentiam*, quae per se est obiectum tristitiae, et *nemesim* et *zelum*, quae ad invidiam pertinent. — *Misericordia* est dolor de malo alieno, reputato ut proprio. *Invidia* est tristitia de bono alieno, reputato ut malo proprio. *Angustia* est aggravatio animi,

quae nullum relinquit effugium. *Acedia* (gallice *abattement*) est quando aggravatio ista venit usque ad membra exteriora et ponit in eis quasi stuporem, praesertim vocem impediendo. *Poenitentia* est dolor de malo proprio. *Nemesis* est tristitia de bono temporali alieno, reputando aliquem illo indignum. *Zelus* est tristitia de excellentia aliena, dum deest zelanti.

399. — *Tristitia non est idem quod dolor: sed eius species, ut gaudium delectationis.* — Tristitia esse potest de praesenti, praeterito et futuro; sed dolor corporalis non potest esse nisi de praesenti (S. Antonin.).

400. — Hinc. — I. *Delectatio et tristitia ex suis obiectis contrariantur invicem.* — Non omnis tristitia omni delectationi contrariatur, v. gr. tristitia de morte amici et delectatio in contemplatione. — Delectationi, quae de ipsa contemplatione est, nulla tristitia contraria est, nec ei admiscetur, nisi per accidens: quia obiecto contemplationis non est contrarium, nisi per accidens. — Fortior est appetitus delectationis, quam fuga tristitiae (secus per accidens): « Bonum est fortius quam malum » (S. Dionys.): Etenim delectatio est de bono, tristitia vero de privatione boni. — Dolor interior potior est quam dolor exterior: quia interioris apprehensio est altior, quam exterioris, et quia patimur dolorem exteriorem, ut vitemus interiorem.

401. — II. Causae tristitiae seu doloris. — 1° Magis proprie est causa tristitiae vel doloris malum coniunctum, quam bonum amissum. Amissio boni apprehenditur sub ratione mali. — 2° Concupiscentia est causa doloris. Non vero universalis causa doloris. — 3° Amor vel appetitus unitatis est causa doloris. Dolor ex S. Aug. est « quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens ». — 4° Voluntas resistens potestati fortiori causat dolorem: si enim

non resisteret, sed cederet consentiendo, non sequeretur dolor, sed delectatio — (Ita ex D. Th. 1, 2, q. 36).

402. — III. Effectus doloris vel tristitiae. — 1° Dolor intensus minuit et saepe aufert addiscendi facultatem. — 2° Tristitia maxime animum aggravat, et saepe animi et corporis motum impedit. — 3° Tristitia impedit seu debilitat operationem, si proveniat ex operatione: auget operationem, si est principium operationis, modo remaneat spes expellendi (delectatio perficit operationem). — 4° Tristitia inter omnes animae passiones magis corpori nocet: quia excedit moderatam motionem cordis in alia membra — (Ita ex D. Thom. 1, 2, q. 37).

403. — IV. Remedia tristitiae seu doloris. — 1° Delectatio expellit vel saltem minuit tristitiam. Delectatio enim est quies animi. — 2° Fletus et gemitus tristitiam minuunt. Sic malum exit ad extra... — 3° Naturaliter amicus condolens in tristitiis est consolativus, quia tristis ex hoc percipit se amari et sublevatur. — 4° Per contemplationem dolor et tristitia mitigantur. In contemplatione veritatis maxima delectatio consistit; omnis autem delectatio dolorem mitigat (Ita ex D. Thom. 1, 2, q. 38). — 5° « Tristitia secundum suam speciem repugnat vitali motioni corporis; et ideo illa quae reformant naturam corporalem in debitum statum vitalis motionis repugnant tristitiae, et illam mitigant » (Id. ibid. a. 5). Et in hoc sensu dicitur quod per somnum et balnea dolor et tristitia mitigantur *(Ibid.)*. De balneorum opportunitate saepe decidere possunt soli medici.

404. — V. Bonitas et malitia tristitiae vel doloris. — 1° Non omnis tristitia est malum. Tristitia enim de malo est bona. — 2° Tristitia potest esse bonum honestum, si procedit ex rectitudine voluntatis et ra-

tionis (beati qui lugent): et bonum utile si repellit contristans, seu si est in fugiendo quod contristat. — 3° Dolor corporis non est summum malum: quia est poena, et culpa est maius malum: in omni tristitia est aliquid boni, cuius carentia potest fieri peius (Vide D. Th. 1, 2, q. 39).

405. — **Tristitiae moderatio.** — Multum iuvat ad tristitiam moderandam conformatio divinae voluntati, vita innocens et patientia, quia tunc magis apparent et amor animae erga Deum qui est vera laetitia cordis, et ratio salutaris probationis per quam aeterna gaudia paucis terrenis doloribus comparantur. — *Tristitia inordinata ex parte obiecti,* v. gr. tristitia de absentia occasionis peccandi, moderanda per tristitiae conversionem ad licita v. gr. per contritionem ac considerationem foeditatis peccatorum. — *Tristitia inordinata ex parte modi,* v. gr. excessivus dolor et quasi desperatio ob mortem amici, moderanda per motiva fidei, per orationes, etc., imo et per media naturalia.

406. — **Monita circa tristitiam.** — I. « Servo Dei non convenit exterius tristitiam ostendere, aut faciem habere conturbatam » (S. Franc. Assis.).

407. — II. Cavendum ne tristitia in quamdam quasi insaniam ducat, ac proinde non solum fide, sed et ratione moderanda; « tristitiae medicus est ratio » (S. Aug.).

408. — III. Si vis perfectus esse, expelle a te tristitiam nimiam, seu non rationalem: nam « sicut tinea comedit vestimentum, et sicut vermis rodit lignum, ita tristitia nocet cordi » (S. Bern.).

409. — IV. Si tristaris, videas utrum tristitia perseverat quia otio indulges. Etenim « occupatio prodest tristibus, ut obliviscantur tristitiae » (S. Bonav.). Unde valde reprehendendi qui tristitiae praetextu, medita-

bundi permanent, et inutilibus et saepe insanis considerationibus circa obiectum tristitiae ipsam fovent, nutriunt et adaugent.

410. — V. Si tristis es, non facile credas novis motivis quae tuam tristitiam quasi confirmant, sed crede viro prudenti et devoto ; nam « triste est quidquid aspicitur, quidquid delectabile creditur, moesto cordi lamentabile apparet » (S. Greg. Magn.).

411. — VI. Illis qui peccatis inquinati tristantur, absque vero conversionis proposito, dicendum : « Si vis nunquam tristis esse, bene vive : secura conscientia tristitiam leviter sustinet, bona vita gaudium semper habet » (S. Isidor.). — Iusti autem saepe valde etiam tristantur ad probationem, sed diversimode.

412. — VII. « Tristemur tristitia, quae gaudii sit mater : et non laetemur gaudio, quod tristitiam pariat. Tristemur tristitia, ex qua germinetur requies et refocillatio » (S. Chrysost.). Quam dulces lacrymae contritionis ! quam suaves lacrymae ex zelo animarum provenientes, charitatem excitantes !

413. — VIII. Tristitia bona est pacifica compunctio. Unde « saeculi tristitia est, aut de amissis rebus propriis, aut de alienis non invasis dolere, vel de alterius felicitate torqueri : secundum Deum vero, tristitia est sive sua, sive aliena lugere commissa » (S. Hier.).

414. — IX. Mansuetudo tristitiam fugat : « Tristitia tranquillum animum ac mitem non patitur, et ad cuncta operationum officia impatientem et asperum reddit » (Ioan. Cass.).

415. — X. « Tristitiam facile vincit, qui nil terrenum novit amare » (Kempis).

416. — **Concludendum circa tristitiam.** — 1° « Tristitia, quae hominem ad malum fugiendum vel vitandum impellit, maximam illi praestat utilitatem » (S. Th.). — 2° « Felix tristitia, quae non

de creatura, sed de Creatore concipitur, quae nulla praesentis vitae luget incommoda; dignum plane est, ut Deum totius consolationis consolatorem habeat » (Rich. a S. Vict.). Talis fit etiam totus devotus; totus misericors erga proximum, nec quaerit quae sua sunt. — 3° « Absquê illa, quae vel pro salutari poenitentia, vel pro studio perfectionis, vel pro desiderio suscipitur futurorum, omnis tristitia tamquam saeculi, et quae mortem inferat, aequaliter repellenda est, ac penitus extrudenda » (Ioan. Cass.). — A fortiori, destruenda illa falsa tristitia (seu potius *quasi-desperatio* specie virtutis contritionis et desiderii perfectionis vestita), quae animam peccatoris et devoti inutilem reddit ad Dei famulatum.

Art. III. — De Passionibus irascibilis speciatim.

417. — **Praenotandum.** — « In passionibus autem irascibilis praesupponitur quidem aptitudo vel inclinatio ad prosequendum bonum vel fugiendum malum ex concupiscibili, quae absolute respicit *bonum* vel *malum;* et respectu boni nondum adepti est *spes* et *desperatio;* respectu autem mali nondum iniacentis, est *timor* et *audacia;* respectu autem boni adepti non est aliqua passio in irascibili quia iam non habet rationem ardui... sed ex malo iam iniacente sequitur passio *irae* » (S. Th. 1, 2, q. 23, a. 4). — Agemus ergo de quinque passionibus irascibilis, quae sunt: *spes, desperatio, audacia, timor* et *ira.*

418. — **Spes** est *motus in bonum apprehensum ut arduum, cuius consecutio possibilis videtur.* — Ety-

mologice, « spes idem dicitur *quasi pes;* quia est pes progrediendi ad ardua » (S. Antonin.) (1).

419. — Hinc. — I. *Spes differt specie a desiderio seu cupiditate.* Desiderium enim respicit bonum futurum absolute: spes vero bonum futurum arduum. Spes tamen supponit desiderium. — Aliquando motus spei dicitur *expectatio.*

420. — II. Spei passio est etiam in brutis, nam si canis videat leporem nimis distantem non movetur ad ipsum, quasi non sperans se eam posse adipisci. Diverso tamen modo reperitur in homine et in brutis; nam in brutis iste motus excitatur ex naturali instinctu, in homine fit proprio discursu per directionem intellectus.

421. — Nota : « Quamvis bruta animalia non cognoscant futurum, tamen ex instinctu naturali movetur animal ad aliquid futurum, ac si futurum praevideret: huiusmodi enim instinctus est eis inditus ab intellectu divino praevidente futura. — Appetitus sensitivus brutorum animalium, et etiam appetitus

(1) Angelicus, 1, 2, q. 40, a 1: « Dicendum quod species passionis ex obiecto consideratur. Circa obiectum autem spei quatuor conditiones attenduntur: primo quidem quod sit bonum: non enim, proprie loquendo, est spes nisi de bono; et per hoc differt spes a timore, qui est de malo: secundo ut sit futurum; non enim spes est de praesenti iam habito; et per hoc differt spes a gaudio, quod est de bono praesenti: tertio requiritur quod sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile: non enim aliquis dicitur sperare minimum, quod statim est in sua potestate ut habeat: et per hoc differt spes a desiderio vel cupiditate, quae est de bono futuro absolute; unde pertinet ad concupiscibilem, spes ad irascibilem; quarto quod illud arduum sit possibile adipisci; non enim aliquis sperat in quod omnino adipisci non potest: et secundum hoc differt spes a desperatione ».

naturalis rerum insensibilium sequuntur apprehensionem alicuius intellectus; sicut et appetitus naturae intellectivae, qui dicitur *voluntas*. Sed in hoc est differentia, quod voluntas movetur ex apprehensione alicuius intellectus coniuncti; sed motus appetitus naturalis sequitur apprehensionem intellectus separati, qui naturam instituit; et similiter appetitus sensitivus brutorum animalium, quae etiam quodam instinctu naturali agunt. Unde in operibus brutorum animalium et aliarum rerum naturalium apparet similis processus, sicut et in artis operibus. Et per hunc modum in animalibus brutis est spes et desperatio » (S. Th. 1, 2, q. 40, a. 3). — *Nota notae:* Appetitus naturalis est inclinatio entis ad aliquam rem sibi convenientem, et cuilibet rei inest, ut habent philosophi.

422. — III. Experientia est causa spei, nam est causa spei omne illud quod auget potestatem hominis, ut divitiae, experientia, etc.: unde nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. Attamen experientia aliquoties est causa desperationis. Stultitia et inexperientia sunt causa spei per accidens. — In iuvenibus et ebriosis abundat spes; quia obiectum spei est futurum arduum possibile, et iuvenes habent plus de futuro, abundant spiritibus, carent experientia: ebrii vero non considerant difficultates.

423. — IV. Spes in quantum respicit bonum speratum, ex amore nascitur: sed in quantum respicit eum per quem nobis aliquid possibile fit, amoris eius est causa. — Spes operationem iuvat intendendo ipsam, et causando delectationem: unde existimatio ardui excitat attentionem, existimatio possibilis non retardat conatum. — Nota: « Spes per se causat delectationem, sed per accidens est ut causet tristitiam », ait D. Thomas.

424. — **Spei moderatio.** — Spes avertatur a bonis caducis et aliis similibus obiectis. Item, a mediis indebitis ipsius spei: ac proinde non ponatur spes in hominibus et principibus, sed in Deo. Item, a modis non rectis in sperando, sive ab imprudentia et inconsideratione in agendo quae possibilia non sunt, quod non raro accidit iuvenibus, qui consilium non quaerunt, etc. Unde merito scribit Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 2, disp. 7, a. 8, n. 4 : « Quantum ad tria (spes) debet moderari. Est immoderata ex parte obiecti, dum filii hominum solis terrenis inhiantes, bona tantum caduca... et carnis sperant voluptates. Est immoderata ex parte medii, dum spem suam ponunt in... filiis hominum in quibus non est salus... dum ponunt in carne fortitudinem suam, non recordantes quia omnis caro foenum..... Est immoderata ex parte modi, dum absque consilio et prudentia quis iudicans omnia sibi esse possibilia, sperat de bono rei successu, quando foret desperandum ».

425. — **Monita circa spem.** — I. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. — II. Non alligetur cor tuum creaturae a qua honores et favores spectes, sed iacta cogitatum tuum in Deum. — III. « Illi qui non sperant in Dominum, spes illorum mortalis, spes illorum caduca, fragilis, volatica, transitoria, inanis erit » (S. Aug.). Unde astante favore et felicitate mundana, non consistas in illa, sed para animam tuam ad tribulationem, ne postea nimis conturberis. — IV. « Spei comites sunt contemplatio supernorum, gaudium, modestia, confessio, patientia, compunctio, longanimitas » (Hugo a S. Vict.). — V. In vita spirituali noli de tuis viribus praesumere, sed sub Directoris obedientia et ducatu in viis Domini ambula. Multi enim sibime-

tipsis fidentes errarunt et a recto tramite declinarunt. — VI. In exercitiis fraternae charitatis, etc., cave ne humanis rationibus ducaris, et ob nullam humanam ingratitudinem a sanctis propositis declines, mercedem a solo Deo sperans.

426. — **Desperatio** est *retessus appetitus irascibilis a bono, quod iudicatur impossibile adipisci.* — Ipsa autem difficultas consequendi aliquod bonum habet quandam mali rationem. *Desperatio contrariatur spei :* illa recedit, ista accedit.

427. — Hinc. — I. Spes et desperatio praesupponunt desiderium boni, nam de iis quae non possunt esse obiectum desiderii nec spem nec desperationem habemus.

428. — II. Desperatio non solum importat privationem spei, sed recessum a re desiderata propter aestimatam impossibilitatem illam adipiscendi.

429. — **Desperationis moderatio.** — Desperatio immoderata *quoad obiectum,* qua desperatur de assequendo aliquo bono apparenti et non vero (v. gr. honores mundani), moderanda mentem vertendo ad bona vera, et indignum iudicando de rebus humanis habere desperationem et ob caduca tantum turbari. — Si sit *quoad medium,* sperandum in Divino auxilio, et cavendum a pusillanimitate. Maxime valet magnanimitas, quae firmat animam et difficilia prosequitur, recta tamen ratione.

430. — **Monita circa desperationem.** — I. Cavendum ne nomine desperationis et mentitae impossibilitatis admittatur quaedam pigritia in obligationibus proprii officii et conditionis perfecte adimplendis. — II. Cave ne desperatio quaedam interna ob tentationes vel anteacta peccata etiam iam confessa vel imperfectiones in corde tuo introducatur sub mentita humilitatis et contritionis veste. — III. In

vicissitudinum et difficultatum praesentis vitae tristi apprehensione, non turbetur cor tuum neque desperet: considera bonitatem et mirabilem simulque misericordiosam D. Providentiae dispositionem, et consolatio non tardabit, et roborabitur cor tuum, et sperabis in Domino. — IV. Patientiam habe cum temetipso, et ab exercitio vitae perfectionis ne desistas ob multiplicem fragilitatem et inconstantiam : sed, ut dictum est alibi, deplora, ora, spera, et viriliter semel atque iterum incipe, et victoriam obtinebis.

431. — **Audacia** est *motus appetitus irascibilis malum arduum imminens prosequentis,* vel *motus inclinans ad fortiter impugnandum malum apprehensum ut terribile et imminens, sed superabile.* Audacia contrariatur timori (1). — Nomine *mali terribilis* intelligitur illud quod non potest facile vinci, quod notandum est etiam pro *timore.*

432. — Hinc. — I. Nihil quod ad defectum pertinet, est per se causa audaciae (secus quod ad abundantiam pertinet): quia nec spei. « Nullus defectus causat audaciam, nisi per accidens, in quantum scilicet habet adiunctam aliquam excellentiam vel veram vel aestimatam, vel ex parte alterius, vel ex parte sui » (S. Th. q. 45, a. 3, ad 3). Ignorantia est defectus per quem saepe excluditur cognitio periculorum et timorum, et tunc per accidens causat audaciam. Nota quod ex parte transmutationis corporalis, « caliditas cordis repellit timorem, et causat

(1) Angelicus, 1, 2, q. 45, a. 1 : « Illud autem quod maxime distat a timore est audacia. Timor enim refugit nocumentum futurum propter eius victoriam super ipsum timentem; sed audacia aggreditur periculum imminens propter victoriam sui super ipsum periculum ».

spem propter cordis extensionem et amplificationem », ait S. Thomas.

433. — II. « Quaecumque nata sunt causare spem vel excludere timorem, sunt causa audaciae » (id.). — « Qui sunt bonae spei, sunt audaces » (Phil.).

434. — III. Audaces promptiores sunt in ipso principio, quam in fine in periculis; fortes vero cum ex deliberationis iudicio pericula aggrediantur, e contra se habent.

435. — **Audaciae moderatio.** — Cavendum ab audacia, quae oritur ex sola sensitiva apprehensione, et curandum ut semper oriatur ex ratione et discursu. Audacia moderanda virtutibus quibus moderanda spes. Unde consideratione vanitatis mundanae moderanda audacia ad vana aggredienda, et consideratione gloriae coelestis et omnium novissimorum cum devota deprecatione efficiemur audaces ad virtutes consequendas.

436. — **Monita circa audaciam.** — I. Esto vere audax ad continuam et difficilem contra ordinarios defectus pugnam sustinendam, et noli obligationem quotidianam minori voluntatis ardore adimplere, et in arduis tantum et gloriosis ex quadam subtilissima vanitate audax fieri. — II. Vere laudanda audacia quae in diffidentia de semetipso et in recta fiducia in Deo fundatur. — III. Cave ne vana gloria meritum tuarum actionum inficiat. — IV. In rebus extraordinariis, noli proprio tantum iudicio inniti, sed exquire prudentum consilium. — V. In periculis tentationum carnalium, tua audacia consistat in fuga et oratione; noli cum diabolo disputare, sed ad Deum fortiter et suaviter te converte.

437. — **Timor** est *motus appetitus irascibilis recedentis a malo futuro, cui resisti vix potest*, vel *consternatio animae ob mali expectationem* (Plato). —

Differt a tristitia, quia haec est de malo praesenti: *item ab ira,* quia haec de malo vindicando et repellendo.

438. — Sex sunt timoris species: *Segnities* (timor laboris, gallice *lâcheté,* hisp. *cobardia*), *erubescentia* (cum turpitudo timetur in actu committendo), *verecundia* (cum est turpitudo in actu iam facto), *admiratio* (cum quis considerat magnum malum et non videt medium vitandi), *stupor* (ex insolita consideratione seu imaginatione mali), *agonia* (cum quis considerat malum imminens, subitum, seu improvisum et difficile vitatu). — Est timor *naturalis (lato sensu)* in quantum natura inclinat ad fugiendam corruptionem et destructionem (sed non datur *timor naturalis stricte,* quia naturalia sunt et in inanimatis absque cognitione, ut crescere). Unde est « timor *de malo corruptivo,* quod natura refugit propter naturale desiderium essendi; et talis timor dicitur esse naturalis: et iterum de *malo contristativo,* quod non repugnat naturae, sed desiderio appetitus; et talis timor non est naturalis, sicut etiam supra, q. 30, a. 3, et q. 21, a. 7, amor, concupiscentia et delectatio distincta sunt per naturale et non naturale » (S. Th. 1, 2, q. 41, a. 3).

439. — Hinc. — I. Obiectum timoris. — 1° Obiectum formale timoris est malum futurum cum aliqua arduitate. — 2° Malum naturae non est timoris obiectum, nisi *cum aliqua evasionis spe* apprehendatur *propinquum.* « Inter omnia terribilissima est mors » (Phil.). Dicitur *propinquum,* quia quae valde longe sunt, non timentur. — « Si vero malum naturae, quod est corruptivum, apprehendatur ut propinquum et tamen cum aliqua spe evasionis, tunc timebitur.... Mors et alii defectus naturae proveniunt a natura universali; quibus tamen repugnat

natura particularis quantum potest; et sic ex inclinatione particularis naturae est dolor et tristitia de huiusmodi malis, cum sint praesentia; et timor si immineant in futurum » (S. Th. 1, 2, q. 42, a. 2). — 3° Cum culpae malum humanae subiaceat potestati et voluntati, de eo non per se potest timor esse. Per accidens tamen timetur propria fragilitas, etc. — 4° Potest timor timeri prout ex aliqua extrinseca causa provenit, non autem ut subiacet humanae voluntati (homo potest timorem repellere). — 5° Insolita et repentina mala, cum maiora et magis irreparabilia appareant, magis etiam timentur. Magis timentur mites et astuti, quia occultant iram. — 6° Mala quae non vitari, vel non ita facile possunt, magis timentur.

440. — II. Causa timoris. — 1° Amor est causa timoris (dispositive, quatenus timetur privatio boni). Timor causat etiam amorem, ut qui timet puniri, servat mandata, et incipit sperare, et spes amorem introducit. Unde merito dictum est: « Omnis timor causatur ex amore ». — 2° Defectus alicuius virtutis, seu ipsa resistendi imbecillitas ad timorem disponit.

441. — III. Effectus timoris. — 1° Timor facit contractionem: nam in timentibus calor naturalis cum spiritibus ad interiora contrahitur, ut sic contractus fortior evadat ad resistendum. — 2° Timor consiliativos facit, si moderatus. Unde sollicitos facit ad consilium quaerendum; licet impediat vim bene consiliandi (si sit magnus). Etenim ex defectu rectitudinis iudicii, quaelibet passio, quantum est de se, impedit facultatem bene consiliandi. — 3° Timorem sequitur tremor, pallor et dentium strepitus, ait Tullius, quia calor deserit timentes ut dicimus in 1°. — Timor impedit operationem ex parte instrumen-

torum corporis, quia debilitat membra corporis, quae sunt instrumenta operationis; ex parte autem animae, si sit moderatus, confert ad bene operandum, quia facit attentius operari.

442. — **Timoris moderatio.** — Si timor est *immoderatus ex parte obiecti*, ut quando quis sola mundana timet mala, convertatur ad invisibilia, timendo amissionem gratiae et beatitudinis, et totis viribus laborando ut gratiam et gloriam consequatur. *Si ex parte modi*, cum scilicet quae possunt timeri nimis timentur, ut mors, persecutiones, etc., tunc adhibeatur patientia, conformitas divinae voluntati, spes divini auxilii, etc. Ergo parum timenda mala inferiora et terrena, valde timenda mala aeterna et quodcumque animae detrimentum. Semper tamen in Deo sperandum (1).

443. — **Monita circa timorem.** — I. Reiiciendus timor humanus sive mundanus, utpote qui animae negotiis adversatur et animam in servitutem practice redigit. Patet ex pessimis effectibus huiusmodi timoris, ex tot criminibus quae ad placendum quibusdam potentatibus saepe commissa sunt, ex magna fidelium virorum multitudine qui humano timore detenti, hodie sacramenta non frequentant, nec non ex innumeris venialibus et imperfectionibus quae personae devotae committunt ut non displiceant mundanis amicis, ut non patiantur levissimas irrisiones, etc. Unde meminerint mundani timoris servi quod: « Nihil

(1) Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 2, dist. 7, a. 10, n° 5: « Haec passio solet esse immoderata ex parte obiecti, et ex parte modi. Solet esse immoderata ex parte obiecti, in amatoribus huius saeculi, qui mundana solum timent mala.... Solum (affirmat Christus) Deum esse timendum.... Est autem immoderata ex parte modi, cum haec mala.... nimis timentur ».

« Nihil fortius ad expugnandam gratiam Dei quam timor humanus, qui plerosque opprimit » (S. Petr. Dam.). — « Quis tu ut timeas a mortali homine? hodie est, cras non comparet : Deum time, et hominum terrores non expavesces » (Kempis).

444. — II. Errant, qui praetextu humilitatis ab externis bonis operibus faciendis saepe abstinent: « Nolite timere quando facitis bene, ne videat alter : time ne propterea facias, ut tu lauderis ; nam videat alter ut Deus laudetur » (S. Aug.).

445. — III. « Qui sanctior et sapientior est, plus semper timeat : nam qui altius est, cadens maiores casus recipit » (Euseb. Caesar.).

446. — IV. In Dei timore conservando cave et ne ab illo deficias et ne in illo excedas. Spes cum bona voluntate moderetur timorem. Falsus omnino est ille timor, qui per quamdam animae deiectionem et quasi desperationem, potius conducit ad pedes diaboli, quam ad amplexus Iesu Christi Salvatoris nostri perdulcissimi, qui et quaerit fugientem, et benignissime recipit revertentem.

447. — V. Efficacissima tandem timoris medicina est vera charitas, qua quis Deum diligat et se ab eo diligi sentiat : nam *si Deus pro nobis, quis contra nos?* fiducia item insuperabilis in Deo fortissimo protectore, quia (Psal. 12, 4, 1) : *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebuntur in aeternum,* et dicent cum Propheta (Psal. 17, 30) : *In Deo meo transgrediar murum.*

448. — **Ira** est *motus appetitus irascibilis ad vindictam,* vel quaedam veluti libido se vindicandi. — Ira differt ab odio, quia odium appetit malum alteri, quatenus illi malum est praecise ; ira vero appetit malum alteri sed sub ratione vindictae.

449. — Nota: « *Dicendum quod singulare est in passione irae quod non potest habere contrarium* neque secundum accessum et recessum, neque secundum contrarietatem boni et mali. Causatur enim ira ex malo difficili iam iniacente; ad cuius praesentiam necesse est quod aut appetitus succumbat, et sic non exit terminos tristitiae, quae est passio concupiscibilis; aut habeat motum invadentem ad malum laesivum, quod pertinet ad iram; motum autem ad fugiendum habere non potest, quia iam malum ponitur praesens vel praeteritum; et sic motui irae non contrariatur aliqua passio secundum contrarietatem accessus et recessus. Similiter etiam nec secundum contrarietatem boni et mali, quia malo iam iniacenti opponitur bonum iam adeptum, quod iam non potest habere rationem ardui vel difficilis; nec post adeptionem boni remanet alius motus, nisi quietatio appetitus in bono adepto, quae pertinet ad gaudium, quod est passio concupiscibilis. Unde motus irae non potest habere aliquem motum animae contrarium; sed solummodo opponitur ei cessatio a motu, sicut Philosophus dicit in sua Rhetorica, l. 2, cap. 3, in princ., quod *mitescere opponitur ei quod est irasci;* quod non est oppositum contrarie, sed negative vel privative » (S. Th. 1, 2, q. 23, a. 3).

450. — Hinc. — I. *De ira generatim, docent scholastici quod* 1° Ira est generalis passio, in quantum causatur ex concursu multarum passionum: et non quod causa sit multarum passionum. Supponit enim odium mali illati, tristitiam de illo susceptam, desiderium et spem vincendi seu puniendi. — 2° *Obiectum irae est compositum ex bono et malo:* quia ira tendit in vindictam ut bonum, in inimicum ut in contrarium nocivum, id est, malum. — 3° *Ira non est in concupiscibili sed in irascibili.* Etenim, ut alibi no-

tatum est, obiecta passionum concupiscibilis sunt bonum et malum absolute; obiecta autem passionum irascibilis sunt bonum et malum cum quadam elevatione et arduitate. Imo *irascibilis denominatur ab ira:* quia ad iram terminantur motus huius potentiae, et quia ira aliis motibus irascibilis est manifestior. — 4° *Ira est cum ratione:* quia in ira ratio comparat et concludit. Nota *quod irae similitudo quaedam* (et non vera ira) *est in brutis.* Etenim « bruta animalia habent instinctum naturalem ex divina ratione eis inditum, per quem habent motus interiores et exteriores similes motibus rationis » ait S. Thomas. — 5° Ex parte obiecti, naturalior est concupiscentia quam ira, quia appetitus naturaliter appetit: ex parte subiecti, naturalior est ira, quae est magis cum ratione, id est, ut homo est; sed ut animal, concupiscentia. — 6° Odium est multo deterius quam ira. Obiectum enim odii est malum ratione mali.; obiectum vero irae est malum sub ratione alicuius boni, seu vindicativi. S. Aug. odium comparat *trabi*, iram vero *festucae.* Cave tamen ne festuca convertatur in trabem, quod non difficile fit in eo qui iram non moderatur. — 7° Ad eosdem pertinet ira, ad quos iustitia et iniustitia, id est, exercetur adversus capaces iustitiae vel iniustitiae. Unde ira contra irrationalia et inanimata est ex imaginatione, non vero ex ratione; et tunc est ad similitudinem illius motus qui est in animalibus contra quodlibet nocivum. — 8° TRES SUNT SPECIES IRAE: *fel, mania, furor.* Si praevaleat cogitatio motus, ira dicitur *fellea,* quia fel cito concitatur ex cholera, et tales irati vocantur *acuti.* Si praevaleat tristitia ex iniuria, adest *mania* (gallice *animosité*), ita dicta, quia diu manet in memoria, et tales dicuntur *amari.* Si praevaleat desiderium vindictae, ha-

betur *furor,* quia nunquam quiescit donec puniat, et tales dicuntur *difficiles.*

451. — II. Causae irae. — 1° Motivum irae alicuius est semper aliquid contra ipsum qui irascitur factum. — 2° Omnes causae irae reducuntur ad parvipensionem. Tres sunt species parvipensionis: *Despectus, impedimentum voluntatis implendae,* et *contumelia.* — 3° Excellentia irascentis est causa irae, ratione motivi irae, quod est iniusta parvipensio. Defectus sive infirmitas est causa irae, ratione dispositionis. — 4° Defectus et illius contra quem irascimur, parvitas, quo magis despectionem auget, eo magis irae provocativa est, et eamdem diminuit, si despectionem imminuat, v. gr. confitendo iniuriam, etc.

452. — III. Effectus irae. — 1° Ira causat delectationem: quia minuit tristitiam per vindictam saltem apprehensam. Unde dicitur: quo maior sitis, eo delectabilior potus. — 2° Ira maxime causat fervorem in corde, ex evaporatione fellis; et ira est cum fervore sanguinis. — 3° Ira maxime impedit rationis usum, ob maximam perturbationem in corde, propter communicationem caloris vehementer impellentis, quod est materiale in ira. Ira corporalem facit perturbationem inter omnes passiones. — 4° Ira aliquando causat taciturnitatem (ex toto vel ex parte), quia tanta aliquando est, ut impediat usum linguae.

453. — **Irae moderatio.** — Remedia *contra iram immoderatam sunt:* 1° *Humilitas.* Etenim cum *ira inordinata principaliter proveniat ex superbia,* sive ex nimia propria aestimatione, optimum cuiuslibet irae remedium est consideratio propriae indignitatis, ex qua ob anteacta peccata et ingratitudines multa meremur flagella. — 2° Consideratio exempli Christi et Sanctorum, qui cum maledicerentur, non maledicebant. — 3° Moderanda per mansuetudinem. — 4° Silentium,

et resolutio non faciendi quod tempore irae animus proponit. — 5. Recordari quod transacto irae fervore, illud quod iniuria reputatur, vel talis non est, vel non tanta, ac proinde minuere aestimationem iniuriae. — 6° Consideratio damnorum quae corpori et animae ex ira obveniunt. — 7° Resistendum primis motibus, ne ignis maxime accendatur et totum consumat.

454. — **Monita circa iram.** — I. Multi excusantur dicentes quod sint asperae indolis, et practice parum vel nullatenus irae resistunt, quasi a resistentia dispensarentur vel ad resistendum inhabiles essent. Tales serio exsurgant a spirituali pigritia.

455. — II. Expedit moderationem irae firmiter proponere et fortiter procurare, ne lapsu temporis per intervalla efficiamur veluti amentes furiosi. Et ad hoc multum invigilare debent personae devotae, praesertim quae aliquam dignitatem vel administrationem cum subditis vel domesticis habent, ut ad prima incendii indicia currant ad spiritualem refrigerationem (1).

456. — III. Iuvat gradatim procedere in praxi exstirpationis irae: 1° dum ira exardet, non loqui, ne male loquaris; 2° Deo offerre et patienter tolerare illatam iniuriam; 3° quoties ira aliqualiter nos

(1) « Dico breviter potentiora adversus iram remedia haec esse: Nihil verbo aut facto tentare cum ira concitamur, sed quiescere donec ardor ille per se remittatur; tollere a nobis, vel minuere opinionem existimatae iniuriae; cogitare nos aliquanto post tempore aliter de iniuria sensuros esse, quam nunc sentimus, et ideo agendum nunc esse, quod paulo post agemus; proponere nobis miseriam eius, a quo patimur iniuriam; valde enim miser est, qui male agit, nemo autem in miserum irascitur; demum reputare incommoda, quae multo maiora sequentur, si velimus iniuriam ulcisci ». (Morotius).

vincit, quamcitius quamdam poenitentiam peragere, v. gr. recitare *Ave;* 4° quoties iniuriam sustines, ora pro iniuriatore dicendo *Ave;* 5° denique Deo gratias persolvere quoties affligimur illata iniuria, contenti de occasione spiritualis lucri, non vero de peccato iniuriam facientis.

457. — IV. Attamen cavendum ne pusillanimitas, vel animi desidia in propriis obligationibus adimpleudis, in nobis regnent sub mentito mansuetudinis praetextu. « Irascimini ubi culpa est, cui irasci debeatis: non potest enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur; alioquin non virtus, sed lenitudo et remissio iudicatur » (S. Ambros.).

458. — V. Noli in tua perfectione confidere, ne zelum iratum timeas: nam « ira saepe etiam innocentes abducit, quia dum iusto amplius irascimur et volumus alienum coercere peccatum, graviora peccata committimus » (Id.).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum coelestium mundus accepit, emissiones tuae sunt, o Maria! (Ruper. Abbas).

Mariam invoca. — An ignoras te? quia non solum benemerentes diligis, sed etiam errantes, et devios reducis ad portum salutis? An ignoras te, quod sis Mediatrix Dei et hominum, et peccatores discordantes a Filio tuo reducis ad concordiam? An ignoras, quod sis pulcherrima mulierum, et ideo intercedendo pro peccatoribus potentissima? (Card. Hailgrinius). Ergo, salva me, succurre mihi, ora pro me, o Mater mea!

Mariam laetifica. — Passiones moderando: ferventer orando: singula Salutationis Angelicae verba devotissime meditando, aut paulatim recitando. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis!* (S. Ildef.).

CAP. VI. — DE SENSUUM EXTERNORUM PURGATIONE.

459. — **Praenotanda.** — I. « *Ad custodiendam cordis munditiam, externorum sensuum disciplina servanda...* Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt: et nisi interioris gravitatis pondere, et quasi iuvenili quodam vigore refraenentur, ad fluxa quaeque, et levia mentem enervem trahunt » (S. Greg. Magn.),

460. — II. Sed « dum exteriores sensus ab huius vitae sollicitudinibus sopio, vacante mente vivacius interna cognosco: foris dormio, sed intus cor vigilat: quia dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo » (id.).

461. — Unde merito monet Morotius: « Per sensuum fenestras intrare mortem ad animam, sermo propheticus asseverat; ideo summa cura custodiendi sunt, ita ut numquam pro eorum obsequio aliquid faciamus, sed iis utamur, ac si alieni essent, ad solum proprium ac necessarium finem; a brutali et terrena vita eos ad coelestem et rationalem traducentes, ut non sibi, sed Deo obsequi discant. Nec solum ab illicitis cohibendi sunt, sed in licito quoque rerum usu cavendum est, ne avidius ad res caducas ferantur, in earumque delectatione sese immergant; quare sensim abducendi sunt a nimia attentione operis, quod exercent, et ad Deum sublevandi ».

462. — IV. Indevoti quidem et negligentes christiani assiduam vigilantiam circa passiones et sensus parvi vel nulli momenti habent; sed vere devoti maxime de hac re solliciti sunt, et merito, nam

iuxta illud. B. Alberti Magni. *De adhaer. Deo*, cap. 4. « Finis omnium exercitiorum est, scilicet intendere et quiescere in Domino Deo intra te per purissimum intellectum, et devotissimum affectum, sine phantasmatibus et implicationibus... Quandiu homo cum phantasmatibus et sensibus ludit, et in eis insistit videtur nondum exisse motus et limites bestialitatis suae, hoc est, illius quod cum bestiis habet commune.... Quae tamen etsi nonnunquam levia et tamquam nulla videantur peccata, tamen magna sunt impedimenta huius sancti exercitii et operis. Et ideo etiamsi utilia et necessaria visa fuerint sive magna, sive parva, ut noxia et perniciosa illico sunt reiicienda penitus, et a sensibus propellenda ».

463. —V. Si quis autem in viis vitae spiritualis vere proficere vult, modica non habeat quae quomodolibet, licet parva, inordinationem aliquam important, sed memor sit gravissimae huius sententiae Ven. Barth. a mart. *Comp. myst. theol.*, c. 9: « Heu, quam pauci sunt quibus huc pervenire contingat! Modicus enim amor, tenuisque affectus, quo quis mortali creaturae adhaeret verbulum otiose prolatum, aut buccella panis, aliter quam oportuit sumpta, et aliae huiusmodi, licet minutulae paleae efficiunt, ut Deus, qui summa puritas est, non intime animae uniatur, donec hae inordinationes expientur: imo tompore unionis inter Deum et animam quaecumque (licet bonae) imagines sunt procul expellendae: quia sunt media inter utrumque ».

Art. I. — **De Sensibus externis generatim.**

464. — **Numerus sensuum externorum.** — *Quinque sunt exteriores sensus: visus, auditus, odoratus*

seu *olfactus*, *gustus* et *tactus*. Sensus sunt dicti, quia per eos anima subtilissime totum corpus agitat vigore sentiendi (S. Isidor.). Sensus est quaedam deficiens participatio intellectus (S. Th. 1, q. 77, a. 7). — Obiectum quinque sensuum est res materialis, seu corporea, singularis, praesens, localiter extensa.

465. — **Sensus debemus purgare**, moderari et custodire, ut patet ex dictis. Etenim. I. « Cum male custodiuntur sensus, eiicitur Christus et intrat diabolus » (S. Antonin.). — II. Nimis indulgens sensibus, bestiis comparatur: nam « sensu nos multae bestiae superant: itaque humana anima quanto in sensus declinat, tanto magis similiorem hominem pecori facit » (S. Aug.). — III. Ratio ergo moderetur sensus, et anima non fiat sensuum mancipium: « nam sensu nos multae bestiae superant, mente autem, ratione et scientia nos Deus illis praeposuit » (Id.). Nota tamen quod corpus humanum multo nobilius et perfectius est brutorum corporibus, et in complexu materialium qualitatum nulla bellua hominem superat. — IV. « Nemo nobis magis, quam sensus, qui vere est intimus noster domesticus, adversatur » (Ioan. Cass.). — V. Serva et custodi sensus tamquam cordis et animae ianuas et fenestras. Etenim « per quinque sensus, quasi per quasdam ianuas aut mors, aut vita ad animam nostram ingreditur » (S. Aug.). — « Sensus exteriores sunt quasi quaedam corporis fenestrae, per quas latrones ad interiora ingrediuntur bona gratiae rapientes » (Gloss. ord.). — « Per hos etenim carporis sensus, quasi per fenestras quasdam exteriora quaeque anima respicit, respiciens concupiscit » (S. Greg. Magn.). — VI. « Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes: anima vero in aurigae modum retinet fraena currentium » (S. Hieron.). Ergo non

vincatur auriga, sed vincat et gubernet... — VII. « Sensuum custodia puritatis est causa, pacis disciplina, devotionis camera » (Kempis). — Concludendum : « Omni nobis cautione curandum est, ut omnes nostri corporis sensus, tamquam sacrosancta Domini holocausta in nobis illibata atque intacta servemus » (Ioan. Cass.).

466. — **Sensuum comparatio.** — I. *Ratione perfectionis,* ille sensus aliis praestat cuius obiectum est universalius et actio minus materialiter exercetur. Unde *visus* perfectior est omnibus, quia plurima simul videntur et in magna distantia videntur. Sequitur *auditus,* qui percipit longinqua, sed minori amplitudine quam visus. Deinde *olfactus,* quia percipit aliquatenus distantia, sed unam tantum qualitatem. Quartum occupat locum *gustus,* qui requirit immediatum contactum et intimius percipit quam tactus. Denique *tactus* qui et requirit immediatum contactum, et modo magis materiali exercetur. — II. *Maior tamen habetur certitudo* ex tactu et ex visu quam ex aliis sensibus. Et ad hoc tactus praestat visu. — III. *Vitae animali magis necessarii sunt* gustus et tactus. *Utilior intellectui* est visus, deinde auditus. — Quae omnia prae oculis haberi debent, ut intelligatur modus loquendi philosophorum et scholasticorum.

Art. II. — **De Sensibus externis speciatim.**

467. — **Visus** est quidem perfectissimus et nobilissimus sensuum exteriorum, sed perniciosissimus, si eum non moderemur. Unde S. Thomas, in Iob., cap. 31, 1. « *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne*

cogitarem quidem de virgine.... Incipit autem innocentiam suam ostendere per immunitatem a peccato luxuriae; quod plures involvit. Quod quidem peccatum in lubrico positum est, et nisi quis principia vitet, vix a posterioribus possit pedem retrahere. Primum autem in hoc peccato est aspectus oculorum, quo mulier pulchra aspicitur, et praecipue virgo; secundum autem est cogitatio; tertium delectatio; quartum consensus; quintum opus. Voluit igitur Iob principia huius peccati excludere, ut eo non involveretur; unde dicit: *Pepigi foedus*, id est, in corde meo firmavi, sicut pacta firmantur, *cum oculis meis*, ex quorum scilicet aspectu pervenitur in concupiscentiam mulierum, ita ab inspiciendis mulieribus abstinere, *ut ne cogitarem quidem de virgine*, id est, ut nec primum gradum interiorem attingerem, scilicet cogitationem; videbat enim esse difficile si in primum incideret, scilicet in cogitationem, quin in alia laberetur, scilicet in delectationem et consensum ».

468. — VARIA CIRCA NOTIONEM OCULORUM: — 1° Oculus dictus est quasi *ocior lux*, quod cito intenta respiciat: sive quod palpebris oculentibus probatur occultus (Cassiod.). — 2° Oculus non videt ob triplicem causam: aut quia voluntas non vult; aut ob defectum organi; aut ob absentiam lucis (S. Bonav.). — 3° Frequens clausio oculorum indicium est mobilitatis animi (id.). — 4° Oculus exterior indicat interiores mores (id.). — 5° Oculus triplex est: oculus carnis, oculus rationis, oculus contemplationis (Hug. Victor.). — 6° Oculi alii sunt concupiscentiae; alii intelligentiae; alii misericordiae (S. Bonav.). — 7° Oculi dilectionis et fidei ad Deum levandi (id.). — 8° Oculus scandalizans eruendus, id est, occasio removenda peccatorum. — 9° Oculus

spiritualis per Sacramentum Eucharistiae reficitur et sublevatur (id.). — 10° Oculi diaboli sunt *pravae* subtilitates et astutiae (id.). — 11° Dei est quod oculus in orbem sic apertus arctatur angustissimus in pupillam; quatenus moderate visum videat, non invideat: praevideat, non proripiat: prospiciat, non despiciat (S. Pet. Chrysol.). — Unde B. Humbertus, O. Praed. in Exposit. *Super regulam B. Aug.* cap. 78, ait: « Oculi sunt magis habiles ad actionem peccandi, quam alii sensus... Visus irritat gulam: Gen. 3: *Vidit mulier*... Incitat cupiditatem: Matt. 4: *Ostendit ei*... Inflammat libidinem: Eccl. 9: *Propter speciem*.... Provocat ad superbiam: Isaï. 14: *Similis ero Altissimo*... Commovet iram: Matth. 18: *Videntes conservi eius*... Concitat invidiam: 1, Reg. 2: *Videbis*... Fovet acediam: Eccle. 11: *Qui considerat nubes, numquam metet.* Sic igitur omne genus peccati per oculos generatur... Alii sensus non semper habent obiecta in promptu... Sed visus semper habet aliquid, quod videat, si velis, in quo potest peccare: et ideo potest quasi incessanter peccare. Patet ex his, quod per oculos committi potest peccatum multipliciter, et incessanter, et faciliter ».

469. — **Visus moderandus**: 1° *Abstinendo ab aspectibus*, libris, spectaculis et aliis rebus *illicitis* et *periculosis*. — 2° *Vigilandum pacifice sed firmiter*, ne in insidias diaboli per oculos cadamus. Etenim, « ideo generalis experientia sensuum concupiscentia oculorum vocatur, quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam caeteri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant » (S. Aug.). — 3° *Oculi non remaneant fixi* in faciem personae diversi sexus, neque in obiecta minus honesta quae in quibusdam locis publicis inveniuntur; a fortiori si sint notabiliter inhonesta:

nam ubicumque adest periculum, statim avertendi sunt, et neque ad meram curiositatem liberi relinquendi. Ad gradum culpabilitatis in peccatis oculorum, cfr. quae traduntur *in Theol. Morali.* — 4° Custodia cordis firmat oculorum custodiam: e contra « oculi duces sensuum, cito cor vagum inficiunt » (Salvian.). — 5° « Reprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam » (S. Hieron.). — 6° *Esto ergo dominator oculorum tuorum:* nam « nihil peccant oculi, si mens velit his dominari » (V. Beda). Equidem non poteris non videre in hoc mundo corruptionibus abundante quae puros oculos offendunt, sed poteris non aspicere, et avertere oculos tuos, ne videant vanitatem et malitiam.

470. — **Monita circa visum.** — I. *Memento* quod oculis cecidit Eva, oculis deceptus fuit Samson videndo Dalilam, oculis David videndo Bersabee, oculis Salomon videndo mulieres alienigenas. Et tu non fraenabis oculos? salutariter time, et esto vir fortis et prudens mortificatione et oratione roboratus.

471. — II. Non fugies tantum quae absque peccato aspicere aut legere nequis, sed *reiice vana, inutilia et non necessaria,* et modestia tua coelestibus benedictionibus donabitur.

472. — III. *Cavendum ab habitu curiositatis,* quia multis vertitur in magnam ruinam. Quid ad te de millibus quae curiose scire aut videre velles, sub praetextu liceitatis obiectorum?

473. — IV. Sit tibi utilis recreatio, moderata contemplatio agrorum, stellarum, plantarum, aquarum et similium, et horum visione, eleva cor tuum ad Creatorem, sicque materiali oculorum honesta recreatione internum cordis oculum laetificabis. Opera vero hominum vana, et omnia periculosa sollicite fuge.

474. — V. *Cave tamen ne in oculorum moderatione ridiculus et excessivus fias,* praesertim immoderato timore et vere scrupolosa agendi ratione, oculos frequenter simulque subitaneo et violenter claudens et adaperiens; et alia insolita gesta faciens ad involuntariam alicuius obiecti non vere inhonesti praesentiam. Timor enim non vere regulatus et moderatus, ut dictum est, animam perturbat, et tentationes causat et adauget. Si aliquod *vides* minus castigatum, illud *non aspicias*, sed transi in pace ad alia.

475. — VI. Ut autem salutarius oculi claudantur, id est debita moderatione regantur, « exteriorum oculorum obtutum mentis interior oculus purus et simplex comitetur, mens scilicet recta et pia affectio, ut omnia honesti finis gratia intueamur, et in meliorem parte interpretemur; hic est enim oculus de quo scriptum est (Matth. 6, 22): *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.* Non tamen satis est, intuitum nostrum ad maiorem Dei gloriam revocare; verum etiam debemus operam dare, ut dei praesentiam singulis in rebus intueamur, et hinc suaviter animum ad divinae Maiestatis laudes attollamus, ex ordine, pulchritudine, varietate et perfectione creaturarum Dei bonitatem, sapientiam, potentiam atque infinitas virtutes, quarum in iisdem creaturis vestigia impressa sunt, admirantes, praedicantes; quandoquidem, ut ait Apostolus (Rom. 1, 20): *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* » (Morotius).

476. — VII. Concludendum dicendo (verbo et opere) cum S. Augustino: « Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei; et erigo ad Deum invisibiles oculos, ut evellat de laqueo pedes meos ».

477. — **Auditus.** — Visus fuit Evae initium inobedientiae, auditus decepit et Adam, quia audivit vocem uxoris suae, et comedit de ligno ex quo praeceperat eis Deus ne comederent. Multos salvos fecit auditio verbi Dei, innumeros perdidit auditio mundanae vanitatis.

478. — VARIA CIRCA NOTIONEM AUDITUS. — 1° Auditum et visum amamus, maxime quia per eos plura, quam per alios sensus discimus (S. Bonav.). — 2° Dicitur auris mala seu diabolica quae audit verba vana, lasciva (id.). — 3° Tres sunt verbi auditores: pigri, activi, contemplativi. Pigri audiunt, et audita contemnunt; activi audiunt, et auditis obediunt; contemplativi audiunt, et in amplexu obdormiunt. Pigri torpent, activi laborant, contemplativi quiescunt. Pigri sunt debiles, activi fortes, contemplativi vacantes (Hugo a S. Vict.). — 4° Quatuor sunt auditorum differentiae: Quidam audiunt, sed non retinent, ut obliviosi. Quidam audiunt et retinent, sed non faciunt, ut desidiosi. Quidam audiunt et retinent et faciunt, sed non complent, ut negotiosi. Quidam audiunt, retinent, faciunt et complent, et hi sunt studiosi et virtuosi (S. Bonav.).

479. — **Auditus moderandus**, ut *non diligamus vanitatem nec quaeramus mendacium. Non obediamus linguae iniquae, nec sermonibus saecularibus et illicitis inficiantur aures nostrae,* per quas tam misericorditer et frequenter pervenit ad nos eloquium sanctitatis, veritatis, et divinae charitatis. — ERGO FUGE 1° sermones haereticorum et impiorum; 2° verba malignantium contra proximum, ac proinde viros murmuratores; 3° verba mundanorum, ne totus vanitatibus et nugis occuperis; 4° conversationes periculosas (praesertim inutilia foeminarum colloquia) et rumores saeculares.

480. — **Monita circa auditum.** — I. Ipsi pagani agnoverunt necessitatem resistendi primis aurium pravis pruritibus. Sic Seneca, epist. 123, haec habet: « Claudendae sunt aures malis vocibus, et quidem primis; nam, cum initium fecerunt, admissaeque sunt, plus audent ».

481. — II. Cavendum ab excessu et defectu in auditu; unde « auditui ianua ponenda est quae recte claudatur, et aperiatur » (S. Greg. Naz.).

482. — III. Unde noli fieri fratribus tuis gravis, illos *absque ratione* quasi fugiendo, sed in tua cum aliis conversatione memento quod « quatuor sunt quae precipue conveniunt auditori, scilicet: dicentem audire patienter; audita discutere sapienter; sapida aliis tradere; insipida confestim oblivisci » (S. Th.).

483. — IV. Saepe fraternae charitatis defectus vel propria acedia in virtute et indevotio impediunt quominus devotorum modestae et quoad rem et quoad modum moderatae conversationes libenter audiantur; dum e contra vani et imperfecti liberrime sustinentur: et tunc expedit de propria immortificatione serio dolere, tamquam de indirecta invidia contra viros perfectiores. Cave ergo ne de te dici debeat illud D. Greg. Magni: « Iniustis semper gravia sunt verba iustorum, et quod ad aedificationem prolata audiunt, haec quasi superimpositum pondus ferunt ».

484. — V. Verba murmuratorum solent dulcissima videri et dulcissime auscultari. Tu vero « ne desideres eius auscultare sermones, qui dulcedine auditores fallit » (Glossa ord.).

485. — VI. Quanto magis in divinis eloquiis delectaberis, tanto melius vitare poteris laqueos inique loquentium.

486. — VII. « Benigne audiendum est, devote suscipiendum, sollicite conservandum, quidquid ad animarum salutem pertinet » (S. Bern.).

487. — VIII. « Tria sunt, quae depravant auditum, scilicet: verba elationis, verba detractionis, verba adulationis » (S. Ant. Patav.).

488. — IX. Ergo merito scripsit Vallgornera, Myst. Theol. D. Th., q. 2, disp. 2, a. 2, n. 6: « Profana verba non sunt audienda a viro spirituali, nam sicut per modicum foramen magna copia aquae in navem ingreditur, quae eam universosque navigantes mergit: ita prorsus per verbum minus pudicum quasi per parvum foramen magna vis tentationis irruit, quae navem cordis in periculum submersionis adducat... Vitandae sunt nugae, scurrilitates, et omnes narrationes risum excitantes, sicut enim haec dicere levis est animi, ita eadem audire libenter, distractae et levis est mentis. Custodiendae sunt aures a rumoribus saecularibus, quae certe ad viros spirituales non pertinent, cum ipsi viam virtutis ingressi, saeculo et eius negotiis renuntiaverunt. Damnabiliores sunt qui defectus licet modicos fratrum audiunt, et detractationibus aures aperiunt. Non solum aliorum defectus procul ab auribus abiiciendi sunt, verum et laudes nostrae verissima humilitate repudiandae ».

489. — Concludendum: « Magna est auris fenestra, per quam mors in mundum ingressa, cunctas devoravit gentes ac nationes, et insatiabilis adhuc remanet » (S. Ephrem.). — Ergo sollicite custodiendus auditus.

490. — **Olfactus** seu **odoratus** potest vitae spirituali et animae saluti nocumentum inferre, si non mortificetur, quia abundantia suavium odorum praesertim arte mixtorum, si sit habitualis, facile condu-

cere potest ad mores effeminatos et lascivos. Imo multum dedecet, quod viri spirituales materialibus fragrantiis conspersi appareant. Et multo magis reprehendendi ecclesiastici (et a fortiori religiosi) fragrantiis conditi, quia tales multo facilius scandalizant fideles, et mundanis periculis sese exponunt.

491. — NOTA CIRCA MODERATIONEM ODORATUS. — 1° Odor habet de natura humida, de aerea et ignea (S. Bonav.). Tu ergo, devote vir, despectis mundanis odoribus, reple cor tuum et animam tuam mystica virtutum fragrantia, ut abundet in te humiditas et ros divinae gratiae, aër sanctarum ad superna aspirationum, ignisque ferventissimae charitatis. — 2° Odor vel est praedicationis, vel vitae, vel mortis, vel orationis (id.). Ergo vita tua sit virtutum efficax praedicatio, divinae gratiae manifestatio, alienae vitae correctio, pravi exempli destructio, coelestium benedictionum argumentum: uno verbo, *Christi bonus odor simus Deo in omni loco,* ut nobis et aliis bene sit, per gratiam et gratiae abundantiam, quam Deus cum bona voluntate petentibus misericorditer concedit. — 3° Audi ergo Angelicum dicentem in Cant. c. 1: « *Curremus in odorem,* sponsa confitetur, auxilium Christi esse suave et validum. Continuatur autem sic. Non ad insipientiam dico: *Trahe me post te:* quia tuus tractus est suavis et validus. Quia si tu me traxeris, non solum movebor qualitercumque, sed etiam curram in odorem unguentorum tuorum: id est, velociter movebor, dummodo possim suaviter odorare virtutem, et dona tua ».

492. — **Olfactus moderandus.** — Unde 1° Odorum fragrantiae sine causa non admittantur neque in corpore, neque in vestibus, neque in aula domus, sed tantum in domo Dei et pro rebus sacris modo templi gravitati et reverentiae convenienti. — 2° To-

lerandus moderatus usus florum naturalium, illis in adiunctis in quibus ratio propriae conditionis id exigit. — 3° Abstinendum etiam a nimis frequenti usu odoriferos flores secum habendi et odoratum illis frequenter recreandi. — 4° Usus hortorum plantis floriferis et aliis ornatorum honestae recreationi devotis concedatur, cum haec non sint contra moderationem olfactus. — 5° Cave ne, sub medicinae praetextu replearis inutilibus odoribus et suscipias habitum mundanorum odorum. — 6° Necessitate vel vera utilitate cogente, noli scrupulosus fieri.

493. — **Monita circa olfactum.** — I. Noli iudicare eos qui tibi videntur odorum amatores, sed teipsum iudica et alios ne despicias. — II. Quando olfactus fragrantiis delectatur, v. gr. in hortis, ecclesiis, etc., considera coelestem fragrantiam sanctitatis, et laetare in Domino, qui paradisum deliciarum in coelis tibi praeparavit. — III. In mortificatione olfactus cave ab extremis, et noli perturbationem cordis sub mortificationis forma admittere. Hic enim praecipue agimus contra illos qui vitam nimis delicatam agunt, delectationes sensuum etsi licitas nimis sibi procurantes, et sensibus nimis indulgentes.

494. — **Gustus** non moderatus est maxime periculosus. Scriptura, historia et quotidiana experientia docent perniciosissimos effectus intemperantiae gustus, et multa et magna crimina debentur conviviis mundanis. Imo hodie massoni et sectarii multa nequissima praeparant per excessus in comedendo et bibendo, praesertim in conviviis ab ipsis sectariis regulatis. Unde praeter ea quae *Th. Moralis* notat de gula, maxime convenit ut Dei servus invigilet ad gustum intra limites continendum, ne fiat vitae spiritualis impedimentum.

495. — NOTA CIRCA NOTIONEM GUSTUS. — 1° Gu-

stus est quidam tactus (S. Bonav.) — 2° Ex gustu immoderato fit gula, quae merito vocata fuit ianua omnium vitiorum — 3° Gulae vitium viguit simul cum luxuria ante diluvium, et in fine mundi maxime vigebit (id.).

496. — **Gustus moderandus.** — Quoniam novae quotidie enascuntur verae sensualitatis manifestationes et exigentiae, per crescentem artis culinariae et liquoristicae et dulciariae, etc., perfectionem (et corporibus saepe et animabus saepius nocivam), servus Dei debet se praecavere contra modernum hujusmodi *cultum sensuum et vitae mere materialis*, ne terrenis deliciis quaerendis occupatus, amittat spiritus vigorem. - Unde: 1° *Non quaerantur delicata alimenta, sed communia;* 2° Communia non admittantur usque ad satietatem; 3° Cum gratiarum actione et debito modo, et non ad delectationem accipiantur. Contra vanas excusationes, iuvat attenta meditatio istius moniti B. Humberti Ord. Praed. in *Exposit. sup. reg. B. Aug.* c. 55 : « Notandum vero, quod natura humana quae valde fortis fuit in prima conditione sui, non est adeo debilitata, quin multa possit in abstinentiis. Quod patet in abstinentiis magnis et longis, quas sustinent inviti in carceribus, et quas faciunt aliqui pro sanitate acquirenda vel conservanda, et quas fecerunt et faciunt adhuc multi sancti, non solum viri, sed etiam mulieres fragilioris naturae. Si enim tanta sustinent inviti, si tanta sustinent aliqui pro corpore, si tanta fragilis naturae, quantum possent homines, si essent voluntarii, si tantum diligerent animas ut corpora ».

497. — **Monita circa gustum.** — I. In ieiuniis et abstinentiis fuge et rigorem qui iansenismum sapiat, et nimiam facilitatem circa causas dispensantes. Unde recte, et iuxta *Th. Moralis* principia agendum sub

tuto Directoris consilio. — II. Optima moderatio gustus est, nihil speciale (nisi adsit necessitas) quaerere, de cibis sollicitudinem (salva charitate a Superioribus praesertim exercenda) non habere, et manducare quae nobis apponuntur, abstinentes a qualibet murmuratione. — III. Extra prandia non comedendum nec bibendum, salvo necessitatis causa. — IV. Liquores et res delicatae non facile accipiantur, et industriose agendum, ut moderatio servetur, etiam in magnis conviviis in quibus intervenire debemus. — V. In prandiis, devotus servus Dei semper scit modum mortificandi (in aliquibus vel minimis rebus) proprium gustum, id nullatenus advertentibus qui adsunt. — VI. Peroptemus et valde desideremus gustare et sentire quam suavis est Deus; et ex ipso usu ciborum et potus, occasionem sumamus cogitandi coelestia, considerandi indigentiam tot mendicantium et miserabilium personarum, etc.

498. — **Tactus** est omnium sensuum periculosissimus, utpote qui per totum corpus divagatur. Et ratione infirmitatis nostrae, tactus nobis fit maximus inimicus et tyrannus, contra quem totis viribus pugnandum, ne illius astutia vel violentia vincamur. Confirmatur a Vallgornera. Myst. Theol. D. Th. q. 2, disp. 2, a. 4, n. 1: « Tactus omnium sensuum iudicatur periculosissimus ». Et ab Angelico: 1 p. q. 76, a. 5: « Omnes alii sensus fundantur supra tactum ».

499. — **Tactus moderandus.** — 1° Valde necessaria est modestia; 2° Non nimis quaerendae commoditates lecti, et excessivae quietis corporalis; 3° In cura corpori necessaria, cave a periculis, ne multum immoreris in externo ornatu, et noli te decipere fingendo necessitates ubi non sunt; 4° Cave a quolibet contactu corporis alterius sexus: et in salutationibus more patriae faciendis, sint tibi in exemplar et graviores

devoti, et ecclesiastici magis venerandi, et alii conversatione digniores; 5° Cave a contrectatione non necessaria aliorum et tui ipsius, a consuetudine manibus cum aliis iocandi (jeux de mains, juegos de manos), a moroso et minus honesto tactu proprii corporis, seu a quolibet tactu qui religiositatem offendit, quamvis non sit aliqualiter vel simpliciter inhonestus; 6° Abstine a vestibus mollibus, subtilibus, et sensualitati et vanitati potius quam necessitati inservientibus; 7° Cum Directoris consilio, aliquas corporales mortificationes adhibe ad sensus cohibendos; 8° Nota tamen cum Angelico, 2, 2, q. 88, a. 2 ad 3: « Dicendum quod maceratio proprii corporis, puta per vigilias et ieiunia, non est a Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis: quod quidem est, in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur, et natura non nimis gravetur ».

500. — **Monita circa tactum.** — I. Viri spirituales et devotorum Directores dum ab imprudentiis fieri debent alieni, ne corpus inutile reddatur, debent tamen serio devitare et fortiter destruere *falsam multorum opinionem, qui quasi ex regula generali abhorrent ab omnibus externis et non praeceptis mortificationibus,* quique tali agendi ratione fiunt cooperatores et quasi propagatores generalis sensualismi hodierni et practici horroris nominis, rei, memoriae et recordationis vitae poenitentis et mortificatae. — II. Parentes devoti conentur mundanos non sequi in modo molli, sensuali et delicato educandi proprios filios. Et in hac re et in caeteris negotiis quae salutem animarum respiciunt, nullo pacto timeant humana dicteria, et nolint insaniam mundanam ideo imitari quia generalis evadit. — III. Concludendum: Multi perierunt, quia sensuum pericula

non vitarunt. Tu vero noli esse temerarius.... siquidem « sunt multi temerarii in periculis et naufragiis spiritualibus: temerarium enim est, non cavere, ubi multa sunt pericula » (Hugo Card.).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — O peccator, o peccatrix, etiamsi omnia peccata perpetrasses, quae committi vel excogitari possunt, et quaecumque omnes mundi homines ac mulieres commiserunt; etsi tua scelera numerum stellarum in coelo, numerum arenae maris excederent, multoque plura essent, quam frondes arborum, quam folia herbarum, noli in desperationem prolabi, ad Virginem statim recurre, et iniquitas tua ad instar nebulae huiusce solis radiis dissolvetur atque fugabitur (Bernardin. de Busto).

Mariam invoca. — *Eia ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte,* ac vel unius benignioris aspectus indulgentia, fac nascatur in me firma spes vitae, ac praesentiae tuae desiderabilis super aurum et lapidem pretiosum multum (V. Ioan. a Iesu Maria).

Mariam laetifica. — Misericordias B. M. V. decantando, et orando pro conversione eorum qui tam pientissimam Reginam non orant: sensus mortificando. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. VII. — DE SENSUUM INTERNORUM PURGATIONE

501. — **Praenotandum.** — « Fons et origo totius mali, inutiles sunt exteriorum interiorumque occupationes sensuum, discursus inanes, et infructuosa hominum familiaritas », ait Taulerus. Igitur « vigilandum semper est ut mens continue sollicita nunquam relaxetur intentione superna; ne laboriosa deserens, in cogitationibus fluxis, quasi in quibusdam mollibus stramentis iacens, venienti corruptori diabolo, mens se resoluta prostituat » (S. Greg. Magn.). Unde non sufficit externos sensus cohibere, si interni absque fraeno relinquuntur, imo externi sensus acrius movent bellum, cum interni negliguntur. Anima siquidem otio externo et internae pigritiae et negligentiae dedita, ad certam currit spiritualem ruinam.

ART. I. — **De sensibus internis generatim.**

502. — **Notio sensuum internorum.** — NOMINE SENSUUM INTERNORUM intelliguntur illae *facultates sentientes quae percipiunt obiecta materialia per eorum species iam acceptas ope sensuum externorum*; qui quidem sensus homini necessarii sunt ad rectam intellectionem.

503. — **Quatuor sunt sensus interni.** — 1° *Sensus communis* ad quem omnes sensus externi tamquam ad commune receptaculum omnes sensationes referunt. — 2° *Phantasia seu Imaginatio*, quae magis impressas retinet species. — 3° *Aestimativa*, quae in homine dicitur *Cogitativa*, quaeque apprehendit in-

sensata ex sensatis, seu ex phantasmatibus aliquas intentiones colligit, sicut in ove ex phantasmate lupi colligit intentionem inimicitiae, et ex phantasmate canis, intentionem amicitiae. — 4° *Memoria* ad huiusmodi conservandas intentiones.

504. — NOTA. Nomine sensuum internorum saepe *latissimo sensu* intelligunt AA. etiam intellectum et voluntatem, quae quidem facultates omnino diversae sunt ab internis sensibus stricte talibus. Attamen, ut alii fecerunt, nos sub capite de sensibus internis, agemus etiam de intellectu et voluntate.

505. — **Memento circa potentias** generatim, ex D. Thom. p. 1, q. 77 et 78. — I. Plures sunt potentiae animae. Anima enim est in confinio spiritualium et corporalium (ipsaque spiritualis est). — II. Potentiae distinguuntur per actus et obiecta. Ordinantur ad actus. — III. In potentiis animae est ordo. Anima est una, potentiae plures. Ab universali ad pluralitatem natura pergit ordine. — IV. Omnes potentiae animae non sunt in anima: nam organicae sunt in toto composito: per prius in anima ut in principio, quam in composito. — V. Potentiae animae procedunt ab eius essentia: quia vel sunt in anima, ut in subiecto, vel in composito, quod non est actu nisi ratione animae. — VI. Una potentia animae oritur ex alia. Quia perfectiores sunt principia aliarum per modum finis et activi principii; imperfectiores sunt principia aliarum per modum principii susceptivi. Sensus ob intelligentiam. Ordine formationis, animal est ante hominem. Recte dicitur ergo, quod actus unius potentiae causatur ex alia, ut actus phantasiae a sensu. — VII. Destructa carne, potentiae sensitivae non manent, seu melius: potentiae quae sunt in composito ut in subiecto non remanent in anima a corpore sepa-

rata, nisi virtualiter. — VIII. *Quinque potentiarum genera distinguuntur:* vegetativa, sensitiva, appetitiva, motiva (movet corpus e loco in locum), et intellectiva.

506. — **Obiectum** QUATUOR SENSUUM INTERNORUM, stricte talium, est vastissimum, utpote quod totum mundum materialem complectitur cum qualitatibus et maxima varietate omnium rerum corporearum. Unde, etsi cognitio sensitiva sit infimus gradus cognoscendi, nihilominus magna praedita est virtute et nobilitate. Quapropter viri spirituales debent serio invigilare, ne dum externi sensus quiescunt, et iam separati sunt a pravis et periculosis obiectis, interni ex negligentia purgationis, fiant adhuc receptores et conservatores specierum, quae virtutibus contrariantur et animae detrimentum inferre possunt, si non reiiciantur: uno verbo, voluntas refraenet, moderetur et custodiat internos sensus iuxta rectam rationem, et ratio et voluntas obediant divinae voluntati.

ART. II. — **De Sensibus internis speciatim.**

507. — **Primus sensus internus est sensus communis**, qui definitur: *Vis percipiens sensationes omnium sensuum externorum et earum differentias secernens* (1).

(1) De quo scribit Angelicus, I. p. q. 78, a. 4: « Ad receptionem formarum sensibilium ordinatur *sensus proprius* et *communis*... Ad harum autem formarum retentionem aut conservationem ordinatur *phantasia* sive *imaginatio* quae idem sunt; est autem phantasia sive imaginatio quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum. Ad apprehendendum autem

508. — **Sensus communis** DISTINGUITUR A SENSIBUS EXTERNIS, quia isti nequeunt propriam percipere sensationem et eius differentias. Attamen ex Seraphico, sensu communi non fit nova apprehensio, sed completur et ad perfectionem ducitur apprehensio sensus particularis: etenim addit Angelicus « sensus communis nobiliori modo recipit, quam sensus proprius, propter hoc quod virtus sensitiva consideratur in sensu communi ut in radice et minus divisa ». Unde sensus communis est quasi radix communis a qua procedit vis sentiendi, et centrum ad quod terminantur omnes organorum immutationes.

509. — Per sensum communem, *intra nos sentimus quidquid sensus externi attingunt.* Dicunt scholastici quod sensus communis residet simpliciter in cerebro vel ut alii aiunt, in anteriori parte cerebri ad frontem. — Morotius a describendis officiis et moderatione sensus communis abstinet dicens: « Internarum sentientis animae facultatem mortificationem describens sensum communem omitto, nam cum eius officium sit, externorum sensuum obiecta percipere et discernere, illis (ut praescriptum est supra) moderatis ipsum a labe purum remanere necesse est ».

intentiones quae per sensum non accipiuntur, ordinatur *vis aestimativa;* ad conservandum autem eas *vis memorativa*, quae est thesaurus quidam huiusmodi intentionum... Considerandum est autem quod quantum ad formas sensibiles non est differentia inter hominem et alia animalia... sed quantum ad intentiones praedictas differentia est. Nam alia animalia percipiunt huiusmodi intentiones solum naturali quodam instinctu, homo autem per quamdam collationem... Unde etiam dicitur *ratio particularis*... est enim collativa intentionum individualium, sicut *ratio intellectiva* est collativa intentionum universalium ».

510. — **Sensus communis moderatio.** — 1° *Homo sciens malum debet ab eo fugere,* ne inficiatur atque fiat veluti animal immundum quod spurcitias et foetorem indifferenter admittit. — 2° *Ratio ergo praesideat sensui communi* tamquam censor vigilantissimus, qui mandat ut reiiciantur quae nociva sunt, nec admittit quae immunda videntur, nec confundit bonum inter et malum ex exhibitis obiectis. *Vae illi qui omnibus sensationibus acquiescit!* Vae, vae illis qui sensum communem sinunt infectionibus repleri, et in receptaculum Satanae converti per malitiam voluntatis a via Domini declinantis! Sensus communis nobis manifestat exteriora et mundana obiecta: debet ergo vir spiritualis sola bona accipere, mala vero, id est, quae animae nocumentum inferre possunt, omnino respuere (1).

511. — **Monita circa sensum communem.** — I. *Distingue sensum a consensu.* Non poteris siquidem pravas sensuum impressiones intra te non sentire, sed poteris et debes non consentire, illisque resistere. — II. Sicut curam habemus de sanitate et

(1) Interna mortificatio externa praestantior est, tum quia nobilius obiectum habet, animam scilicet eiusque vires, tum quia exterior ex interiori oriri debet. Sola externa asperitas nequaquam potest veras in animo virtutes gignere; imo plures videmus austerae vitae maxime deditos, eosdem tamen intractabiles, elatos, refractarios, aliorum contemptores. Sententia Apostoli est, corporalem exercitationem ad modicum, pietatem vero ad omnia utilem esse. Exterior igitur interiori ita iungenda est, ut utraque via sit ad solidas virtutes; atque in usu tam internae quam externae summopere cavendum est, ne nimia corporis afflictio vires ad divinum cultum necessarias infringat, aut nimia remissio et indulgentia veterem hominem faciat contumacem (Morotius).

integritate sensuum externorum, ita incumbere debemus integritati et sanitati sensus communis, ut ex integro subiiciatur superiori parti hominis, et sanitatem conservet, repellendo omnia quae internum gustum depravant, quaeque in graves animae languores inducunt. Multi enim ex consuetudine vitae sensualis, et quasi mere materialis toti sensuales efficiuntur, ita ut interius exteriusque sola sensualia anhelent et quaerant. — III. Qui sensum communem non moderatur, eius corpus et anima involvitur veluti quodam aëre diabolico quo homo totus pestiferus effectus, Deo, et Angelis, et hominibus abominabilis est. — IV. *Si secundum carnem vixerimus moriemur;* ergo spiritu facta carnis mortificemus, externos sensus sub fraeno cohibentes, internas apprehensiones sub dominio rectae voluntatis continentes.

512. — **Phantasia** idem sonat ac *apparitio*, estque *facultas servandi species sensibiles obiectorum iam a sensibus externis apprehensorum, easque rebus absentibus percipiendi:* quae quidem species sensibiles vocantur *phantasmata.*

513. — Phantasia vocatur etiam **Imaginativa**, seu **imaginatio**, quae sic definitur a D. Bonaventura: Vis animae intuens res corporales absentes.

514. — *Phantasia est perfectior sensu communi:* quia 1° rebus absentibus exercetur, nec immediate a perceptione sensuum externorum haurit suas species, sed eas habet in se continuo servatas; 2° unde stabiliter retinet, dum sensus communis transeunter tantum, et ad praesentiam rei externae; 3° species sensatas componit, id est, innumeras species congerit et congregat. Hinc merito docet Seraphicus, quod phantasia componit formas novas secundum simili-

tudinem formarum a particularibus sensibus receptarum.

515. Ergo ratio praesentiae et absentiae actualis sensationis valde explicat differentiam inter *sensum communem* et *phantasiam*. — Lato sensu et minus recte aliqui *idem intelligunt per sensum communem et phantasiam*.

516. — **Phantasiae moderatio.** — Cum imaginativa per peccatum Adae multum manserit debilitata, magna viris spiritualibus movet bella, et quieti orationis multa praebet impedimenta. Unde vir perfectionis studiosus debet vanas phantasias ab oculis cordis avertere, et serio incumbere moderationi imaginationis, illam iudicio intellectus et imperio voluntatis regendo et cohibendo. — Phantasmata vana comparantur (relate ad perfectionem) asino Abrahae extra locum adorationis et sacrificii relinquendo, id est, vana phantasmata ab exercitiis devotionis separentur, et humanis negotiis ne implicemur, cum orationi vacamus. — *Ergo purgetur phantasia a pravis, a vanis, a nimiis*..

517. — **Monita circa phantasiam.** — I. *Imaginationi ne nimis indulgeas*, aliter fies incapax rerum seriarum ac proinde vitae interioris. — II. *Imaginationi* non facile credas: aliter nullam fere invenies requiem in vita sociabili, et a fortiori in vita devota, tibique aliisque fies valde gravosus. Quot vanos timores, anxietates et perturbationes causat immoderata phantasia! — III. *Noli relinquere imaginationem vagantem*, quia vehementer te impellet ad delectationes sensibiles et cupiditates terrestres. — IV. *Imaginationi non facile inniteris*, aliter enascetur fictionum amor, et a veritate facile declinabis. — V. Imaginatio tua nobilitetur per exercitium devotioni, orationi et pietati conforme: tibi frequenter

repraesenta coelestia habitacula, coelestem Sanctorum felicitatem, pulchritudinem paradisi, item tormenta damnatorum, et alia quae cor tuum a terrenis separent et ad coelestia elevent. — VI. Cave ab obiectis mundanis, quae imaginationem nimis et haud recte exaltant et periculosam redduñt, ut lectio librorum fabulosorum (Romans, Novelas) etsi honestorum, immoderatus pruritus sciendi quidquid in civitate fit, etc. — VII. Neque admittendae sunt excusationes illorum, qui quasi insuperabilem difficultatem cohibendi phantasiam semper in ore habent, ut multas excusent imperfectiones, levitatem, impatientiam, necnon acediam et pigritiam ad proprios defectus corrigendos, eteuim ipsi philosophi tenent quod « homo potest uti phantasia quodammodo pro sua voluntate »: ergo potest cohiberi..

518. — **Tertius sensus internus seu aestimativa** (quae in nobis dicitur etiam COGITATIVA), est *facultas deprehendendi, in rebus per sensum exhibitis respectus concretos individuales, qui tamen per sensus externos apprehendi nequeunt.* Dicitur *aestimativa*, quia aestimamus per illam aliquid quod sensibus non attingitur. Per hanc ergo facultatem, apprehenduntur in rebus corporalibus, respectus noxii, vel utilis, amici vel inimici, convenientis vel disconvenientis propriae aestimantis naturae. — Ergo « officium aestimativae est apprehendere intentiones non rationis sed naturae », ait Seraphicus; id est, non apprehendit rerum respectus qui ratione intelliguntur et manifestantur, sed qui sola natura imprimuntur: unde dicimus *sentire* quae tali modo apprehendimus. — Quia vero *aestimativa* in nobis multum participat de virtute rationis, vocari solet etiam COGITATIVA vel *ratio particularis.* — *Aestimativa* videtur (lato sensu et improprie, non vero realiter) iudicare et

ratiocinari, seu melius has animae facultates *quodammodo* imitari.

519. — *Aestimativa differt a sensu communi*, quia iste percipit tantum sensationes sensuum externorum: et *ab imaginativa seu Phantasia*, quia ista retinet tantum et componit species sensatas; *aestimativa* autem percipit respectus concretos et individuales qui sensibus apprehendi nequeunt: unde magis accedit ad intellectum, ac proinde perfectior est.

520. — **Aestimativae seu Cogitativae moderatio.** — Cum aestimativa seu cogitativa ex phantasmatibus intentiones colligat, non est in nostra potestate malarum aut inanium cogitationum carere, quia dictae cogitationes malae oriuntur ex suggestione daemonis nos vulnerare volentis, ex humani cordis imbecillitate, et ex nostra concupiscentia; quae enim concupiscimus, ardenter amamus, iuxta illud S. Laurentii Iustiniani: « Vis nosse ubi thesaurizas? attende quid amas. Vis nosse quid amas? attende quid cogitas. — Ergo divino fretus auxilio, resiste: 1° omnibus suggestionibus pravis; 2° omnibus inutilibus et inanibus: aliter difficilis, si non impossibilis evadit attentio in oratione, exercitium devotionis et perfectionis progressus. Per primum ergo resistes peccatorum damnis; deinde habitualis divagationis periculis, et incommodis. Sic orando, pugnando, reiiciendo, pervenies ad talium cogitationum diminutionem et attenuationem.

521. — **Monita circa Aestimativam seu Cogitativam.** — I. *Assiduum purgandi defectus studium generat sanctas cogitationes: vita vero incuriosa et mundana multas producit periculosas et pravas.* Etenim si adhuc multas defectuum voluntarie retines sordes (a fortiori si mortalia admittis), quasi ex abundantia

cordis inutilia et prava producentur in te. « Non sordidae cogitationes mentem sordidam reddunt, sed ex mente sordida, sordidae cogitationes exeunt » (S. Prosper.), « Non potest fieri ut in mala opera exeant cogitationes bonae: quoniam hoc actione ponitur, quod corde concipitur » (Id.).

522. — II. « Nihil ita allidit virtutem daemonum, quam si quis secreta immundarum cogitationum revelaverit sanctis Patribus (i. e. animae Directori) » (in *Vit. Patr.*).

523. — III. « Aurem tuam spiritualibus sermonibus frequenter accommoda, et mentem ab immundis cogitationibus elongabis » (Thalassius).

524. — IV. « Quantumque turpis fuerit cogitatio, non polluit mentem, dum displicet » (Trithem.). Unde « nihil interest quale sit illud quod cogitatur, sed qualis ex ipsa cogitatione affectus consequatur; quia cogitatio mentem non polluit, ubi delectatio mentem non corrumpit » (Hugo a S. Vict.).

525. — V. « Magno studio superfluae cogitationes amputandae sunt, sed tamen amputari funditus nequaquam possunt, semper enim caro superflua generat, quae semper spiritus ferro sollicitudinis recidat (S. Greg. Magn.). Unde semper resistendum in hac vita, ut victoriam et gloriam obtineamus.

526. — VI. Cogitationes pravae saepissime ex daemonis malitia torquent (et Deo permittente ad probationem) animas maxime de perfectione sollicitas. Item incipientes non raro crudeliter affligunt. Caveant ergo omnes, ne animo decidant, ne pacem amittant, ne iracundi efficiantur et tristes nimis, quia ex tali tristitia et perturbatione et iracundia, novas vires accipit diabolus, et nos inaptiores reddimus ad perfecte resistendum. Maximum tentatorum remedium, praeter orationem, est obedientia erga confessarium

et animae directorem; humilitas et fiducia in Deo, qui ipsis non negabit virtutem ad inimicum confundendum. Ergo errant qui ob tentationum frequentiam se credunt a Deo derelictos, aut minus a Deo adiutos.

527. — **Memoria** est *facultas conservandi seu revocandi intentiones:* vel, *virtus cognitiones antea habitas revocandi et ut antea habitas recognoscendi:* unde *eius obiectum est praeteritum ut praeteritum,* ac proinde memoriae obiectum essentialiter consistit in *recognitione cognitionis ut antea habitae,* potiusquam in eiusdem cognitionis revocatione.

528. — Unde. — I. **Memoria sensitiva** *recte definitur facultas qua revocantur et recognoscuntur sensationes antea habitae, et iis mediantibus, res antea perceptae.*

529. — II. *Cognitio praeteriti modo distincto sive notio universalis et abstracta praeteriti haberi potest a sola rationali facultate:* unde memoria sensitiva percipit tantum praeteritum *modo confuso,* seu ut quid singulare et determinatum spectatum in actibus et rebus sensibilibus et concretis; seu, ut alii melius explicant, *memoria sensitiva percipit in re sensibili, id est, in sensatione antea habita res determinatas, concretas,* singulares, immixtas conditionibus eius materialibus, ita ut ex eo quod res successive pluries apprehenditur, sentitur diversitas temporum in successivis perceptionibus eiusdem.

530. — III. *Homo propria etiam industria et virtute* (1)

(1) Angelicus, 2, 2, q. 49, a. 1, ad 2: Sunt quator per quae homo proficit in bene memorando. Quorum primum est ut eorum quae vult memorari, quasdam similitudines assumat convenientes... Secundo oportet ut homo ea quae memoriter vult tenere, sua consideratione ordinate disponat... Tertio oportet ut homo sollicitudinem apponat, et affectum adhibeat ad ea

recordatur, ac proinde eius memoriae adiungitur **Reminiscentia,** qua mens ope imperfectae recordationis conatur assequi plenam revocationem et recognitionem alicuius obiecti: quae reminiscentia indiget influxu et directione intelligentiae et voluntatis, cum simplex memoria sensitiva sit spontanea. — Nota quod memoria in actu proprie vocatur *recordatio.*

531. — IV. **Memoria intellectiva** est virtus per quam mens conservat et recognoscit intellectuales notiones antea habitas. 1° Eius obiectum sunt notiones universales et immateriales antea habitae, quod etiam est obiectum idem specie cum obiecto ipsius intellectus. — 2° *Memoria intellectualis specifice non distinguitur ab intellectu,* etsi sit eius specialis operatio. — 3° Distinguitur tamen ut patet ex definitione, a memoria sensitiva de qua hic praecipue agimus. — 4° Praeteritum ut tale per se non est proprium obiectum memoriae intellectivae, licet illa exerceri nequeat quin exhibeat praeteritum, unde admittit tantum praeteritionem *intellectionis* antea habitae. — 5° Attamen ACTUS MEMORIAE INTELLECTIVAE IMPORTAT SIMULTANEUM MEMORIAE SENSITIVAE EXERCITIUM, nam in praesenti vita, anima nihil intelligere potest sine phantasmate, ac proinde ad revocandam priorem intellectionem, opus est phantasmate ipsi respondente quod suppeditatur per memoriam sensitivam, ut docet Angelicus. Et sic intelligendum quod dicunt scholastici cum D. Th. scilicet, quod

quae vult rememorari, quia quanto aliquid magis fuerit impressum animo, tanto minus elabitur... Quarto oportet quod ea frequenter meditemur quae volumus memorari... Unde quae multoties intelligimus, cito reminiscimur, quasi naturali quodam ordine ab uno ad aliud procedentes.

memoria ut virtus conservativa specierum intelligibilium est, ad partem spectat intellectivam, ut vero ad praeterita ut praeterita respectum habet, magis ad animae sensitivam partem attinet.

532. — **Varia de memoria.** — *Rememoratio*, prout est directiva affectionis, potest esse virtuosa et vitiosa (S. Bonav.). - Memoriae officium est retinere species, deinde recordari: 1^{m} est per modum habitus; 2^{m} per modum actus; in 1° non est meritum vel demeritum; in 2° sic (id.). — Memoria iniquorum vituperabilis, iustorum vero honorabilis (id.). Memoria exercenda circa Dei beneficia, peccata commissa et bona exercenda (id.). Memoriam vocat S. Aug. thesaurum imaginum innumerabilium. Reminiscentia valde iuvatur per ASSOCIATIONEM IDEARUM, quae consistit in connexione naturaliter existente vel artificialiter instituta inter cogitationes nostras, per quam unius notitia alterum revocat. Memoria est repositorium praeteritorum (S. Bonav.). Memoria excolendo augetur.

533. — **Monitum generale circa purgationem memoriae** *aliorumque sensuum internorum.* Ex multiplici circa memoriam hucusque tradita notitia, facilius lector et sufficienter intelliget diversos eiusdem respectus, et modum eius, et sensum loquendi *vulgarem* et AA. qui de memoria non ex professo tractant, sed illam quasi generice usurpant. Imo in multis opusculis in quibus agitur de interna mortificatione, saepissime, relictis diversis sentiendi et cognoscendi gradibus et rigore philosophico, solummodo agitur modo generali et confuso, de mortificandis: 1° memoria; 2° intellectu; 3° voluntate. Quod quidem serio notandum etiam in textibus Patrum

citatis praesertim in hoc capite 1). Sed ad perfectiorem scientiae ascetico-mysticae notionem expedit *principaliora saltem philosophica principia in mentem revocare,* et singulis animae facultatibus, particulariores assignare regulas ad perfectionem spiritualem tutandam, servandam et adaugendam. Et quamvis non raro eadem monita et regulae moderationis et purgationis pro una facultate traditae, aliis etiam

(1) De sensibus internis multa habet ad rem nostram facientia Viguerius *Institutiones ad Christ. theol.* c. 1, § 8, ver. 1: « Sensus communis est potentia animae sensitivae omnium sensibilium in eorum praesentia per alios sensus exteriores perceptiva, et specierum receptarum ad phantasiam perfusiva. — Ver. 3. *Phantasia* est potentia naturalis animae sensitivae apprehensiva, hoc est receptiva et conservativa specierum sensatarum per sensus exteriores... — Ver. 4. *Phantasia* habet quatuor officia. Primum est recipere omnes species inferiorum potentiarum. Secundum, conservare eas in organo suo. Tertium est, ex speciebus receptis alias in se causare... Quartum officium est, praesentare immediate obiectum conveniens vel disconveniens potentiae appetitivae. — N. 10. *Aestimativa* est potentia naturalis interior animae sensitivae perfectae, receptiva specierum non sensatarum, transmissiva in memoriam, ut species inimicitiae in ove ab Auctore naturae causata cum primo videt lupum. Et se habet haec potentia ad memoriam, sicut sensus communis ad phantasiam... Obiectum huius potentiae est sensibile non sensatum... Haec potentia in hominibus est excellentior, et excellentiori modo operatur, quam in brutis, propter vicinitatem rationis, quae habet conferre unam rem alteri: quam quidem collationem ratio communicat huic potentiae in rebus non sensatis, imperfecte tamen. — N. 11. *Memoria* accipitur tripliciter. Primo, pro omni potentia conservativa specierum in absentia obiecti: et hoc modo non est specialis potentia, quia convenit phantasiae (ut supra dictum est), et in intellectu possibili, qui conservat species intelligibiles. Secundo, pro similitudine in potentia servata... cum illa consideratione quod fuerit prius

quodammodo convenire possint, convenientissimum tamen est, ut singulae speciales, aut saltem sibi magis proprias regulas habeant (1).

534. — **Memoriae moderatio.** — NOTA. Hic praesertim agitur de *memoria sensitiva* et *reminiscentia*. Ubi de intellectu purgando habentur etiam quae memoriam intellectivam respiciunt, quia bene purgato intellectu, bene etiam purgatur memoria intellectiva quae, ut dictum est, ab eo specie non distinguitur.

535. — *Memoria purgari debet a pravis et periculosis et perfectionis impeditivis notitiis: Hinc purgetur* 1° *a malis apprehensionibus* et notitiis naturalibus moraliter malis; ut sic homo deponat malitiam, do-

sensatum sive apprehensum. Et hoc modo memoria non est potentia, sed actus. Tertio modo, ut specialis potentia... conservativa specierum non sensatarum, sub ratione prioritatis temporis. — N. 13. *Differt autem memoria a doctrinae perceptione et reminiscentia.* Quia aliquis doctrinam percipit, quando phantasma novum accipit. Sed quando salvo phantasmate integro considerat prius sensisse obiectum per phantasma praesentatum, dicitur memorare sive recordari ».

(1) Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 2, disp. 3, a. 4, ait: « Multae proveniunt animae utilitates ex purgatione memoriae. Prima, quia anima summa fruitur tranquillitate, et pace spiritus intima. De qua loquitur D. Thom. 1, 2, q. 70, a. 3... — N° 8. Secunda, quod anima mediante huiusmodi purgatione fruitur puritate conscientiae, quae per inordinatas rerum creatarum notitias, et per indebitum ad eas affectum ex earum notitiis proveniente foedatur et maculatur... Tertia est, quod per hanc purgationem activam memoriae ex naturalibus rerum creatarum notitiis se liberat periculo et occasione multarum daemonis suggestionum, tentationum ac internorum motuum, quibus plurimas et varias potest incurrere impuritates conscientiae... Quarta est, quod anima mediante hac purgatione memoriae ex naturalibus rerum creatarum notitiis redditur apta et disposita ut immediate doceatur a Sp. Sancto ».

lum, simulationem, invidiam, detractionem: imo eorum notitias debet delere, ut nunquam eorum recordetur, nisi ad anteactae vitae peccata deploranda; 2° *a notitiis inutilibus et indifferentibus;* 3° *a naturali notitia parentum* (quatenus erga illos habeatur inordinatus affectus), *deliciarum, voluptatum,* mundanorum bonorum, dignitatum, divitiarum et saecularium negotiorum (salvo pietatis, obedientiae et necessitatis imperio).

536. — Ex hac purgatione, anima plurimam capit utilitatem, nam multam tranquillitatem et pacem adipiscitur, puritatem conscientiae conservat, daemonum suggestiones et internos motus reprimit, et pericula multa evitat; denique memoria rebus creatis et inutilibus vacua, disponitur ut doceatur et repleatur a Spiritu Sancto divinis notitiis et sanctis cogitationibus.

537. — **Monita circa memoriam.** — I. Incipientes, saepissime, quamvis acceptam iniuriam dimittant, non tamen perfecte dimittunt, et quasi delectantur, veluti de quadam vindicta, ex *recordatione acriori* personae quae illos offendit vel a qua se putant offensos.... (nam multa reputamus offensiones quae talia non sunt in inferentis animo). Videas ergo an cor tum sit adhuc longe a vera fraterna charitate.... cogita utrum veluti muliercula invidiosa aut nervosa ubique tibi fabrices motiva impatientiae aut diminutionis benevolentiae erga confratres.... cave ne vulnus perduret... « Nihil profecto, nihil Deus ita aversatur ac odit, sicut hominem iniuriae memorem » (S. Chrys.).

538. — II. Si vis memoriam tuam sancte ditare, Deum ex corde dilige, et coelestia suspira: etenim « ea quae magna aestimamus, magis memoriae infigimus » (S. Th.).

539. — III. « Memoria bonorum in tempore tribula-

tionis, animam per spem erigit: memoria malorum in tempore prosperitatis ad custodiam sui cautiorem reddit » (Hug. a S. Vict.). Noli tamen recordari peccatorum iam confessorum modo specifico nimis et circumstantiato, sed *generalius* deplora anteacta errata, et memento quod peccasti: sic compunctio servatur et pericula vitantur.

540. — IV. « Laudabilis memoria beneficiorum, et maxime memoria creationis, redemptionis et iustificationis » (S. Antonin.).

541. — V. *Multis etiam devotis gravissima fit memoria mortis, et quasi totaliter ab illa abstinere conantur*: et sic, si peccatores sunt, in peiora facilius cadunt; si iusti, magno privantur contra peccata tutamento, et quotidie cogitationis mortis ingravescente horrore, debilitantur in spe et filiali erga Deum fiducia, nimisque mundo adhaerent: difficulter enim ad coelestem patriam ferventer aspirat, qui repugnantiam et horribilem repulsionem contra mortis vel ipsam cogitationem non minuere satagit per sanctas considerationes et consolatorias rationes. Si vis mortem minus timere, et peccata mortalia evita, et Dei misericordiae te committe, et ipsam mortem veluti facie ad faciem frequenter aspice, et B. Mariae patrocinium implora. Non negandum quod quibusdam nimis timoratis non semper expedit mortem meditari, sed nullus debet nimium timorem peiorem et vere noxium reddere per quasi totalem et voluntariam mortis oblivionem.

542. — VI. Memento saepe saepius tristissimae peccatorum conditionis, ut et pro illis ores et teipsum humilies; multarum pauperum necessitatum, ut illis succurras pro posse; virtutum sanctorum, ut ad imitationem moveatur cor tuum; propriae miseriae, ut

humilitatem conserves; brevitatis vitae, ut indefesse labores ad thesaurizandos tibi coelestes thesauros.

543. — VII. Sollicite custodire debes in thesauro memoriae tuae quidquid tibi adiumento esse possit ad perfectionem et spiritualem profectum animae tuae.

544. — VIII. Si praeditus es perfectiori memoria, cave a superbia, cave ab irreflexione, sed talentum tuum perfice et custodi pro Deo et propter Deum.

545. — IX. Tandem, frequenter, in memoriam revoca proprias obligationes, anteacti fervoris et melioris vitae proposita; purgatorii poenas, ut pro defunctis exores; Ecclesiae necessitates et Romani Pontificis tribulationes, ut ad Deum clamare non cesses (1).

(1) MEMORIA NOTITIARUM SUPERNATURALIUM AB ASCETICIS RARO A MYSTICIS SAEPIUS HABITAE, si discretio, si humilitas absit, periculosa evadere potest. Unde rite monet. Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.*, q. 2, disp. 3 a. 4: « Notitiae supernaturales possunt animae multa causare damna si eis adhaereat, quae reducuntur ad quinque genera damni. PRIMUM est quod saepius decipiatur in suis iudiciis; unum scilicet accipiendo pro alio... Secundum illud Isaiae, 5, 20: *Ponentes tenebras lucem et lucem tenebras.* Quod explicans D. Thom. dicit hoc: « Quantum ad excusationem peccati: et primo, quantum ad affectum, *Malum bonum*... SECUNDO, quantum ad intellectum, *lucem tenebras*, veritatem errorem... TERTIO, quantum ad effectum, *amarum in dulce* »... — SECUNDUM est, quod in proxima manet occasione cadendi in praesumptionem aliquam aut vanitatem, si de illis curat, aut plurimum aestimat... Solet quaedam satisfactio de illis, et occulta etiam suiipsius complacentia remanere, unde spiritualis superbia resultat animae incultae. Videatur D. Thom. 2, 2, q. 21 et 22, in omnibus articulis in quibus disputat de praesumptione. — TERTIUM est, quod diabolus facultatem et commoditatem habet ipsam decipiendi mediis notitiis et apprehensionibus... — QUARTUM, quod impeditur unio Dei in spe...

Art. III. — **De Intellectus et Voluntatis purgatione.**

546. — **Intellectus** etymologice idem sonat ac *intus legere*, estque quaedam *vis et potentia animae, per quam intelligit apprehenditque res immateriales et intelligibiles* (S. Bonav.): vel, *virtus quae potest in rebus percipere respectus universales et immateriales.* — Unde *differt a cognitione sensitiva*, quae respicit tantum proprietates concretas et materiales, et superficiem rerum tantum, dum intellectus abstracta et intimam rerum naturam scrutatur, ac proinde intellectus est potentia incomparabiliter nobilior cognitione sensitiva.

547. — *Obiectum intellectus est omne quod est aut esse potest*, ac proinde ad nullum restringitur obiectum,

— Quintum denique, quod regulata et directa talibus notitiis non condigne iudicat de Deo secundum eius eminentiam:... nec tam alte de ipso sapit, quantum fides docet. Isaias. 64. Et I. Cor. *Quod oculus non vidit*, etc. Audite D. Thom. super hunc locum: « Ostendit autem (Apostolus) illam gloriam visionis aperte ab hominibus ignorari dupliciter. Primo quidem, quia non subiacet humanis sensibus, a quibus omnis humana cognitio initium sumit. Ei ponit duos sensus. Primo visionis, quae inservit inventioni, cum dicit *quod oculus non vidit*... Et hoc ideo quia non est aliquid coloratum et visibile. Secundo, ponit sensum auditus, qui deservit disciplinae, dicens: *nec auris audivit*, scilicet ipsam gloriam quia non est sonus, aut vox sensibilis... Deinde excludit notitiam eius intellectualem, cum dicit: *Neque in cor hominis ascendit.* Quod quidem potest intelligi: Uno modo, ut ascendere in cor hominis dicatur quidquid quocumque modo cognoscitur ab homine... Alio modo potest exponi, secundum quod proprie dicitur in cor hominis ascendere, id quod ab inferiori pervenit ad hominis intellectum ».

sed ad omnia entia extenditur, et indefinite potest multiplicare suas intellectiones. Ergo recte dicitur quod intellectus obiectum est omne ens sub ratione veri (S. Bonav.). Ergo intellectus, ut possibilis potest intelligere omnia, ut agens nequaquam (id.) Attamen *ens debet proponi intellectui modo proportionato*, nam intellectus noster non semper coniungitur ad ens modo requisito ut fiat intellectio.

548. — **Intellectus moderatio.** — Ex dictis patet quam necessaria nobis sit mortificatio intellectus. Unde 1° *eum moderetur in inquisitione veritatis;* 2° *in proprio iudicio circa res agendas:* 1m cavendo a negligentia circa res sciendas et a curiositate; 2m cavendo ne se intromittat in aliorum factis et leviter iudicet, ne Superiorum directionem temerario condemnet, ne aliis quis se praeferat.

549. — *Maxime autem cavendum a* PRAECIPITATIONE, de qua scribit Angelicus, 2, 2, q. 53, a. 3, c.: « Dicitur autem praecipitari secundum corporalem motum quod a superiori in ima pervenit secundum impetum quemdam proprii motus vel alicuius impellentis, non ordinate descendendo per gradus. Summum autem animae est ipsa ratio; imum autem est operatio per corpus exercita: gradus autem medii, per quos oportet ordinate descendere, sunt *memoria* praeteritorum, *intelligentia* praesentium, *solertia* in considerandis futuris eventibus, *ratiocinatio* conferens unum alteri, *docilitas* per quam aliquis acquiescit sententiis maiorum; per quos quidem gradus aliquis ordinate descendit recte consiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis, vel passionis, pertransitis huiusmodi gradibus, erit praecipitatio. Cum ergo inordinatio consilii ad imprudentiam pertineat, manifestum est quod vitium praecipitationis sub imprudentia continetur ».

550. — *Ideoque necessaria est matura vel sufficiens* CONSIDERATIO in iudicando, ut multa vitentur incommoda et peccata; de qua *consideratione* ait Angelicus, 2, 2, q. 53, a. 4: « Consideratio maxime pertinet ad iudicium. Unde et defectus recti iudicii ad vitium inconsiderationis pertinet, prout scilicet aliquis in recte iudicando deficit ex hoc quod contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum iudicium procedit. Unde manifestum est quod inconsideratio est peccatum ».

551. — HINC. — I. Quisque scire studeat quae proprio statui conveniunt, et quamvis in variis huiusmodi exercitiis saepe experiamur difficultates et taedium, forti animo perseverandum, ut et Deo placere possimus, et aptiores reddamur ad voluntatem Dei adimplendam in officio et conditione in qua collocati fuimus. Unde caveat devotus a multorum errore, qui proprio gustui nimis adhaerentes, solummodo addiscunt quae ipsis placent, neglectis cognitionibus vere utilibus et necessariis propriis officiis. Caveant ab hoc defectu praesertim devoti seminariorum alumni, nec credant internae cuidam dulcedini quae saepe illos quasi impellit ad aliena studia, seu hic et nunc haud ordinata peragenda. Clerici autem post completum studiorum cursum, non debent praenotiones negligere et aliis studiis profundioribus ita implicari, ut obliviscantur principiorum theologicorum et moralium rectae et prudenti curae animarum quotidie necessariorum. Hinc valde reprobandi clerici, praesertim confessarii qui raro Theologiae Moralis studio vacant, sacerdotes qui notiones liturgicas et rubricas nunquam fere perlegunt, qui S. Scripturam penitus negligunt, etc.

552. — II. CURIOSITAS VITANDA. — 1° *Curiositas* est *studium circa inutilia, aut utilia magis quam li-*

ceat, deceat vel expediat, ait Gerson. — 2° Iuxta Carthusianum, *curiositas nascitur ex otiositate* (quodammodo tali), ac proinde reprimenda per laborem proprio statui convenientem. 3° *Omnes debent contra curiositatem pugnare*, nam « curiositas est vitium pene omnes involvens, et parum cognitum sed multum nocivum » (S. Antonin.). — 4° Ergo *reprimenda quaerendo in cognitionibus utilitatem et non meram delectationem*. Etenim « omnis illa quae appellatur curiositas, quid aliud quaerit quam de rerum cognitione laetitiam? » (id.): unde « ne sis curiosus, neque omnia videre et scire velis, ut ne saniem vitiorum menti tuae attrahas » (S. Basil. Magn.); quia « parit curiositas experientiam mali, ut facile qui per multa vagatur offendat, facile cadat in laqueum, facile inveniat quod perniciose delectet » (S. Bern.). — 5° Et iusto Dei iudicio, *parum in scientiis proficiunt qui curiositati favent*: « curiositas reum facit, non peritum » (S. Zeno). E contra « nolle omnia curiose inquirere, et non capere omnia scire, magnum praeclarae scientiae argumentum est » (S. Chrysost.). — 6° « Qui aliena nimium, anxia curiositate scrutaris, si ea inquirere desideres, clarorum opera virorum curiosius investiga ut ex aemulatione alienae virtutis, aeterna fruaris beatitudine » (id.). — 7° *Curiositate cessante, facillime cessabit pruritus suspicionis* et similium defectuum contra fraternam charitatem: « mala et pestilens curiositas est, quae secretum alienum improbe scrutari contendit; saepe quamvis nihil inveniat quod iuste reprehendere possit, perversa tamen suspicari non desinit » (Hug. a S. Vict.). — 8° Ergo, quia « curiosus non curanda curat, necessaria negligit, et sui oblitus aliena considerat, notat et explorat » (S. Bonav.), tu

attende tibi, tuis officiis, tuae spirituali utilitati, verae tuorum laborum fructificationi.

553. — III. *Cave ne ob scientiae perscrutationem etiam necessariam et utilem, negotia animae tuae negligas*, et de perfectione et salute minus sollicitus inveniaris. Nam « daemones quoties nostri curam non habemus, ipsi, observata opportunitate, ex improviso in nos magna cum vehementia irruunt » (S. Maxim. Mart.).

554. — IV. CAVE AB OPINIONUM TENACITATE : nam 1° « incidere in falsae opinionis errorem, priusquam vera cognoscas, imperiti animi est et simplicis : perseverare vero in eo postquam agnoveris, contumaciae » (Salvianus). — 2° « Si deprehensae falsitati penitus non renuntietur, et cognitae non adhaereatur veritati, obstinatio diabolica est ». (S. Bern.). Et « nequissima plane et perniciosissima pestis est obstinatio, quoniam universos turbat, et fit omnibus discordiae fomes, et materia scandalorum » (id.). Quod quidem vitium paulatim et fortiter inficit devotos qui proprio iudicio nimis adhaerent, et in ipsis et consociis tempestates multas producit. — 3° Ergo omnes eo magis debemus ab opinionum tenacitate fugere, quo numerosiores sunt qui sanum seu rectum iudicium millibus opinionibus offuscant. Etenim « maxima multitudo est hominum, qui in varias noxiasque opiniones ita labuntur, ut emergere inde ac liberari, aut numquam, aut aegerrime queant » (S. Aug.). Ergo humilitas, reverentia erga Ecclesiae Pastores, Superiores et animae moderatores praeservabit nos a tanta intellectus infirmitate. Ergo tanquam parvuli curramus ad fontes verae doctrinae; maiorum et sapientiorum iudicio pareamus, modo non contradicat sensui Ecclesiae; imo salvo veritatis iure, non contendamus obstinate in conversationibus

ordinariis, ne adaucta contendentium tenacitate, varia enascantur incommoda. Scito ergo silentium servare ubi, quando et quantum expedit.

555. — V. CAVE ETIAM A IUDICIIS TEMERARIIS *et opinionibus infundatis contra proximum*. Nam 1° « Ex hoc ipso quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite ipsum contemnit, eique iniuriatur » (S. Th.). — 2° Saepe nostra malitia et imperfectio nos fallit, ita ut si aliis nos haud praeferimus, saltem illos similes nobis in defectibus iudicemus: « Fornicarius neminem aestimat castum, et castus non facile de fornicario suspicatur « (S. Chrysost.) — 3° Iudica et plora peccata tua, et noli alios leviter iudicare. Hinc valde deploranda facilitas qua etiam personae pietatis studiosae hoc pessimum vitium admittunt sub variis praetextibus, ab eorum occulta animositate, aliisque non purgatis defectibus, et maxime ex diabolica fraude exortis. — 4° *Videas ergo:* an ex sola externa facie alium criminosum iudices? an actiones de se indifferentes perverso fine factas pronunties? an de actione alterius apparenter bona et virtuosa iudicium sinistrum feras? an alienam actionem, minus quam censeri oporteret bonam ac laudabilem iudices? an ex uno actu vitioso proximum talem habitualiter esse iudices, et ex uno pravo religioso totum coenobium, etc? — Dilige ergo, *corde, verbo, ore et opere* proximum tuum, et evelles multas causas iudicii temerarii. — 5° Memento denique quod Deus maximis benedictionibus in bono confirmat et perficit eos qui nolunt iudicare: e contra iusto iudicio permittit Deus, ut male iudicans in eosdem quos male iudicat veros vel existimatos defectus incidat. — 6° CONCLUDENDUM: « Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in

seipso quod condemnet, iudicet ille qui non agit eadem quae in alio putaverit esse punienda, ne cum de alio iudicat, in seipsum sententiam ferat; iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla levitate ducitur » (S. Ambros.). Et « stulti tanto intensius de alieno iudicant, quanto sua profundius ignorant » (S. Greg. Magn.). « *Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* » (1 Cor. 4, 3).

556. — VI. Magna superbia est proprium iudicium praeferre iudicio Praelati et Directoris, et multo maior ordinationes et mandata Superiorum quasi ad iudicium subditi revocare et contra illa plus minusve murmurare, auctoritatem mandantis parum aut nullimode *in praxi* honorando. Unde in hoc *saeculo pravarum libertatum*, devoti non raro aërem quemdam nimiae independentiae iudicii et quasi liberioris examinis quodammodo respirant, magno cum verae obedientiae nocumento.

557. — VII. Cave ergo, ne depravetur iudicium, seu ne fiat minus rectum falsa pro veris admittendo, te in quasi-oraculum et depositarium rectae sententiae et accuratae appretiationis circa homines, eventus et alia constituendo. Multi enim etiam inter devotos hoc laborant defectu, et sibi persuadent quod ipsi res melius vident et intelligunt quam alii, etiam Doctores et Moderatores. Unde si obediunt, non mente et perfecte, sed potius opere tantum (et forte non semper) obediunt, fiuntque facilius iudices confratrum; et humilitatis, tunc magis necessariae, immemores, et dicunt et agunt tamquam Magistri et Doctores et Protectores intelligentiae, pietatis et perfectionis caeterorum. Tales similes fiunt obstinatis et

tenacibus, quamvis habitualiter videantur (et saepe sint) optimae voluntatis et sanctae intentionis (1).

558. — VIII. MEMENTO GENERATIM CIRCA INTELLECTUM. — 1° « Nihil charius intellectu; sed si depravatus fuerit in homine, quid perniciosus? » (Pet. Cell.). — 2° « Lumen intelligentiae humilitas aperit, superbia abscondit » (S. Gregor. Magn.). — 3° Laetetur qui intelligit, patienter ferat qui non intelligit: quod non intelligit ferat, et ut intelligat differat » (S. Aug.). — 4° « Sicut per luxuriam absorbetur intellectus, et per gulam hebetatur, et per rixam offuscatur: ita per castitatem supra se elevatur, per abstinentiam acuitur, et per patientiam quietatur » (S. Antonin.).

559. — **Voluntas** est *inclinatio viventis intellectivi in bonum tamquam sibi conveniens ratione apprehensum:* vel *potentia libera qua ex distincta boni vel mali repraesentatione, illud appetimus et hoc aversamur.* — 1° Voluntas vocatur etiam *Appetitus ra-*

(1) Huiusmodi homines *imprudentissimi* habendi sunt, unde multa indigent *docilitate*, ut emendentur, nam teste Angelico, 2, 2, q. 49, a. 3 : « Prudentia consistit circa particularia operabilia; in quibus cum sint quasi infinitae diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter considerari, nec per modicum tempus, sed per temporis diuturnitatem. Unde in his quae ad prudentiam pertinent, maxime indiget homo ab aliis erudiri, et praecipue ex senibus, qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium... Hoc autem pertinet ad docilitatem ut aliquis sit bene disciplinae susceptivus. Et ideo convenienter docilitas ponitur pars prudentiae ». Et ad 2° : « Docilitas, sicut et alia quae ad prudentiam pertinent, secundum aptitudinem quidem est a natura; sed ad eius consummationem plurimum valet humanum studium, dum scilicet homo sollicite, frequenter et reverenter applicat animum suum documentis maiorum, non negligens ea propter ignaviam, nec contemnens propter superbiam ».

BL. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tionalis. — 2° EIUS OBIECTUM est omne quod ut bonum apprehendi potest per rationem, ac proinde *differt ab appetitu sensitivo* cuius obiectum est tantum bonum sensibus perceptibile et sentienti conveniens. — 3° Bonum autem voluntatis obiectum, est *bonum reale* vel *bonum apparens.* — 4° Pugna *carnis* et *spiritus* nihil aliud est, quam pugna inter appetitum sensitivum et rationalem: multa enim iucunde afficiunt sensum, et ab eo ut bonum aestimantur, quae malum iudicantur a ratione.

560. — VARIA DE VOLUNTATE EX DOCTRINA SERAPHICI: 1° Voluntas aliquando stat pro potentia, sicque est instrumentum se ipsum movens: aliquando pro actu et motu potentiae, sicque est animi motus liber: aliquando pro ipso volito, sic dicitur: haec est mea voluntas. — 2° Voluntas prout est vis motiva, dividitur in imperativam, consiliatricem et affectivam. — 3° Voluntas distinguitur ab intellectu, quod iste est potentia apprehensiva, voluntas est motiva. — 4° Bonum increatum est quietans voluntatem tum in ratione obiecti adaequate, tum in ratione finis: creatum vero tantum quietat semiplene. — 5° Voluntas bona reputatur pro facto, quando adest bona intentio, nec adest facultas.

561. — **Voluntatis moderatio.** — Omnia quae de necessitate et modo purgationis diximus, quodammodo pertinent ad voluntatem, cum neque per sensus externos, neque per internos possimus infici et peccare, nisi adsit voluntatis *consensus:* unde peccatum committitur si voluntas non resistit quomodo et quando resistere debet, sive si non conformatur divinis mandatis, nec obedit praeceptis quae omnia nostra regulant. Attamen, quia voluntas, iuxta D. Thomam, est velut regina operationum nostrarum, non sufficit nobis singulos eius subditos moderari ac

illam quodammodo in illis perficere, sed expedit ipsam specialiter et directe purificare, ut magis regina sit, quae seipsam bene regat, ut totus homo perfectius subiaceat supremae legi divinae, et Deo totis viribus serviat. — UNDE *mortificetur amor proprius et propria voluntas per abnegationem.*

562. — **Amor proprius** vocatur etiam *amor sui*, estque inordinata affectio, qua homo amat se in se. Dicitur etiam *amor privatus. — Amor proprius saepe sumitur praecipue pro amore prout est in appetitu: et propria voluntas praecipue pro amore inordinato prout est in voluntate. Debemus nos amare, sed non modo inordinato, ut facit amor proprius.* De isto amore proprio recte asseritur quod est causa malorum sine numero, et quod difficillime ab illo perfecte liberamur.

563. — HINC. — 1° « Ex amore isto damnabili oriuntur simulatio, calliditas, infidelitas, hypocrisis, singularitas, complacentia vana, inobedientia, rebellio, contentio, induratio, pertinacia et similia ». (B. Dion. Carth.). — 2° Amor proprius causat speciali modo quamdam caecitatem. « Amor proprius et privatus oculum mentis vehementer claudit... » (Idiota). — 3° « Quisquis seipsum non Deum amat, non se amat; et quisquis Deum non seipsum amat, ipse se amat. Bene se amant, qui in se opera Dei amant » (S. Prosper.). — 4° Cave ergo ne in viis Domini tepide ambules, quia tunc infauste te ipsum nimis invenies. « Quando refrigescit charitas ab amore Dei et proximi, convertitur ad amorem sui » (Hugo Card.). E contra, « tantum in te crescet verus amor Dei, quantum minuetur perniciosus amor tui » (Blosius). — 5° Ama te in Deo, et propter Deum, et ad fruendum Deo, et ut placeas Deo, et sic abiicies amorem proprium. Et in hoc sensu intelligendum

illud S. Aug.: « Qui amat homines, aut quia iusti sunt, aut ut iusti sint amare debet: sic et seipsum amare debet, aut quia iustus est, aut ut iustus sit ». — 6° Ama veritatem, et noli eius iura parvipendere ut tibi complaceas. « Nimis perverse seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat » (S. Aug.). — 7° Ergo si vis in perfectionis via ambulare, debes ab inordinato amore tui recedere, non solum quoad res gravis momenti, sed etiam in aliis, nam haec omnia te alligant ut non possis perfecte ad Dei unionem pervenire. *Ergo* solum Deum quaere, et animae tuae salutem, et uberiorem coelestem gloriam: omnibus omnia fias: non quaeras quae tua sunt...: deplora immoderationem qua te amas et falso amas: humiliationes tamquam salutaria remedia patienter tolera: sustine contrarietates: Deum ora.

564. — **Voluntas propria** est ea quae non est quasi una cum divina, sed nostra tantum est, et habetur quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Ita S. Bern.; cui concordat S. Bonav. dicens: « propria voluntas est illa quae omnino divino imperio non ligatur, vel superiori regulae non adhaeret ». Item Carthusianus: « Voluntas propria dicitur, quae sic est volentis, quod nec voluntati Dei, nec ordini est conformis ». Estque maximum vitae spiritualis et salutis impedimentum. Quapropter totis viribus subiicienda sub tutissimo imperio et iugo obedientiae erga Deum et Superiores, Dei vices agentes apud nos. Et non tantum timenda in magnis, sed etiam in minimis; imo tanto magis timenda in minimis, quia minus timetur etiam a viris devotis.

565. — Hinc. — 1° Facientes propriam volun-

tatem multiplici inficiuntur illusione, praesertim quando praetextu devotionis contra obedientiam et obligationem agunt. Et maxime timenda similitudo pacis qua tales fruuntur; etenim « non impugnant nos daemones quando voluntates nostras facimus: quia voluntates nostrae daemones factae sunt » (In Vit. Patr.) — 2° Fructus propriae voluntatis etiam in minimis est prius apparenter dulcis animae, sed postea amarus. « Saepe poenitet in fine quod male acquiritur et extorquetur propria voluntate » (Kempis). — 3° « Maximum impedimentum ad perfectionem ascendere cupientibus, est proprio incumbere sensui, propriamque velle perficere voluntatem. *Etenim* persaepe privata affectione seducitur, inconsulta deliberatione fallitur, et a regio itinere obliquatur » (S. Laur. Iust.). — 4° Propria voluntas fons est et origo fallaciarum quibus anima a recta via facillime separatur, dum tutam se esse credit. Quia « cum perstamus in voluntate nostra, tunc fortior est diabolus, tunc magis nocet, tunc amplius operatur: tunc sub praetextu boni nobis magis insidiamur, nec novimus quomodo ipsi pereamus » (S. Doroth.). E contra, « ille magnum acquirit meritum, qui propriae valedicit opinioni, ut non suae, sed alienae sit obtemperans voluntati » (S. Franc. Assis.) — 5° Et quia saepe et malitiose abscondit se haec propria voluntas, sollicite investiganda sunt eius abscondita, et si inveniatur, statim eiicienda. « Rogo et obsecro vos, fratres, fugite angulos propriae voluntatis » (S. Bern.). — 6° Magnum lucrum faciemus per propriae voluntatis sacrificium, magnaque inde ad virtutem adiumenta habebimus. Ergo « emenda sunt tria mentis aromata; affectus compassionis, rectitudinis zelus, et spiritus discretionis, nummo propriae voluntatis » (id.).

566. — Concludendum: O vir perfectionis stu-

diose, « tolle te, tolle, inquam, te a te; impedis te: si tu te aedificas, ruinam aedificas » (S. Aug.). Etenim, « crudelis plane et omnino execranda bestia, fera pessima, rapacissima lupa, et leaena saevissima, voluntas propria, » ait S. Bern., qui alibi addit: « Cesset voluntas propria et infernus non erit ». — « Cesset voluntas propria et ecce infernus clauditur » (S. Aug.). Resolve ergo, examina, deplora errata, spera, ora.

567. — **Abnegatio amoris proprii et propriae voluntatis** *perficitur purgatione ipsius amoris et voluntatis, sive amoris proprii et propriae voluntatis renuntiatione.* Ex hucusque dictis plane deducitur quam *necessaria nobis sit abnegatio.* Haec debet esse quotidiana crux qua, tamquam baculo saluberrimo sustineamur in via christiana et devota. Tollamus crucem nostram, tollamus quotidie, et tam sancto nobilitatis spiritualis, honoris et decoris instrumento, Christum sequamur, despiciendo terrena, fugiendo vana, aspernendo mundanos honores, faciendo quidquid Deus vult de nobis, nullo negato sacrificio, nullo recusato labore.

568. — Memento ergo: 1° « Semetipsum abnegat, qui mutatur ad meliora, et incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat » (S. Greg. Magn.). — 2° « Totius perfectionis verissima regula haec est: esto humilis, et ubicumque teipsum inveneris, teipsum relinque » (Blosius). — 3° Unde « oportet te saepe agere quod non vis; et quod vis oportet relinquere » (Kempis). — 4° Ergo, audi et quotidie audi Christum tibi dicentem: « Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Ac si dicat: Qui me desiderat, se despiciat; qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam » (S. Bern.).

569. — Nota quod *gradus abnegationis* sunt: 1) Subiectio nostri iudicii Deo per Superiorem;

2) Abnegatio propriae voluntatis etiam in operibus bonis supererogationis, ut in ieiuniis et mortificationibus, licentiam animae Moderatoris postulando....; 3) Indifferentia in voluntate, nihil volendo, nihil appetendo nisi divinam voluntatem. Deus autem vult ut indefesse laboremus ad salutem animae et christianam perfectionem obtinendam.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Tale certe officium est stellae nostrae Mariae, quae navigantes per mare mundi in navi innocentiae, vel poenitentiae, dirigit ad litus coelestis patriae (S. Bonav.).

MARIAM INVOCA. — Salvum me fac, Mater pulchrae dilectionis, fons clementiae, et dulcor pietatis. Gyrum terrae sola circuis, ut subvenias invocantibus te (S. Bonav.).

MARIAM LAETIFICA. — Orando pro omnibus apostolicis viris, ut B. Virgo sit eorum Consolatrix, Roboratrix, Protectrix et Auxiliatrix: studium perfectionis promovendo. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. VIII. — DE ORATIONE.

570. — **Praenotandum.** — Multa nos oportet operari ad animae purgationem obtinendam : multiplex est spiritualis pugna, qua internos externosque perfectionis et salutis hostes devincere debemus. Sed heu! qui sumus nos? quid fuimus? quid fecimus? quid possumus? accedendum ergo nobis est ad eum qui potest et vult confortare nos, qui expectat pulsantes ut tribuat illis tot panes, tot necessaria quot indigent. Eamus ergo frequenter ad palatium Regis nostri, pulsemus, postulemus et firmiter speremus. Ergo « magnum negotium habet homo tractare in curia summi Regis: anima vero in corporis carcere detenta non potest illuc ascendere, nec coram eo sua negotia procurare; ideo opus est, quod ad illam nuntium suum, id est, orationem dirigat, quae vicem eius gerat, et eius negotia procuret: unde Psalmista ait: Intret oratio mea in conspectu tuo: ubi Glossa Augustini dicit: Magna virtus purae orationis, quae quasi quidam nuntius intrat, et ibi negotia peragit, quo caro pervenire nequit » (Bellovac.).

Art. I. — **De Oratione generatim.**

571. — **Definitio.** — *Oratio* etymologice idem sonat ac *oris ratio;* estque *elevatio mentis ad Deum.* — Oratio sic describitur a S. Augustino: *Oratio est pius mentis affectus in Deum directus.* Et a S. Ioanne Damasceno sic: *Oratio est ascensus intellectus in Deum.* Item: *Oratio est expressio desiderii directi in Deum propter bonum adipiscendum, vel malum removendum,*

formata per verbum interius et exterius. — Et magistraliter sic: *Oratio est ostensio voluntatis nostrae, ei a quo impetrare speramus, id quod desideramus.* — S. Gregorius Magnus ait: Veraciter orare est, in compunctione amoris gemitus, et non composita verba resonare. Unde merito ait S. Augustinus: « Quando enim legis, tibi loquitur Deus: quando oras, cum Deo loqueris ». Et S. Damascenus: « Oratio est eorum a Deo postulatio, quae postulare convenit ». — Cui concordat B. Dion. Carthus. dicens: « Oratio est explicatio desiderii ac interpres et nuntia voluntatis; quia illud licet orare, quod licet desiderare ».

572. — **Divisio.** — I. Oratio est vel *vocalis* vel *mentalis,* prout fit mente et lingua simul, vel mente tantum. Dicimus *mente et lingua simul,* quia non orat qui labiis tantum, et non corde et mente orat. Unde, omnis oratio vocalis esse debet aliquo modo simul et mentalis: secus de oratione mentali.

573. — II. **Oratio vocalis** est *publica,* si a communitate vel nomine totius populi ab Ecclesiae ministris pro ipsa communitate peragatur (dici potest *late publica,* quae in eodem loco a pluribus communiter et simul fit): *privata* si a persona privata privato nomine fiat. Horae canonicae sunt inter praecipuas ex orationibus publicis: inter privatas orationes vocales, principaliter assignantur Oratio Dominica, Salutatio Angelica et orationes Iaculatoriae.

574. — III. **Oratio mentalis** vocatur *simplex cogitatio,* si quis momentaneo tantum pie consideret, estque quasi interna iaculatoria; *meditatio,* si sedulo et affectuose materias ponderandas rimetur; *contemplatio,* si sit inspectio rei sine discursu, seu elevatio mentis in Deum suspensae, aeternae dulcedinis gaudia in ipso degustantis. — Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.,* q. 2, disp. 6, a. 1, n. 1, de *me-*

ditatione scribit: « Meditatio est mentis discursus, quo intellectus circa materiam aliquam de una consideratione ad aliam transit. Discursus duplex, unus proprie dictus, alius improprie: discursus proprie dictus ex una consideratione aliam colligit; improprie dictus unam considerationem post aliam format. Meditatio habet similitudinem corporalium oculorum ».

575. — IV. Oratio generatim distinguitur etiam in varias species, scilicet: *Adorationem*, *Obsecrationem* (postulando bona), *Gratiarum actionem*, *Deprecationem remissionis* offensionum (postulando veniam pro peccatis), *Interpellationem* (qua querimur de iis quae laedunt, et rogamus pro persecutoribus nostris), Invocationem seu petitionem *quae frequentius intelligitur sub nomine Orationis, et ad quam, ut docet S. Thomas, caeterae species ut plurimum revocantur.*

576. — V. Actus orationis *generatim* sic distribui solent: 1° Magna de Deo *aestimatio;* 2° Deum ob suas perfectiones *laudare;* 3° Per cantica spiritualia bonitatem et gloriam eius *celebrare;* 4° Deum *adorare;* 5° *Gratias* illi agere pro universis beneficiis; 6° *Creaturas invitare* ad Deum laudandum; 7° *Deum in sanctis suis laudare;* 8° *Gratias et beneficia ab eo petere*, constanter et fiducialiter; 9° *Meditari* affectuose et cum melioris vitae proposito divinas perfectiones, vitam Christi et Sanctorum; 10° *Contemplatio* divinarum perfectionum et mysteriorum.

577. — VI. Variae distinctiones. — 1° Quadruplex est oratio: vocis sine devotione; devotionis sine voce; vocis cum devotione: devotionis cum voce (Hug. a S. Vict.). — 2° Tria sunt genera adorantium: alii solis labiis, alii solo corde, alii labiis et corde: primi, dolosi; alii, devoti; alii, veraces (S. Bonav.). — 3° Oratio tripliciter sumitur: primo

proprie, pro ascensu in Deum, ad ipsum degustandum, vel ad aliquid obtinendum; secundo communiter, secundum omnem actum contemplativae; tertio communissime, pro omni actu bono, et in hoc tertio sensu dicitur: non cessat orare qui non cessat benefacere (id.). — 4° Tres sunt orationis gradus: primus, cum labore et difficultate orare; secundus, inter ipsas ordinarias occupationes et proprii officii obligationes mentem ad Deum elevare; tertius, in huiusmodi elevatione, se passive magis quam active habere. Primi in oratione conantur, secundi agiliores fiunt, tertii fruuntur et per viam contemplationis maxime currunt.

578. — **Errores**. — I. Errarunt etiam contra orationem: Fatalistae, Wicleffitae, Lutherani, et alii qui negant hominibus veram libertatem electionis, quamvis in praxi multi illorum non raro aliter agunt quam eorum delira principia docent. — II. Errarunt negantes efficacitatem orationis aut curam quam de nobis et petitionibus nostris habet Deus, ut Epicurei. — III. Errarunt Euchitae seu Massaliani contendentes nunquam omnino esse ab orationibus desistendum. — IV. Errarunt Quietistae asserentes nihil esse petendum, sed totum divinae voluntati relinquendum. Unde merito damnata fuit haec Molinos propositio: « Qui divinae voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriae voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostrae conformetur, et non quod nostra divinae ». — V. Erravit Quesnelius excludendo peccatores a praecepto orationis; etc. etc.

579. — **Varia**. — I. *Orationis finis est protestatio nostrae erga Deum subiectionis, et unio cum Deo.* — Quae hucusque diximus, tendunt ad perfectionem

obtinendam, ad perfectionis impedimenta removenda, ut obtineatur finis perfectionis, qui est unio cum Deo maior quotidie et intimior. Et quia oratio omnium aliorum mediorum ad perfectionem inducentium fit adiumentum et quasi generalis procuratrix, hinc est quod ipsa oratio habet pro fine et obiecto, charitatis perfectionem et maiorem cum Deo unionem. Ora ergo ut a peccato exeas, ut sacramenta digne recipias, ut sensus internos et externos purges, ora ut bene et fideliter ores.

580. — II. Orat pro nobis Christus (ut homo), sed non invocatur ut caeteri sancti dicendo : Christe, ora pro nobis, ob errorem Arii vitandum. — Oratio est sacrum convivium animae, cuius refectorium est meditatio. — Oratio gemebunda includit contritionem et addit postulationem (S. Bonav.).

581. — III. *Oranti incessanter, Deus incessanter concedit gratias* (id.). Unde valde commendatur usus orationum iaculatoriarum, quibus facillime etiam extra tempus ordinarium orationis, nostras multiplicamus preces, et multiplices obtinemus favores. — Ergo totis viribus incumbat servus Dei orationis exercitio meliori quo possit modo, fiatque in eo *habitus orandi.*

582. — IV. Orationis incensum ponendum in thuribulo Angelorum custodum. — Orantes inveniunt gratiam, iustitiam, et gloriam, et bona temporalia (S. Bonav.). — Oratio duabus alis volat, scilicet, ieiunio et eleemosyna. Orans pro aliis, sibi meretur. — Oratio est medium perveniendi ad metam perfectionis (id.).

583. — V. Oratio est tributum quod homo Deo solvit. — Orantibus Deus se varie offert, aliquando Pater, aliquando Iudex, etc. — Oratio qua salus

animae solum petitur, est vere clamor ad Deum. — Oratio et misericordia debent esse sociae (id.).

Art. II. — De Oratione sumpta pro petitione.

584. — **Praenotandum:** « Oratio est pudicitiae praesidium, castitatis tutamen, irae moderatio, superbiae sedatio, arrogantiae repressio, iniuriarum expugnatio, invidiae profligatio, iniustitiae sublatio, impietatis correctio, robur corporum, abundantia domus, recta iuris ac legum constitutio, regni vis, civitatis protectio, belli trophaeum, pacis securitas, dissidentium conciliatio, coniunctorum conversatio, virginitatis sigillum, matrimonii fides, viatorum scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus, reorum patrona, nexorum relaxatio, vinctorum solutio, fatigatorum requies, moerentium consolatio, gaudentium delectatio, lugentium solatium, morientium funus, bonorum progressus, malorum subversio, peccatorum emendatio, praesentium fructus, futurorum apprehensio » (S. Greg. Nyss.). Quae omnia orationis beneficia magis in nobis accrescere debent orationis aestimationem.

585. — **Necessitas orationis.** — I. *Oratio necessaria est vera oratio et petitio,* ac proinde reiiciendum est pessimum et damnatum Wicleffi principium orationis destructivum, scilicet quod « orare nihil aliud est quam bene operari ». Et quando aliqui AA. loquuntur de merito orationis bonis operibus tributo, non tamen dispensare intelligunt ab ipso orationis exercitio, sed in veritate et charitate consolari eos qui iuxta Dei beneplacitum, sive secundum propriae obligationis conditionem, impediuntur a diuturniori oratione in-

stituenda. — Notat insuper Cardinalis Laurentius Brancatus, Opusc. 2, *de oratione*, c. 3. « Dico 1. Oratio mentalis sumpta pro meditatione et contemplatione non est simpliciter et absolute necessaria ad salutem consequendam... Dico 2. Oratio mentalis sub consilio tantum dici potest necessaria, si non explicite, saltem implicite, ut ad perfectionem ordinata ».

586. — II. *Oratio adultis est necessaria necessitate praecepti, et probabilius necessitate medii.* Prob. 1° « Oportet semper orare, et numquam deficere : vigilate et orate, ut non intretis in tentationem » (*Luc.* 18; *Matth.* 24). « Sine intermissione orate : volo viros orare in omni loco... similiter et mulieres » (1 *Thessal.* 5; 1 *Tim.* 2). Ne autem incidas in errorem Euchitarum (qui, ut notatum est, asserebant quod nunquam ab oratione est cessandum, indeque prohibebant alia bona opera facere), memento quod iuxta doctrinam S. Ioan. Climaci, etc., semper et iugiter orare est, Deum habere ut obiectum sive finem et regulam omnium exercitiorum, cogitationum, affectionum et actionum ; vel ut ait Gury : « Verba *oportet semper orare*, ex communi Doctorum interpretatione significant, frequenter orandum esse tempore opportuno, et nunquam cessandum ex taedio, torpore, animi deiectione ; vel etiam actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas ».

587. — Prob. 2° Oratio est medium ordinarium a Deo ordinatum ad gratias necessarias obtinendas, et « Deus, ait Scavini, gratias suas, si paucas excipias, v. gr. initium fidei, tantum concedit orantibus ». Unde Augustinus : « Constat Deum alia non orantibus sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus praeparare, sicut usque ad finem perseverantiam ». Et alibi idem S. Aug. ait : « Nullum credimus ad salutem, nisi Deo adiuvante, operari ; nullum, nisi orantem,

auxilium promereri ». Unde merito concludit S. Ligorius. « Omnes sancti (adulti) salvi facti sunt et sancti facti sunt, orando: omnes damnati damnati sunt, quia non orarunt. Si orassent perseveranter, certo salvi facti fuissent ».

588. — Prob. 3° « Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationum praesidio cum virtute degere, cumque hac vitae huius cursum peragere. Etenim qui fiat, ut virtutem quis exerceat nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur homini » (S. Chrysost.). « Quod si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aqua, extraxeris; ut enim piscis vita est ex aqua, ita tibi deprecatio » (id.). — *Quando obligat praeceptum orationis, sive per se, sive per accidens*, (*vid. Th. Mor.*).

589. — **Utilitas orationis** probatur ex dictis supra. — 1° « Multiplex est orationis utilitas, quibus etiam alias bonas actiones ipsa excellit. Prima, quia facilius et citius per eam impetramus, quae a Deo desideramus, ita ut quandoque citius brevi oratione aliquis obtineat, quod diuturnis ieiuniis vel aliis laboribus et piis operibus vix obtineret, licet et alia bona opera ad hoc aliquatenus suffragentur; unde in omni casu, in omni periculo, pro omni desiderio desiderato semper inveniemus Sanctos principaliter ad orationis subsidium refugisse, quasi ibi promptius quod petebant consecuturos » (S. Bonav.). — 2° « Oratio placat Deum, laetificat Angelos, recreat Sanctos, penetrat coelos, postulata reportat, terret daemones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem » (S. Laur. Iust.). — 3° « Cum videris non a te amotam deprecationem, securus esto, quia non est a te amota misericordia eius. Hinc Psalmista ait: Benedictus Deus, qui non amovit ora-

tionem meam, et misericordiam suam a me » (S. Augustinus). — 4° « Nihil potentius homine orante. Qui orat cum ieiunio, duplices alas habet, nam neque aberrat, neque torpet » (S. Chrysost.).

590. — **Qui orandi seu invocandi.** — I. Si loquamur de oratione alicui facta *quasi per ipsum* implenda, *soli Deo orationem porrigimus*. Ita D. Thomas. Solus enim Deus est Auctor et Largitor bonorum omnium, fonsque causaque omnium bonorum. — II. Si loquamur de oratione alicui facta tamquam per ipsum impetranda, Sanctos invocamus tamquam intercessores apud Deum ipsum. — III. Inter Sanctos, maxime invocanda Sanctorum omnium Regina, Beatissima Virgo Maria, Mater Dei et nostra perdulcissima. Unde merito ait S. Bern.: « Licet enim christiana pietas omnium sanctorum patrociniis iuvetur, specialiter tamen plenitudo gratiae humano generi ex tua intercessione, quasi puteus aquarum viventium, de Libano coelesti copiosius emicat ». Et Guibertus Abbas magnam super omnes sanctos intercessionis marianae virtutem impetrativam sic decantavit: *O Maria!*

Sola namque si coelorum surgis in concilio,
Precatura pium Patrem cum perdulci Filio:
Succlamabit mox Sanctorum tibi iuncta concio,
Et petita quaeque tuo suberunt arbitrio.

591. — Unde, cum gratias ad perfectionem necessarias incessanter postulare debeamus, quaeramus eas et per Mariam quaeramus; Mariam invocare non cessemus: Ipsa est enim « Regula perfectionis universae » (B. Dion. Carth.): « Exemplar omnium virtutum » (B. Alb. Magn.): « Magistra humilitatis omniumque virtutum » (S. Birgitta).

592. — Monitum. *Multi devoti negligentes inveniuntur in invocatione Sanctorum.* Meminerint optimum esse consilium invocare, post Deum et Matrem

Dei, speciali modo, Sanctos Patronos nobis datos in Baptismate, et pro religiosis, Patronum Religionis (nullatenus neglectis Patronis in Baptismate datis), angelos custodes, necnon patronos civitatis, provinciae, nationis et congregationis; specialissimo modo expedit invocare S. Iosephum (1), S. Michaëlem Archangelum, SS. Ioachim et Annam, S. Petrum et alios Apostolos. Ergo noli tantorum Sanctorum oblivisci.

593. — *Cave tamen ne multiplicatione particularium devotionum, impediaris ab adimpletione proprii muneris et ab ordinario orationis exercitio:* omnia ergo ordinate procedant; sanctos ad quos cor tuum magis inclinatur invoca, et saltem in maioribus necessitatibus et circumstantiis memento caeterorum, praesertim eorum qui quasi proximiores tibi dici possunt, ut Protectores speciales, etc., eorumque saltem generatim frequenter implora auxilium.

594. — **Quidnam petendum?** — I. *Oratio Dominica est verum petendorum compendium.* Considera ergo et frequenter recitare non omittas « orationem quam Dominus composuit, in qua sub septenario petitionum, comprehenditur universitas petendorum, et quantum ad ea quae spectant ad praemium patriae, et quantum ad ea quae spectant ad meritum viae. Quae spectant ad praemium patriae, sunt intelligentia veritatis, sive aperta visio veri, quae petitur ibi: Sanctificetur nomen tuum, id est, notitia tui nominis personis sanctis et mundis donetur. Reverentia maiestatis, sive secura tentio summi ardui, quae reges facit, et per quam habetur regnum, quae petitur ibi: Adveniat regnum tuum. Concordia vo-

(1) Multa de dignitate et mirabili intercessione Sanctissimi ac Purissimi Sponsi B. M. V. habentur in nostra *Summa Iosephina*, ex Patribus, Doctoribus et Summis Pontificibus collecta.

luntatis, sive perfecta fruitio summi boni, quae petitur ibi: Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Quae spectant ad meritum sive transitum viae, aut respiciunt collationem boni aut amotionem mali. Collatio boni petitur in pane quotidiano sive supersubstantiali, in quo petitur quidquid necessarium est ad conservationem vitae praesentis, tam secundum spiritum, quam secundum corpus. Amotio mali petitur in tribus sequentibus. Est autem malum triplex: Quoddam tenet rationem praeteriti, quoddam praesentis, et quoddam futuri. Sive quoddam est malum culpae sive transgressionis, quoddam est malum pugnae sive tentationis, quoddam est malum poenae sive tribulationis. Primum petitur amoveri in dimissione debitorum, secundum in victoria tentationum, tertium in liberatione ab oppressione adversorum » (S. Bonav.) (1).

595. — II. Debemus ergo imprimis petere, et quidem absolute quae animae saluti expediunt, ut bona spiritualia et auxilia ad salutem aeternam. — *Bona* vero *temporalia* postulanda sub conditione, seu « eo tenore, ut nobis concedantur secundum quod expediunt ad salutem », ut habet S. Thomas; quia iis male uti possumus. — Et quia ex sapientissima D. Thomae regula: *Hoc licet orare, quod licet desiderare*, sequitur quod possumus a Deo pro nobis *petere mala temporalia* quae habent rationem merae poenae (non vero peccata seu malum culpae), modo fiat discrete et ex recto fine, ut sunt paupertas, humiliationes, etc.

596. — **Pro quibus orandum.** — 1° *Orandum a*

(1) Cfr. *Card. Vives*, « *Expositio in Orationem Dominicam*, iuxta traditionem patristicam et theologicam cum appendice CXXX Exposit. total. et XLI partialium », 2 vol. binis columnis in-4, pag. 306 et 842.

nobis est, ut in nobis et in proximo regnet Iesus Christus, ac proinde pro nostra omniumque salute, pro fidei conservatione, dilatatione et defensione. — 2° *Non orandum est pro damnatis*, ut patet, *neque pro sanctis in coelo cum Christo gaudentibus*, quamvis orare possimus, ut adaugeatur eorum cultus inter homines, ad maiorem etiam ipsorum sanctorum accidentalem gloriam. — 3° Orandum pro animabus iustorum adhuc languentium in purgatorio. — 4° Orandum pro inimicis nostris, nec ullum hominem viatorem quamvis infidelem debemus a nostris orationibus excludere.

597. — NOTA quod excommunicati non privantur orationibus a privatis pro ipsis factis, imo probabiliter neque a suffragiis communibus, sive quae fiunt ab Ecclesiae ministris prout tales, scilicet nomine Ecclesiae, modo non sint vitandi (Vide Theol. Mor. ubi de censuris). *Expedit ergo ut in orationibus quas pro proximo facimus, humiliter oremus pro omnibus pro quibus Deus scit et vult nos orare debere.*

598. — **Quomodo orandum?** — Orare debemus: 1° cum humilitate; 2° cum attentione; 3° cum fiducia; 4° in nomine Iesu; 5° cum vero desiderio impetrandi; 6° cum perseverantia. HINC.

599. — I. **Orandum cum humilitate.** — 1° Etenim Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam *(Iac.* 4, 6). — 2° « Cor contritum et humiliatum, Deus non despicies » (*Ps.* 50). — 3° « Oratio humiliantis se nubes penetrabit, et non discedet, donec Altissimus aspiciat » *(Eccli.* 35, 21).

600. — II. **Orandum cum attentione.** — Aliter, « quomodo tu audiri postulas a Deo, cum tu teipsum non audias? » (*S. Cyprian.*). Non tamen diffidendum aut desistendum est ob multiplices distractiones, sed resistendum absque perturbatione animi:

displiceant tibi, habeto bonam voluntatem, et noli timere.

601. — III. **Orandum cum fiducia.** — 1° « Nullus speravit in Domino, et confusus est » (*Eccli.* 2). Ergo per motiva fidei curandum ut fiducia adaugeatur: « Omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis », ait Christus (*Matth.* 11). Unde communiter docent AA. « mensuram credendi seu fiduciae esse quasi mensuram impetrandi », quoad illam eamdemque rem quae petitur. Hinc, caeteris paribus, magis impetrat qui melius credit, seu confidit.

602. — IV. **Orandum in nomine Iesu.** — Ad hoc tamen sufficit, ait Scavini, si petantur ea quae ad aeternam salutem conferunt, propter quam Christus Iesus factus est mediator Dei et hominum.

603. — V. **Orandum cum vero desiderio impetrandi.** — Hinc 1° Considerandum est quam amorose Deus nos invitat ad orandum: non nos hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet; 2° orandum cum fide et desiderio Chananaeae, cui audire datum est: « O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis » (*Matth.* 15), et illius caeci, qui magis ac magis clamando: « Iesu, fili David, miserere mei », exauditus est.

604. — VI. **Orandum cum perseverantia.** — 1° « Ne deficias in oratione: Deus, quod concessurus est, etsi differt, non aufert » (S. Aug.). — 2° « Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicitur: *Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Esto igitur sedulus in oratione: esto in precibus importunus: cave ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut regnum coelorum accipias: esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas coelis.

Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur, proximus non laeditur, sed iuvatur! » (S. Greg. Magn.). — 3° Ergo *Deus non parvipendit orationem nostram, « et unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod novit utilius »* (S. Bern.). — Memento quod « orandum est semper, etiam cum acceperimus postulata » (S. Hier.), nam semper novae gratiae desiderandae et postulandae.

605. — **Status sive dispositiones orantium.** — Orantes sunt: 1° *vel in statu gratiae;* 2° *vel in statu peccati mortalis, sed cum serio conversionis desiderio;* 3° *vel in eodem statu, sed cum infirmo proposito surgendi, ob malos habitus;* 4° *vel in statu peccati coniuncto cum voluntate perseverandi in peccatis. Primi,* orando novas semper impetrant gratias, quibus in bono et charitate roborantur et perficiuntur... *Secundi,* facilius surgent, si orantes, ad Deum serio suspirent... *Tertii,* orantes obfirmabuntur in conversionis proposito, et vires acquirent, si orent perseveranter. Caveant tamen ne voces divinae misericordiae despiciant. *Quarti,* miserrimi dicendi, eorumque oratio quodam modo infructuosa manet, durante pessima perseverandi in peccato voluntate, imo peccant, si postulant res malas: non tamen debent ab oratione abstinere, sed e contra orent ut concipiant sanctum propositum, orent ut illuminentur, orent ut voluntas mutetur, orent ut maxime timeant non orare...

606. — **Notandum** circa textum Ioan. 9, 31: « Peccatores Deus non audit ». — 1° Hoc non dictum fuit a Christo, sed a caeco nato; et falsa est generaliter accepta propositio, excepto casu quo peccatores Deum invocaverint *qua peccatores*, id est, postulassent aliquid quod ipsos adiuvaret ad peccandum, ut supra notatum est, et expresse docet S. Li-

gorius, etc. — 2° « Orationem peccatoris ex bono desiderio procedentem exaudit Deus, non quasi ex iustitia quia hoc meretur peccator, sed ex pura misericordia; observatis tamen quatuor conditionibus, quae communiter requiruntur ad orationem, scilicet ut pro se petat, necessaria ad salutem, pie et perseveranter; et haec quatuor noscuntur in uno versu Prophetae cum ait: *Apud me oratio Deo vitae meae; dicam Deo: susceptor meus es:* per hoc enim quod dicit *Deo*, involvitur pie; per *vitae*, ad salutem; per *meae*, pro se; per hoc quod dicit *dicam*, perseverantia notatur, propter propositum de futuro » (S. Bern.) — 3° « Etiam ea quae non meremur, orando impetramus » (S. Th.). Etenim « meritum innititur iustitiae, sed impetratio innititur gratiae » (id.). Aliunde « ipsa oratio familiares nos Deo facit » (id.) et « quod non perficit amicitia, perfectum est ab oratione » (S. Chrysost.).

607. — **Efficacia orationis.** — I. *Oratio habet vim infallibilem impetrationis*, si serventur sequentia: 1° petantur necessaria vel utilia ad salutem; 2° postuletur pie, ad quod reducitur firma fides, spes et fiducia impetrandi; 3° servetur ordo Evangelicus, postulando primo bona animae, secundo bona corporis ad salutem conducentia; 4° postuletur perseveranter; 5° postuletur pro se. Etenim constat ex claris Scripturae verbis: *Petite et dabitur vobis*, etc. (1).

(1) Rem confirmat Angelicus, 2, 2, q. 83, a. 17, dicens: « Ad orationem tria requiruntur; quorum primum est ut orans accedat ad Deum, quem orat; quod significatur nomine *orationis*, quia oratio est « ascensus intellectus ad. Deum ». Secundo requiritur petitio, quae significatur nomine *petitionis:* sive petitio proponatur determinate, quod quidam nominant proprie *postulationem;* sive indeterminate, ut cum quis petit iu-

608. — II. Unde merito scripsit Angelicus, *Expos. orat. dominicae.* « Tria bona facit oratio. Primo enim est efficax et utile remedium contra mala. Liberat enim a peccatis commissis (*Ps.* 31, 5). *Tu remisisti impietatem peccati mei; pro hac orabit ad te omnis sanctus..* Sic publicanus oravit, et iustificatus descendit in domum suam. (*Luc.* 18, 4). Liberat etiam a timore peccatorum supervenientium, a tribulationibus et tristitiis (*Iac.* 5, 13). *Tristatur quis in vobis, oret...* Liberat etiam a persecutionibus et inimicis. (*Ps.* 108, 4). *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam.* — Secundo, est efficax et utilis ad omnia desideria obtinenda... Et si non exaudimur, hoc est quia non instanter petimus... Vel quia non petimus id quod magis expedit ad salutem. Aug. Bonus Dominus, qui saepe non tribuit quod volumus, ut tribuat quod mallemus... — Tertio est utilis, quia facit nos familiares Deo ».

609. — III. *Oratio pro aliis facta non semper habet effectum certum,* ob impedimentum ex parte illorum pro quibus petitur. Dicendum tamen cum S. Basilio, etc. quod oratio valet etiam pro peccatoribus, modo obstinati non sint, iuxta illud Ioannis 1, 5: « Qui scit

vari a Deo, quod nominant *supplicationem;* sive solum factum narretur... quod vocant *insinuationem.* Tertio requiritur ratio impetrandi quod petitur... Ex parte Dei est eius sanctitas... et ad hoc pertinet *obsecratio*... Ex parte petentis est *gratiarum actio;* quia de acceptis beneficiis gratias agentes, meremur accipere potiora... In pluribus etiam Ecclesiae collectis haec quatuor possunt attendi; sicut in collecta Trinitatis, quod dicitur: *Omnipotens sempiterne Deus;* pertinet ad orationis ascensum in Deum; quod dicitur: *Qui dedisti famulis tuis,* etc., pertinet ad gratiarum actionem; quod dicitur: *Praesta, quaesumus,* etc. pertinet ad postulationem; quod in fine ponitur; *Per Dominum nostrum,* etc., pertinet ad obsecrationem ».

fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem ». Nunquam tamen de peccatore desperandum, sed quo miserabilior, eo ferventius pro illo orandum est. Dicamus ergo corde, dicamus ore, orationibus dicamus omnibus peccatoribus, quantumvis pessimis: « Peccasti? poenitere: iterum peccasti? iterum poenitere: millies peccasti? millies poenitere...: dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiamsi dici potes animam efflans, etiamsi ex hoc mundo exeas, non impeditur temporis angustia misericordia Dei » (S. Chrysost.): ac proinde pro nobis, et pro omnibus viatoribus quantumvis peccatoribus orare non cessemus.

610. — IV. Oratio recte facta est meritoria pro orante iusto, et quidem *de condigno* (si peccator, *de congruo*). Ex Trident. est etiam satisfactoria. — Cfr. Th. Dogm., ubi de merito, etc.

Art. III. — **De Oratione vocali speciatim.**

611. — **Scopus orationis vocalis**, ut constat ex dictis, est *laudare* Deum et sanctos eius; *gratias agere; gratias postulare; varios virtutum actus exercere,* aut illos exercendos proponere (1). Hinc me-

(1) **Oratio vocalis utilissima est et omnino laudabilis.** Nam, ut docet Angelicus, 2. 2. q. 83, a. 12.: « Adiungitur... vox... orationi, triplici ratione: primo quidem ad excitandam interiorem devotionem, qua mens orantis elevetur in Deum, quia per exteriora signa sive vocum, sive etiam aliquorum factorum movetur mens hominis secundum apprehensionem, et per consequens secundum affectionem... Tantum est vocibus et huiusmodi signis utendum, quantum proficit ad excitandum interius mentem. Si vero mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est a talibus cessandum, quod praecipue contingit in his quorum mens sine huiusmodi signis est sufficienter ad devotionem parata.... Secundo adiungitur vocalis

rito ait S. Ambrosius : « Oratio inchoari debet a Dei laude, deinde habere debet supplicationem, tertio postulationem, quarto gratiarum actionem ». — Haec autem omnia qui pie et devote vult orare, facillime adimplet, ac proinde non inquietandus. Devote orando, Deo reverentiam exhibes, illum honoras, tibique faves.

612. — **Oratio vocalis sit moderata,** *ac regulata iuxta proprii Directoris iudicium, habita etiam ratione obligationis proprii officii et indolis orantis.* Hinc. — 1° Absit ab oratione multa locutio, sed non deest multa precatio, si fervens perseverat intentio. — « Multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis : multum autem precari, est ad Deum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare : nam plerumque hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu quam afflatu » (S. Aug.). — 2° « Multum enim in oratione loqui, mentem saepe imaginibus illusit, intentionem dissolvit » (S. Ioan. Clim.). « Melius est autem cum silentio, corde, sine sono, quam solis verbis sine intuitu mentis orare » (S. Isidor.). Ergo, « si non potes semper ore orare, ora spiritu et mente, ora desiderio et pia intentione » (Kempis).

613. — Nota : 1° Non approbandi, qui orationes vocales ita multiplicant, ut in illis recitandis agitentur, et quasi currant veluti timentes ne aliter *ad terminum imprudenti modo praemensuratum* non perveniant. Inter omnes orationes vocales praeter preces publicas in Ecclesia peractas, noli unquam negligere quotidianam recitationem SS. Rosarii (saltem

oratio, quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet... Tertio adiungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus, ex vehementi affectione.

5 decad.), et aliarum vocalium precum, quae ita ordinate, moderate et serio fiant, ut pietatem foveant, animam consolentur, etc. — 2° Fixam habeto vocalium precum normam, et quamvis minima sint obsequia, saluberrima tamen tibi erunt, si constanter fiant. Praeter assignatas preces, corde et ore, aut saltem corde, multiplica per diem iaculatorias, et valde proficies. — 3° Ergo fugiendus non solum excessus, sed etiam defectus in orando vocaliter.

614. — **Modus optimus orandi vocaliter.** — Orandum vocaliter: 1° *reverenter*, quoad situm corporis; 2° *distincte et absque praecipitatione*, quoad vocem; 3° *attente*, quoad memoriam; 4° *intelligenter*, quoad intellectum; 5° *ardenter et devote*, quoad voluntatem. Hinc 1° pronuntientur nomina Iesu et Mariae, cum interna reverentia speciali. — 2° Deo gratias, miserere nobis et similia dicantur ferventius. — 3° Habeatur voluntas generalis et seria perfecte orandi, sed attentio fiat quodammodo specialissima ad quasdam orationis partes, ut, v. gr., ad nomina Iesu et Mariae. — 4° Debemus non solum servare convenientem externum modum pro publicis orationibus; sed expedit principales preces nostras peragere in silentio ecclesiae, oratorii vel cubiculi. Attamen *nullus locus debet nos impedire ab habitu orandi, praesertim per brevissimas oratiunculas* vel etiam internas iaculatorias. Merito ergo in hoc sensu ait S. Chrysostomus: « Non est quaerendus locus ut ores, sed loci principium: Hieremias erat in coeno, et Deum exoravit; et Iob erat in stercore, et Deum reddidit propitium: Ionas in ventre ceti, et facilem habuit. Licet in balneo sis, ora; ubicumque sis, ora ». Et S. Bernardus: addit: « Ubicumque fueris, intra temetipsum et ora; si longe fueris ab oratorio, noli

quaerere locum, quoniam tu ipse locus es; si fueris in lecto, aut in alio loco ora, et ibi est templum ».

615. — **Dignitas orationis vocalis.** — I. « Opus angelorum est Deum semper laudare, opus religiosorum est intenta mente psallere » (Kempis). — II. « Quicumque fideliter et intenta mente psalmos decantat, quodammodo Angelis Dei sociatur » (S. Bernardus). — III. « Magna quippe dignitas orationis; mox ut ab ore processit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, et offerunt Deo » (S. Chrysost.).

616. — **Oratio publica valde laudanda,** sive talis sit *stricte* sive *late*. Hinc 1° « Ideo congregamur in solemnitatibus, vel processionibus, ut ab invicem inflammemur et oratio ascendat ad Deum » (S. Vinc. Ferrer.). — 2° « Haec vis Deo grata est. Coimus in coetum et congregationem, ut ad Deum quasi facta manu precationibus ambiamus » (Tertull.). — 3° « Congregate illi sanctos eius, ut illi simul pro nobis intercedant: quod enim Dominus uni sancto (i. e. viro pio) forsitan negaret, omnibus congregatis et orantibus non negaret » (Hugo Card.).

Art. IV. — **De Oratione mentali speciatim.**

617. — **Notanda.** — Iam actum est passim de *Iaculatoriis* orationibus quae quidem interius exteriusque fieri possunt. Sed nunquam satis adhortari possumus omnes devotos ad illas adhibendas quam frequentissime, praesertim internas quae faciliores in variis circumstantiis evadunt. Dicito ergo frequenter saltem corde: Iesu! Iesu! Maria! Diligam te Iesu! diligam te Maria! Peccavi, parce Domine! Deus in adiutorium meum intende! Fiat voluntas tua! Coe-

lum, coelum! O Iesu, quando satiabor in patria! Deo gratias! Et alia similia. — *Agendum hic de meditatione.*

618. — **Scopus meditationis** est 1° *Deum colere* et Sanctos honorare; 2° *intellectus illustrationem quaerere*, ut Deo melius in propria nostra conditione deservire valeamus; 3° *voluntatem excitare* ad bonum faciendum, malum fugiendum; 4° *fervor* charitatis, ut per meditationem exardescat ignis. Unde meditatio merito dicta est: « vehemens cordis applicatio ad aliquid investigandum et inveniendum fructuose » (Ioan. Gerson.): cui concordat B. Dion. Carth. dicens: « Meditari de Deo, est interius seu intellectualiter loqui cum eo, vel de eo ».

619. — Notat idem Auctor: « *Differunt cogitatio, meditatio et contemplatio.* Cogitatio vagatur et serpit sine labore et sine fructu. Meditatio nititur et incedit cum labore et cum fructu. Contemplatio autem circumvolat et circumfertur sine labore et cum fructu ». Attamen contemplativi non sunt otiosi in viis Domini; cogitantes absque ulla reflexione parum proficiunt; meditantes dici possunt etiam qui in momento aliquam affectuosam efficiunt precatiunculam. Meditationem tamen hic principaliter sumimus pro diuturniori exercitio mentalis orationis (1).

(1) S. Th. de *contemplatione lato sensu* in 4, dist. 15, q. 4, a. 1, quaest. 2, ad 1, ait: « Contemplatio... communiter sumitur pro omni actu quo quis a negotiis exterioribus sequestratus soli Deo vacat: quod quidem contingit dupliciter... per lectionem... per orationem. Meditatio autem ad utrumque se habet quasi medium inter ea: quia ex hoc quod (Deus) nobis loquitur in Scripturis, ei per meditationem intellectu et affectu praesentamur, et sic praesentati ei, vel praesentem eum habentes, ei loqui possumus per orationem ». — Eandem rem illustrat 2. 2. q. 180, a. 3 ad 4, dicens: « Homo ad cognitionem veritatis pertingit dupli-

620. — **Conditiones** ad fructuosam meditationem sunt: 1° Praeparatio remota, per fugam evagationis seu dissipationis, et studium lectionis spiritualis quotidianae; 2° Praesentia Dei: « omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum » (*Iob.* 4, 6); 3° Praeparatio proxima et recollectio animi; 4° Lectio (vel iuxta multos relectio) materiae meditandae; 5° Ponderatio discursus et affectus cum proposito; 6° Gratiarum actio; 7° Oblatio; 8° Petitio. — Alii alias assignant conditiones, quae omnes reduci possunt ad praeparationem, considerationem, propositum et petitionem.

621. — **Materia meditanda.** — I. *Pro via purgativa*, materia principalis est triplex: *novissima, gravitas peccati, et miseria, humanae vitae,* ut anima mundo moriatur et Deo nascatur. — II. *Pro via illuminativa,* divina beneficia, praesertim *mysteria Dominicae Passionis,* ut anima crescat in charitate et virtutibus ornetur. — III. *Pro via unitiva,* divina attributa quae Dei infinitam bonitatem manifestant, et nos ad maiorem charitatem quaerendam inducunt.

622. — *Attamen recte notant mystici* quod 1° meditationes unius viae inservire possunt etiam pro alia via. Sic v. gr. per meditationes viae purgativae potest anima concipere affectus magni amoris erga Deum. — 2° Bonum est ut anima redeat aliquoties ad exercitia aliarum viarum per quas iam ambulavit. — 3° Rectissime in variis communitatibus quotidie fere una ex duabus consuetis meditationibus versatur circa Christi Passionem, et in tali meditatione omnes

citer: uno modo per ea quae ab alio accipit... Alio modo necessarium est quod adhibeat proprium studium: et sic requiritur meditatio ».

(in quacumque sint ex tribus viis perfectionis) exercentur. Horror peccati, virtutis efficax desiderium, charitatisque fervor maxime et facile habentur per saluberrimam considerationem Passionis et Mortis D. N. I. C.

623. — **Brevis methodus meditandi.** — 1° Actum contritionis et adorationis elicito; 2° divinum auxilium invoca; 3° considera materiam praelectam vel antea praeparatam; 4° colloquia institue interna, seu affectus utiles excita; 5° postula beneficia et favores pro te, pro tuis, pro animabus purgatorii, etc.; praesertim postula gratiam perseverantiae, seu bonae mortis.

624. - Vel, iuxta alios, post praeparationem breviter faciendam, considera et interius dicito. Quid? id est, recogita materiam, v. gr. quis patitur? Christus, Deus meus, Rex meus, innocentissimus Iesus.... — Cui? propter me patitur, propter miserrimum et ingratum peccatorem... — Cur? ut salvus fiam, ut cum ipso in coelo regnare possim.... — *Ergo, quid facere debeo?* peccata deflere, poenitentiam agere, occasionem N. vel defectum N. vitare, ut « tantus labor non sit cassus », etc., etc.... — *Ergo, adiuva me Deus*, per merita B. M. V. et Sanctorum, praesertim N. N. — Similiter circa innumera obiecta tali modo discurrere poteris, v. gr. *Quid* est coelum? *Cui* datur et dabitur? *Cur* dabitur? (ob paucos labores...). *Ergo quid* faciam? (fugiam peccata, indefesse laborabo...). *Ergo, adiuva me,* Deus meus; scis enim quam miser fui, quam debilis sum, etc., etc.

625. — Nota ubi cor tuum pabulum invenit aliquid considerando, illud degusta (nec ad alia progrediaris), ut uberrimos affectus et fructus ex ipso deducere cures; et Deum invoca, nec a meditatione discedas, antequam petitiones tuas per brevius vel longius tem-

poris spatium iuxta cordis et fervoris statum compleveris. Cave tamen ne ob pabuli absentiam, tempus exercitio meditationis assignatum minuas: multum enim iam proficis ex eo quod perseveras in illo.

626. — **Monita circa meditationem.** — I. Inter tot normas meditandi ab asceticis et mysticis exhibitas, expedit ut devotus, de sui Confessarii seu Directoris consilio, eligat illam quae ipsi faciliorem reddit et utiliorem meditationis praxim; et *generatim loquendo,* religiosi utilius adhibent normam a Patribus proprii Ordinis communius traditam et propositam.

627. — II. Caveant tamen Confessarii et Directores, ne omnibus eorum moderatione utentibus, imponant excessive uniformem et quasi immutabiliter mensuratam normam. Non debent ergo omnes eadem forma et figura quasi plasmare, sed serio considerare quid unicuique magis convenit; nec eodem modo *semper meditari* poterunt homines rustici et imperiti, ac sapientes et in rebus spiritualibus instructi, etc. *Attamen,* his praenotatis, valde utile est aliquam fixam methodum discipulis tradere, ut etiam tali labore et difficultate quasi constricti, facilius vitare possint divagationem et inconstantiam; modo discipuli non alligentur immutabiliter eidem normae ipsis exhibitae, si quando constet ipsos habitualiter magis proficere alia adhibita norma.

628. — III. Omnis qui in via perfectionis vult ambulare et proficere, debet totis viribus incumbere *quotidie, tempore opportuno* et *determinato,* meditationis exercitio; et Directores debent ad hoc multum invigilare.

629. — IV. Saepe iuvat ad fervorem meditationis hinc inde adiungere orationem vocalem, saltem per vocales iaculatorias.

630. — **Varia.** — I. *Ad memoriam revocandae sunt radices distractionum,* quae sunt: 1° imaginatio; 2° sensus externi; 3° passiones; 4° ingenium pravum, inquietum, curiosum; 5° magister imperitus (in hoc iudicando non sit facilis discipulus, nec sibimetipsi faciliter credat); 6° probatio Dei; 7° tentatio daemonis.

631. — II. Lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat (S. Aug.).

632. — III. Nihil tam efficax, ad curanda conscientiae vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio (S. Bern.). — Summa philosophia est assidua mortis meditatio (id.).

633. — IV. Omnis meditationis verae finis et fructus est Deo adhaerere, et unum cum Deo spiritum fieri (B. Dion. Carth.).

634. — V. O felix meditatio! intus ardens, foris lucens, sursum ducens. Amando, interius inardescit; orando, foris elucescit; suspirando, quae sursum sunt concupiscit (S. Bonav.).

635. — VI. Loquere Deo multa et hominibus pauca: legis vero meditatione, utraque recte dispones (S. Nilus).

636. — VII. « Absque meditationis exercitio, nullus, secluso miraculo Dei speciali, ad perfectionem contemplationis dirigitur aut pervenit » (Gerson.); id est, omnis qui vult pervenire ad contemplationem, effici debet pro viribus multum meditativus, non neglectis proprii officii obligationibus.

637. — VIII. E contra, « meditatio si debite fiat, transit in contemplationem, sicut cogitatio in meditationem » (id.); id est, qui bene meditatur, pervenire poterit ad contemplationem. Quae omnia melius explicantur ubi de contemplationis divisione.

638. — IX. Notat tamen S. Theresia, quod aliquae animae debent semper detineri in meditatione, quia

non habent capacitatem ad aliud; et addit ad ipsarum solatium, quod fieri potest ut tales maiores et perfectiores sint coram Deo, quam aliae altam possidentes contemplationem.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — S. Birgittae dixit S. Ioannes Baptista: In quacumque necessitate fuerit homo, si Coeli Reginam Matrem Dei toto corde invocaverit, salvabitur.

MARIAM INVOCA. — Sancta Maria, succurre miseris; sentiant omnes tuum iuvamen. « Tu merito Mater charitatis es, quia omnes visitas charitate » (*ibid.*).

MARIAM LAETIFICA. — Ferventer orando; perfectionis negotia serio considerando, et disponendo in te et in discipulis tuis. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. IX. — DE MORTIFICATIONE.

639. — **Praenotandum.** — Noli extrinsecus, pecus quod mactes, inquirere; habes in te quid occidas. Macta elatum superbiae Taurum: macta gibbosum avaritiae Camelum: iugula olentem luxuriae Hircum: sacrifica saginatum gulae Vitulum: obtrunca mordacem invidiae Molossum: dilacera pugnacem iracundiae Arietem: concrema ignavum pigritiae Asellum: has pecudes occide, et rite litasti Deo (A Lapide, in c. 12 *ad. Rom.*).

640. — In tota fere viae purgativae disquisitione multa tradidimus circa mortificationem, quae ad hunc locum reduci possent. Sed non abs re erit ordinatam de mortificatione notionem habere, cum ipsa, ut patet, non solum incipientibus necessaria et utilissima sit, sed et omnibus viatoribus perfectionis studiosis, ut constat ex Sanctorum praxi et exemplo. Errarent ergo, qui mortificationem negligerent, aut quasi nihili facerent, quia iam vere proficiunt in viis Domini. Purgandi, seu incipientes mortificationi praesertim incumbunt, tamquam quid ipsis proprium et principale ad gratiam conservandam et charitatem roborandam contra antiquos animae hostes, quibus antea servierunt: sed illuminati et uniti, mortificatione utuntur ne debilitentur, ne periclitentur, ne fervorem amittant, etc.

641. — **Definitio.** — Mortificatio est *quodlibet opus poenale, quod libere facimus vel patimur, ut mortui vitae pravae, bene de nova vivamus.* VEL: « *privati amoris exstinctio ac divinae charitatis adeptio, sive*

suipsius abnegatio spontanea, fractio conservativa, violentia virtuosa, odium amorosum, ac salutaris perditio » (B. Dion. Carth.). — Vel, iuxta Alvarez: *spontanea, liberaque animae a vita carnali separatio, et virium tam externarum, quam internarum, ab illicitis operibus dissolutio.* — Vocatur etiam *Crux, Mors, Odium sui, Ieiunium, Violentiâ, Renuntiatio, Abnegatio, Sepultura vitiorum, Castigatio, Afflictio.*

642. — **Divisio.** — I. Mortificatio est *Interna seu spiritualis,* et *Externa seu corporalis.* Illa internos sensus et potentias internas, scilicet malos vitiorum habitus, memoriam, intellectum et voluntatem refraenat; diciturque vulgariter *abnegatio* interna: ista corpus et externos sensus ad servitutem redigit; et vulgo *poenitentia* exterior vocatur. — II. Est *Necessaria* vel *Libera.* Illa cohibet appetitum ab illicitis, estque omnibus absolute necessaria ad salutem: ista abstinet a voluptatibus et quibusdam operibus licitis, plus minusve, iuxta mortificati fervorem et voluntatem (quae debet, ut recte procedat, subiici voluntati Directoris). — III. Est *Activa* vel *Passiva.* Illa voluntarie *eligit* modum contrariandi amori proprio interius vel exterius: ista obvenientes occasiones mortificationis voluntarie *patitur,* sustinet et amplectitur. — IV. Tria sunt genera mortificationis. Primum, iniquitatis, per poenitentiam; secundum, carnis, per abstinentiam; tertium, voluntatis, per obedientiam (Hugo a S. Vict.).

643. — Notandum: *mortificatio non debet eadem esse pro omnibus, sed uniuscuiusque statui magna discretione accommodari,* iuxta illud quod de poenitentia habet S. Bonaventura: « Sicut talpa moritur in luce, et sub terra vivit; et sicut ignis, quem caetera animalia timent, salamandram nutrit; et sicut homo sub aqua moritur, ubi piscis delectatur; sic eadem

poenitentia non omnibus est iniungenda, sed diversa diversis ».

644. — **Gradus mortificationis seu poenitentiae.** — Aliqui distinguunt poenitentes seu mortificatos in *peregrinos, mortuos,* et *crucifixos. Primi,* necessariis ad vitam contenti, alia despiciunt et humana non curant, festinantes ad patriam pervenire. *Secundi,* solum quaerunt ut placeant Domino, et propriae et aliorum saluti incumbunt, tamquam mortui omnibus aliis rebus. *Tertii in cruce* tantum gloriantur. Omnes pro Deo laborant, omnes quae sursum sunt quaerunt, omnes bonum certant certamen; sed primi quasi pro se tantum laborant, secundi pro se et proximo ob amorem Dei, tertii toti specialissime Deo dicantur, et laetantes exclamant: Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus!

645. — **Substantia mortificationis** in eo praesertim consistit, ut inferior animae pars, seu appetitus sensitivus superiori animae parti, id est, rectae rationi subiiciatur. Patet ex definitionibus et aliis supra dictis. Unde diversi mortificationis medii sunt veluti instrumenta quibus vetus homo destruitur, et novus quasi plasmatur et solide roboratur.

646. — **Necessitas mortificationis.** — Hic non praecise agitur de *mortificatione absolute necessaria;* sed de mortificatione quam servi Dei debent libenter suscipere, ut proficiant in via Domini: unde certum est et communi Patrum et Doctorum sententia probatum, quod interna externaque mortificatio necessaria est omnibus qui volunt ad perfectionem pervenire. Non enim ad hoc sufficit peccata vitare, sed requiritur ut anima longe fiat a delectationibus vanis et per voluntariam poenitentiam magis magisque purgetur et in sancto proficiendi proposito roboretur.

Vita mollis et delicata non componitur cum crucis vexillo.

647. — Hinc 1° « Tolle superflua et salubria surgant, utilitati accedit quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi: putetur cupiditas, ut virtus roboretur » (S. Bern.). — 2° Neque obstat, quod vitia iam quasi dempta sint et multus sit in virtutibus profectus: « Credite mihi, ait idem Bernardus, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, sopita denuo excitantur. Parum ergo est semel putasse; saepe putandum est; imo, si fieri possit, semper, quia semper quod putari oportet, si non dissimulas, invenies ». — 3° « Nisi nostras hic quotidie resecemus et circumcidamus passiones, deteriores nos multo effici, quam fuimus dum in saeculo viveremus, perspicuum est » (Euseb. Emisen.). — 4° Ergo non recte agerent seniores religiosi externam mortificationem absque necessitate relinquentes: « Non emollias ordinis rigorem, ut tamquam privilegiatus velis edere lautius, bibere sapidius, cubare mollius, loqui licentiùs, vigilare parcius, orare tenuius » (Petr. Bless.) (1).

(1) **Hortatio ad sacerdotes.** Aspiciamus in auctorem fidei et consummatorem Iesum; charitas eius et exemplum urgent nos. Aestimati ergo sicut oves occisionis, mortificemur propter eum tota die; ac in flagella parati, in cinere, cilicio et ieiunio poenitentiam agamus: praesertim si ita suadeat vitae nostrae dux. Sed saltem sobrie, et iuste et pie vivamus; utamur parcius verbis, cibis, potibus, somno et iocis.

Propheta David multum extollitur quod aquam de cisterna Bethlehem sibi allatam in ardentissima siti nolens bibere, libaverit eam Domino. Similes occasiones nobis saepissime offert Deus; has nos, utpote Sacerdotes tepidi, et ignavi, elabi sinimus. Proh socordia! Nos soli sumus, qui cum hominibus non

648. — **Utilitas mortificationis** eruitur ex dictis, ex facilitate perfectionis animae per mortificationem tributa; ex consolationibus quibus Deus saepe recreat mortificatos, ex uberiori devotionis spiritu, ex efficacia salutari poenitentiae sive pro se, sive pro aliis peccatoribus voluntarie suscepta, etc., etc. — Hinc — 1° « Per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur » (S. Leo). — 2° « Castiga corpus tuum, et diabolum vinces; hoc enim modo Paulus adversus illum docuit nos esse pugnandum » (S. Aug.).

649. — **Facilitas mortificationis.** — Mortificatio exigit quidem conatum et laborem, sed facilis evadit habenti bonam voluntatem... Hinc quamvis quis ratione infirmitatis aut debilitatis non possit corpus suum durius tractare, potest mortificationi internae incumbere, curiositatem saepius reprimere, loquacitatem moderari, contradictiones quotidianas et humiliationes patienter tolerare, ab omni murmurationis specie abstinere, imo de cibis minus acceptabilibus absque necessitate nec verbum facere, calorem, frigus et intemperiem, quae vitari nequeunt, pro Deo cum pace libenter sustinere, sociorum defectus (salva charitate) tolerare, et in millibus quae frequenter occurrunt sese mortificare et abnegare. Qui enim peroptant

flagellamur, nec cum Apostolis, nec cum ipso Dei Filio. O miseros nos!

Bellum tandem aliquando inferamus corpori nostro, tamquam infensissimo hosti, et abstineamus nos a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam; praesertim, abnegemus nosmetipsos, et propriae quotidie resistamus voluntati. Denique licet ab hominibus colaphizemur, sufferamus, patienter sustinentes; per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum coelorum. Non est alia ad vitam via (Regula Cleri).

pro Deo pati et per viam crucis ambulare, semper inveniunt facillimos mortificationis modos.

650. — Quapropter, quamvis natura repugnet, macte animo esto: incumbe propriae abnegationi, et senties dulcedinem spiritualis roboris et solatii. « Mortificatio, ait Blosius, in initio quidem difficilis est ac molesta: sed ubi quis aliquamdiu in ea viriliter perstiterit, iam dono Dei facilis omnino multumque amabilis redditur ». Et S. Bern. addit: « Mortificatio, seu affectuum castigatio, est quies animi ac tranquillitas, fecundissimusque virtutum fons existens ». Unde expedit ut omnes devoti semper fiant mortificationis veri amatores.

651. — **Fugiendi excessus.** — I. In mortificatione externa fugiendum a quodam quasi sensualismo hodie magis magisque tendente ad omnem fere externam mortificationem destruendam, ut alibi notavimus. Videant ergo devoti ne se ipsos decipiant. Videant directores, ne vigorem animarum quasi destruant... Diligant et discipuli et magistri virtutem discretae mortificationis, et magni faciant spiritum poenitentiae... — II. Mortificanda est caro ne superbiat: sed non est exterminanda, ne deficiat (S. Bonav.). Corpus non frangendum sed regendum (S. Greg. Magn.). Etenim « indiscreta mortificatio est causa morborum » (S. Petr. Damianus). Unde prudens director, praesertim qui est veluti naturaliter austerus, debet serio omnia considerare, antequam mortificationes corporales discipulis assignet. — III. Ergo: « maceratio proprii corporis non est Deo accepta, nisi sit discreta: ut scilicet concupiscentia refraenetur, et natura non nimis gravetur » (S. Thom.). — IV. Postulanda ergo a Deo verae discretionis gratia, ne deficiamus per defectum, neque per excessum impediamur. *Ergo damnanda haeresis pseudo-mysticorum*

temporum modernorum, qui mortificationem externam reiiciunt. Tales enim in oppositum torquentes illud (1 Tim. 4, 8): « Corporalis exercitatio ad modicum utilis est », corporis mortificationem spiritui utilem esse negant: qui tamen textus iuxta Chrysost., recte explicatur pro exercitatione corporis in stadio, vel iuxta D. Thomam, si fiat sine pietate et spiritu mortificationis. Mortificatio appetatur non propter se, sed propter pietatem, ut monet S. Bonaventura — Hinc:

652. — **Regulae discretionis.** — Speciales regulae ad moderationem et utilitatem mortificationis sunt: — 1° Vitandi excessus, ut supra. — 2° Mortificationes non impediant proprium officium aut exercitium aliarum virtutum. — 3° Vitandum vitium singularitatis.... — 4° Discretio in externa mortificatione procuranda ope directoris. — 5° In interna, vera discretio est non paucis esse contentum, sed magis ac magis proficere (cave tamen ne turberis in modo, etc.). — Unde 6° Ad maiorem internam mortificationem cum gratiâ Dei comparandam, opus est *discretione in modo,* id est procedatur paulatim, per partes, et praecipue contra *passionem dominantem* (seu quae ad frequentiores defectus nos inducit). — 7° Discretio in mortificatione externa non est petenda a carne: « Sapientia enim carnis inimica est Deo » (Rom. 8, 7): sed ope prudentiae christianae et regulati animarum zeli ex parte directoris.

653. — **Media** et incitamenta ad mortificationem rite exequendam. — 1° Recordatio laborum et passionis quae Christus, nobis relinquens exemplum, pro nobis sustinuit. — 2° Oratio, qua omnia faciliora evadunt. — 3° Firma resolutio. — 4° Assidua exercitatio. — 5° Amor Dei. — 6° Spes praemii. — 7° Exempla sanctorum (cum discretione circa extraordinaria) et fidelium viatorum etiam saecularium. —

8° Memoria specialis austeritatum quorumdam Ordinum regularium. — 9° Frequens victoria de semetipso in minoribus et saepissime occurrentibus christianae mortificationis occasionibus. — 10° Praesentia Dei. — 11° Non sistere desideriis tantum, sed operari.

654. — **Mortificatio interior maximi facienda.** — 1° *Nullus ab ipsa sub quolibet praetextu dispensari debet, si vult ad perfectionem pervenire.* — 2° Curet imprimis anima quae internis sacrificiis sese exercet, ut totis viribus superbiam mactet, nec se credat in sublimiori statu et perfectione quam illi qui externe etiam sese mortificant: non raro enim, daemon, qui hodie praesertim externam mortificationem inter tales devotos destruere conatur, aestimationem de illa etiam variis et continuis astutiis minuendo, illis insinuat opinionem humilitati contrariam, qua se praeferunt caeteris vitam austeram agentibus et forsan ipsis regularibus austerissimis. — 3° E contra, qui externe etiam notabiliter mortificantur, caveant, ne elatione et despectu aliorum qui aliter ambulant in via Domini, sese quasi canonizabiles reputent, et per superbiam pereant. — 4° Ergo mortifica amorem proprium: noli fratrem tuum iudicare: iudica temetipsum, despice temetipsum, attende tibimetipsi, et proficies in humilitate, fraterna charitate et perfectione.

655. — **Monita circa mortificationem.** — 1° « Quid prodest quod affligis corpus tuum, quando nihil proficit cor tuum? » (S. Caesar. Arelat.). — 2° « Quid prodest passiones impugnari a famula, quae pacem inveniuntur habere cum domina? Quid prodest si extra civitatem geramus bella, et intus patiamur excidium? » (Euseb. Emisen.). — 3° « Erigatur domina, principetur in omnibus; et subiiciatur, suppe-

ditetur et conculcetur ancilla (S. Hieron.). Mortifica sensus internos, et non externos tantum: voluntas tua subiaceat Deo eique in omnibus pareat, ut ipsa bene et recte gubernet te.

656. — **Varia.** — I. *Mortificatio non importat verum odium contra seipsum, sed potius amorem.* Sicut infirmus licet brachium suum propter bonum totius corporis ustulari permittat, non tamen odisse illud sed amare censetur; ita et nemo animam suam odisse dicendus est, licet ferro mortificationis eam propter bonum totius hominis aduri permittat (Rodrig.).

657. — II. Mortifica te: 1° patienter tolerando quae non quaeris; 2° patienter faciendo quae debes ut perfecte officium adimpleas; 3° patienter te superando in licitis; 4° patienter perseverando in fervore conservando et recta intentione renovanda.

658. — III. Charitas vera est mater discretionis, maximeque necessaria directoribus et discipulis. Unde S. Aug. ait: « Charitas (apud sui temporis poenitentes praeclaros) praecipue custoditur: charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: hanc si quis offendit, uno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commendatam esse a Christo et Apostolis, ut si haec una absit, inania; si haec adsit, plena sint omnia ».

659. — IV. « Illa mortificatio quae fit in communitate, placet Deo » (Hugo Card.). Unde valde erraret religiosus qui austeritates sui Ordinis nihili aut parvi in praxi faciens, ipse eligeret alias mortificationes, quamvis magno spiritus fervore (falso quidem) illas faceret. Multi hac in re plus minusve decipiuntur, et meritum amittunt, et Deo displicent. Merito de religiosis dictum est: « mortificatio maxima vita communis ».

660. — V. Crux mortificationis ascensus est, sive

scala, qua de lacu miseriae, et de luto faecis, et de mundo ascenditur in coelum (Hugo Card.).

661. — VI. Cum liceat deliciose et optime degere, si eligatur laboriosa vita et amara, mortificans corpus, holocaustoma est (S. Chrysost.).

662. — VII. Mortificationes negativae seu privativae sunt utiliores et minus periculosae. Tales sunt, v. gr. non aspicere aliquid curiosum, non loqui in tali occasione non necessaria, etc. Et quoad ista non necessaria est obedientia ordinarie loquendo, sed sufficit generalis directio. Secus quoad veras et voluntarias corporales poenitentias, ne decipiamur.

663. — VIII. Quicumque voluntatem Christi addiscere volunt, suam prius voluntatem studiose mortificare debent (S. Ioan. Clim.).

664. — IX. Abiice quidquid malitiam spirat, et membra carnis tuae vehementer (et discrete) mortifica (S. Nilus).

665. — X. Poena voluntaria in hac vita suscepta, multo plus purgat, quam poena post mortem inflicta (S. Th.). — Mortificatio sit tibi dulcis in vigiliis festorum, et tunc saepe teipsum interius etiam abnega, ut cor tuum ornetur et praeparetur. Minores seu privativae mortificationes sint tibi frequentes in die, tamquam tot iaculatoriae poenitentiales.

666. — XI. Pudor de praeteritis novae conversationis temperat austeritatem (S. Bern.).

667. — XII. Mortificare nos debemus relate ad orationem, curando ut *ariditates* nos non deterreant (fervorem tamen excitemus); ne *distractiones* nos nimis occupent aut perturbent (illas reiiciamus): ne *somnus* nos impediat (unde tempestive et moderate dormiendum, et in oratione resistendum, patienter, fortiter, constanter).

Summula practica totius tractatus de Via Purgativa, seu de duodecim mortificationibus, quibus anima perfecte purgatur et ad beatam cum Deo unionem praeparatur, iuxta Morotium (Estque aliis etiam viis utilissima).

Licet in his, quae hactenus scripta sunt, omne genus mortificationis, Domino opitulante, explicaverimus, non erit tamen inutilis haec duodecim mortificationum descriptio; est enim velut epilogus et compendium eorum, quae pertinent ad internam hominis reformationem, hisque duodecim abnegationibus purgatae animae facilis paratur ascensus ad felicissimam cum Deo unionem.

Prima *est mortificatio omnium affectuum erga res temporales, quando scilicet ita liberi sumus, ut quamvis aliquis omnia temporalia a nobis auferret, nostram tamen voluntatem divinae prorsus conformaremus;* et si fragilitas naturae parum in hac re recalcitraret, quia homines sumus, id tamen perfectae mortificationi contrarium non esset, dummodo voluntas inconcussa maneret dicens cum sancto Iob (1, 21): « Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum ». Qui sic affecti sunt, etsi opes innumeras, thesauros et regna possiderent, coram Deo tamen vere nudi et pauperes spiritu reputarentur. Haec est nimirum vera paupertas, cum nihil est in rebus creatis, ad quod affectus inclinetur; cum ipsa naturae necessaria cum nausea et taedio suscipiuntur in subsidium et usum nostrae mortalitatis sine ulla animi adhaesione.

Secunda *est mortificatio proprii amoris tam in operibus, quam in fuga malorum.* Non filii, sed servi sunt, qui se ipsos, non Deum quaerentes, bene operantur et a malo declinant *quasi principaliter* ad evitandam confusionem, redargutionem, remorsum conscientiae, poenam purgatorii, vel inferni; sive ut laudem, honorem, gratiam devotionis, dulcedinem spiritus, visiones atque etiam vitam aeternam consequantur. Quare sublata sensibili devotione inquieti fiunt, impatientes et perversi, solatium quaerentes in creaturis; quia nimirum servi sunt et mercenarii, nec unquam Deo servirent, si nullam ab eo mercedem exspectarent. At vero filii et veri amatores Dei omnia opera sua recta, simplici ac

deiformi intentione in ipsum Deum referunt, non proprium commodum, sed honorem, gloriam et voluntatem Patris in omnibus quaerentes, aeque parati ad prospera et adversa, consolationes et desolationes, ad praemium et poenam.

TERTIA *est abnegatio propriae sensualitatis in cibo, potu et indumentis, in mutuis confabulationibus et sensuali conversatione, in curiositate et apparatu cellae ac domus et omnium utensilium.* Et his quidem unumquemque uti secundum statum, conditionem et infirmitatem suam, non est prohibitum; sed uti ex appetitu sensualitatis, id malum est, dicente Apostolo (Rom. 13, 14): « Carnis curam ne feceritis in desideriis ».

QUARTA *est perfecta mortificatio omnium affectuum mundani, naturalis et acquisiti amoris.* Omnis enim amor cor variis imaginibus pingit, quibus in oratione mens distrahitur, et impura ac inepta fit ad Dei servitium. Quod si Deum solum amaverimus, divina pingemur imagine eiusque amore sursum ad coelestia pertrahemur. Amor autem mundanus ille est, quo mundo placere cupimus et eidem displicere timemus. Amor naturalis est ille, quo prosequimur nos ipsos, parentes, fratres, sorores et caeteros consanguineos. Amor acquisitus dicitur ille, qui oriri solet ex mutua et frequenti conversatione, ex reciproca beneficiorum et officiorum exhibitione. Duo postremi amores liciti sunt, sed cauta indigent moderatione, ne fiant nobis in peccatum. Primus omnino malus est, dicit enim Psalmista (52, 6): « Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos ».

QUINTA *est omnium cogitationum et imaginum rerum creatarum denudatio et conversio quaedam ad omnimodam solitudinem,* non tantum secundum corpus, sed multo magis secundum mentem, expellendo a nobis omnes cogitationes vanas et inutiles, itemque bonas et sanctas, si cor inquietant; sive sint de cura temporali necessaria, sive de spirituali sollicitudine, ut in scrupulosis et pusillanimis; sive de coelestibus et aeternis, ut in curiosis et subtilibus perscrutationibus divinorum mysteriorum [respice tamen Christum Crucifixum, B. M. V. et Sanctos, pia consideratione].

SEXTA *consistit in relectione cuiuscumque curae et administrationis rerum temporalium, nisi iusta necessitas ad eam nos adigat,*

vel propter spiritualem utilitatem vel propter obedientiam. Quod si dictante ratione vel obedientia [vel proprii status conditione, vel charitate, aliave rationabili causa], externis operibus et officiis nos occupari contigerit, quidquid necessarium erit, perficere satagemus affectu et intellectu ad Deum elevato, absque cordis sollicitudine, multiplicitate et distractione.

Septima *in omni cordis amaritudine per divini amoris dulcedinem tollenda occupatur, ita ut omnes adversarios et persecutores nostros eo mentis affectu amplectamur, ac si optimi amici et benefactores nostri forent.* Porro cordis amaritudo ex quintuplici fonte oriri solet. — 1. Ex elata praesumptione propriorum operum in multa poenitentia et exterioribus exercitiis, quae proclives nos reddunt ad aspernendum et iudicandum proximum, ita ut dicamus cum Pharisaeo (Luc. 18, 11): « Non sum sicut caeteri hominum ». — 2. Ex sui ipsius immortificatione, ratione cuius contra Praelatos et Superiores murmuramus, si inordinatis desideriis nostris acquiescere nolunt. — 3. Ex invidia, omnia in peius interpretando et iudicando, quamquam in se mala non sint. — 4. Ex desiderio propriae complacentiae, quia volumus videri et prae aliis devoti existimari, et idcirco aliorum famam minuere studemus. — 5. Ex propria perversitate et malitia, quae amaricatam et inquietam reddit conscientiam.

Octava *in omnimoda superbiae et inanis gloriae abnegatione sita est,* in contemptu laudis, honoris, favoris et complacentiae humanae, desiderando ab omnibus contemni, illudi, abiici, nesciri, confundi ac pro nihilo reputari.

Nona *est mortificatio omnium affectuum erga spirituales, internas et sensibiles oblectationes, cuiusmodi sunt gratia et devotio sensibilis, interna dulcedo, visiones, apparitiones, notitiae supernaturales et alia eiusdem generis.* Nam qui secure et cum profectu viam mandatorum Dei currere optat, omnia sua exercitia ad hunc scopum referre debet, ut in se excitet amorem Dei, non ut obtineat sensibiles consolationes et altam eorum notitiam, quae sibi necessaria non sunt. Quod si aliquam a Deo gratiam et cognitionem acceperit, nec in ea quiescere, nec illi credulus esse debet; sed humiliter eos consulat, qui discretionem spirituum habent; in hoc vero dumtaxat requiescat, quod

propter Dei amorem semper paratum se inveniat ad omnem desolationem et derelictionem.

DECIMA *omnes scrupulos tollit a corde cum perfecta in Deum confidentia.* Proveniunt autem scrupuli ex inordinato amore sui, nam quidquid agit scrupulosus, non ex charitate, sed ex timore ne damnetur perficit; et quamvis conetur hunc timorem expellere, nihil tamen agit, quia ex Dei amore non operatur nec in illo confidit.

UNDECIMA *est totalis eradicatio omnis inquietudinis et impatientiae cordis in omni exteriori adversitate,* sive sit infamatio, derisio, detractio cum mendacio, aut damnum rerum temporalium, amicorum et affinium, sive alia qualiscumque persecutio, quae permittente Deo alicui accidat. Nam quos amat Dominus, arguit et castigat, multisque tribulationibus exercet, sicut dixit Angelus ad Tobiam (Tob. 12, 13): « Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te ».

DUODECIMA *tandem et postrema est omnis propriae voluntatis mortificatio in totali resignatione ad omnem internam derelictionem sufferendam propter amorem Dei, etiam si per totam vitam sine omni interna consolatione stare oporteat.* Hoc est excellentissimum virtutis opus, hoc signum puri amoris, haec est sola via, quae ad veram perfectionem perducit, propriae voluntati penitus mori et cum solo nudo et essentiali amore sine ulla interiori dulcedine laeto et quieto animo usque ad mortem permanere. — Haec Morotius.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Tanta est pietas tua quanta potestas. Tam pia es ad parcendum miseris, quam potens ad impetrandum quod postularis. Quando enim non compateris filiis miseris, Mater misericordiae? Aut, quando illis opem ferre non poteris, cum sis ipsius Mater Omnipotentiae? (Adam Abbas Perseniae).

MARIAM INVOCA. — O quanta fiducia nobis per te ad Deum esse potest! sicut non potes non sentire per compassionem passiones nostras, cum non possis odisse filios, misericordissima

Mater, sic non potes non obtinere eis remedium, si petas, cum ad hoc... ex te nasci voluerit misericordiarum omnipotentis Patris Filius *(ibid.)*.

MARIAM LAETIFICA. — Quotidie legendo vel minimam pagellam de laudibus et virtutibus B. M. V. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

TRACTATUS DE VIA ILLUMINATIVA

CAP. I. — DE VIA ILLUMINATIVA IN SE.

668. — **Praenotandum.** — In tota tractatione de via purgativa, multiplicavimus explanationes et notiones, ut anima a principio, bene solidata facilius pergat proficiendo. Multa quae in via purgativa dicuntur, utilissima sunt et viae illuminativae, cum eo ipso quo docetur multiplex purgationis modus, traduntur consequenter non pauca documenta quae non solum adiuvant ad vitia purganda, et defectus valde minuendos, sed etiam ad virtutes singulis vitiis et defectibus contrarias intelligendas, colendas et acquirendas. Quapropter breviori sermone agendum de via illuminativa, ut patet.

669. — **Notio viae illuminativae.** — I. Via illuminativa, ut dictum est alibi, est *illa in qua anima a peccatis purgata, illuminatur per virtutes, et roboratur in charitate per augmentum charitatis:* VEL *ea in qua proficientes, dum passiones iam magis magisque moderatas habent, quotidie magis illuminantur ad operationem virtutum.* Dicitur *illuminativa*, quia in illa anima illustratur per considerationem beneficiorum Dei; et magis intelligendo quantum debeat Summo Bono, conatur intensius detestari omnia pec-

cata, et Deo placere per virtutum ornamentum. — II. Unde Angelicus, 2, 2, q. 24, a. 9 : « Secundum autem studium... ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat, et hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt ut in eis charitas per augmentum roboretur ». — Et in 3, dist. 29, q. 1, a. 1, quaest. 1 : « Secundus effectus est ut iam fiduciam de liberatione peccatorum habens ad bonum adipiscendum se extendat; et quantum ad hunc effectum dicitur charitas proficiens; non quin in aliis statibus proficiat, sed quia in hoc statu praecipua cura est de adipiscendis bonis, dum homo semper ad perfectionem anhelat... Status autem medius duo habet: unum secundum quod comparatur ad primum statum, quia roboratur contra mala, de quibus charitas incipiens sollicita est; aliud quod nutritur, secundum quod tendit in tertium statum, semper magis ac magis bona quasi sibi comparando ».

670. — **Differentia.** — *Via illuminativa differt a purgativa*, quia 1° in via *purgativa* anima moritur mundo et nascitur Deo; in *illuminativa* vero, anima crescit, volens quotidie gratitudinem suam Deo practice per virtutes probare. — 2° In via *purgativa*, evelluntur spinae et pessimae radices vitiorum; in *illuminativa*, seminantur et plantantur flores virtutum. — 3° In via *purgativa*, anima purificatur et a sordibus mundatur; in illuminativa, decoratur et ornatur. — Nota. Ut dictum est, nunquam tamen anima cessare debet a defectibus purgandis, quamvis in via illuminativa iam multo melius mundata sit.

671. — **Officium viae illuminativae** multiplex: 1° Vera assecutio virtutum sive theologalium, sive moralium: ergo laborandum. — 2° Exercitatio earumdem virtutum: ergo nunquam quiescendum in palaestra virtutum. — 3° Ornare animam et illam

in charitate roborare, ut Deo magis magisque placere possimus; ergo magis fugiendum a defectibus et magis quaerendum divinum amorem.

672. — **Finis viae illuminativae** est non solum invigilare ut malae vitiorum herbae non amplius crescant, et illas quamvis minoris sint momenti magis magisque evellere, sed sollicite curare ut anima ditetur multiplici virtutum thesauro et ornamento. Etenim certum quidem est, quod in via purgativa virtutes coluntur et acquiruntur, et defectus evelluntur, sed neminem latet quod haec *principaliter* occupatur in maioribus defectibus destruendis, ut charitas non destruatur sed enutriatur: ac proinde virtutes in incipientibus sunt *veluti consequenter exercitae:* in proficientibus vero *quasi quid principale:* in ambobus tamen in ordine ad unionem cum Deo. Illuminativa non amplius contenta est de essentialibus ad vitam gratiae: sed curat etiam quae essentialia perficiunt, roborant et accrescunt, et abhorret ab iis quae etiam remote essentialibus adversantur. Via purgativa est *principaliter vita poenitentiae*, illuminativa vero *principaliter vita virtutum* acquirendarum.

673. — **Terminus viae illuminativae** est *totius hominis ornamentum* consistens 1° In sensuum externorum et internorum generali et maiori purificatione, et maiori conscientiae puritate, etiam quoad venialia, quae magis magisque vitantur, quamvis omnia vitari nequeant. — 2° In magna omnium virtutum aestimatione. — 3° In sollicita cura et indefesso labore ad virtutes exercendas, praesertim quoad illas quae propriae conditioni magis conveniunt. — 4° In illustratione animae proveniente ex maiori sollicitudine circa Dei famulatum, et ex habituali exercitio virtutum. Unde proficientes magis ac magis timent omnia peccata, et non solum curant

ut fugiant malum et speciem mali, sed multum laborant ut semper faciant bonum et maius bonum per praxim virtutum. Incipientes faciunt etiam bonum, remissius tamen et imperfectius.

674. — **Signa quibus cognosci potest quemdam pervenisse ad terminum viae illuminativae.** — I. Si magna de propria obligatione Deo cum gratitudine serviendi concepta aestimatione, maxime detestetur et facile et prompte devitet mortalia; conetur, quamvis non tam facile, devitare venialia deliberata; et in virtutibus a charitate distinctis exercitus, ipsarumque virtutum actus ipsi faciliores evadunt.

675. — II. Si in eo passiones ita sedatae sunt, ut multo minus sollicitent animum, qui proinde magis illuminatus, Deum melius amet et in virtutibus notabiliter proficiat.

676. — III. Si spe magni praemii, nulla terreatur difficultate, et serio laboret ut thesaurum adaugeat. Etenim via purgativa maxime respicit timorem, ut anima fugiat peccata, et Dei amicitiam conservet; via illuminativa maxime respicit spem, ut anima merita habeat, divitias aeternas acquirat, gratiae augmentum et roborem; via unitiva maxime respicit charitatem, ut anima ita diligat Deum, ut Deo inhaereat, eo fruatur, in eo quiescat.

677. — IV. Si crucem Domini iam portet libenter, illum *libenter* sequens per imitationem virtutum.

678. — Monitum. *Si vis in vero christianae perfectionis profectu permanere*, memento quod « haec est ubique magna virtus, et summa securitas, quando et pie vivis et tamen plus attendis quae desunt tibi, quam quae obtinuisse videris (S. Bern.).

679. — **Duratio viae illuminativae.** — Ex dictis patet, quod in se tempus non potest tamquam quid

fixum assignari, sed videndae dispositiones illuminati; consideretur quantum in cognitione spiritualium et despectu vanitatum profecerit; et deinde inducendus pedetentim ad viam unitivam, ut continuo novis ditetur spiritualibus augmentis, ardentius fiat in eo perfectionis desiderium, crescat pervalde in divinae charitatis ardore, et peroptet tandem Deo fortiter adhaerere, Deum maxime diligere, Deo valde placere, Deum indesinenter quaerere, omnia pro Deo et propter Deum peragere, sciens quod omnia potest in eo qui illum iam saepe confortavit, liberavit, adiuvit et consolatus est.

680. — *Via illuminativa facile importat aliquod principium contemplationis, seu multum confert ad contemplationis dulcedinem aliqualiter praegustandam.* De qua re B. Dionysius Carthus., *De contempl.* l. 1, a. 18, scribit: « Via illuminativa est occupatio, conatus seu studium mentis nostrae in contemplatione divinorum, in speculatione spiritualium, supernaturalium, coelestiumque bonorum, in susceptione sapientiae radiosae, supernaturalis, creatae, infusae, cuius luce mens clarificata, intuetur divina ». — *De fonte lucis*, a. 8, subiungit: « Via illuminativa est studium seu occupatio mentis circa contemplanda sublimia Dei, praesertim in contemplatione superbeatissimae Trinitatis, ac simplicissimae et superpulcherrimae Deitatis, deinde in speculatione bonorum coelestium et supernaturalium veritatis fidei christianae ac supernaturalium rerum. Cum etenim in clara et immediata per speciem horum contemplatione tota consistat nostra felicitas, profectus noster hic est, ut contemplationi illi tam beatificae ac perfectae nunc quotidie propinquemus, proficiendo in fidei illustratione, in bono sapientiae, in summae et increatae veritatis ac divinorum cogni-

tione. Denique cum Deus, cuius opulentiae ac munificentiae nullus est finis, sit essentialiter sapientia infinita et lux supersplendidissima prorsus incircumscripta, cum videt animam modo praetacto purgatam, humilitate, patientia, mansuetudine, castitate, iustitia, caeteris quoque virtutibus moralibus informatam, veritatisque avidam et fonti sapientiae inhiantem, ac desuper illustrari affectantem, mox vultum suum super eam illuminat, sapientiae radio eam clarificat, seipsum ei prae solito clarius, gratiosiusque ostendens, atque incerta et occulta sapientiae suae propalans ». Nota tamen quod meditatio nequidem a via unitiva excluditur; a fortiori a via illuminativa, ut alibi dicetur.

681. — Quod si pauci sunt qui ad contemplationis dulcedinem perveniunt, id haud perfectae purgationi facile tribuendum. Nam, ut ait Angelicus, 2, 2, q. 180, a. 2: « Impeditur actus contemplationis... et per vehementiam passionum, per quam abstrahitur intentio animae ab intelligibilibus ad sensibilia, et per tumultus exteriores ». Unde fuge terrena, si coelestia gustare vis, iuxta illud S. Gregorii: « Fugiens se elongat, qui a turba desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se sublevat ».

682. — **Varia.** — I. In via purgativa ideo *agitur de imperfectionibus vitandis* (quamvis haec potius pertinent ad alias vias), ut anima magis defendi possit ab hostibus, et quia, ut dictum est, in unaquaque via saepe exercentur quae ad alias pertinent. Et difficillimum ac fere impossibile esset vitare mortalia et eradicare vitia maioris momenti, si anima nihili faceret venialia et alios defectus generatim, nec haberet saltem *verum propositum perveniendi ad perfectionem charitatis* (quod quidem propositum

omnino inveniri debet etiam in via purgativa), et quasi taxative mortalia tantum fugeret. Aliunde, quomodo fovebitur charitas, et fugientur occasiones gravis peccati, et castigabuntur concupiscentiae, si non adest aliquis conatus ad minores defectus et venialia corrigenda et ad varias virtutes perfectius obtinendas? *Ergo recte multa traduntur in via purgativa, quae etiam ad alias vias pertinent,* ut sint adiumenta et faciliora media ad vincenda mortalia et pravas concupiscentias.

683. — II. Item in via *illuminativa*, frequenter res est de divino amore perfectius diversisque modis procurando, deque vitando quidquid impedit quominus affectus mentis totaliter feratur in Deum (quae quidem principaliter pertinent ad viam unitivam), ut facilior evadat virtutum exercitium, et universalius et melius vitentur venialia praesertim deliberata, contra quae anima in via illuminativa universaliter et principaliter pugnat per arma virtutum.

684. — III. Tandem, memento quod omnes viae ad charitatis perfectionem tendunt et gradatim diriguntur.

685. — IV. Qui per viam illuminativam seu profectus pergit, ne innitatur propriis viribus in animae profectu obtinendo, sed speret in Deo et Deum oret. « Profectus hominis donum Dei est: nec a se potest quidquam, sed a Domino » (S. Isidor.).

686. — V. Quatuor modis proficitur: in se, iuxta se, supra se, sub se. In te est animus; iuxta te proximus; supra te praelatus; sub te subditus. In te proficis per bonam vitam; in proximo per doctrinam; in praelato, per admonitionem; in subditis, per correctionem (Hugo a S. Vict.).

687. — VI. Deum diligamus et facilius labora-

bimus. « Ad proficiendum non movet pedem nisi charitas: ad cadendum superbia » (Gloss. ord.).

688. — VII. Age, curre, festina. Age, ut in hac spiritualitate proficias: cave ne quod accepisti, incautus et negligens custos amittas: curre, ut non negligas: festina, ut celerius comprehendas (Sanctus Hieron.).

689. — VIII. Bona voluntate ambulemus et difficultates superabimus: « Fac quod in te est, ut proficias, sicque cito senties per gratiam facile, quod per naturam fuit difficile » (B. Dion. Carth.).

690. — IX. Si tu vis proficere, non respicias quid mali faciant alii, sed quid boni ipse facere debeas. — Proficere proficisci est (S. Bern.).

691. — X. In hac via, ne obliviscaris frequenter animam tuam poenitentia purificare. — Oratio absque virtutum exercitio non iuvat ad perfectionem: ora ergo, ut virtutes acquiras illasque facilius et perfectius exerceas. — Proposita fortiter adimple. — Sacramenta melius in dies frequentare stude.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Multum diligenda est beata Virgo a quolibet christiano propter hoc, quod est inextinguibile lumen eius. Nunquam enim aliquis in tantum peccat, si vult per veram poenitentiam recurrere ad ipsam, quin ipsa sit statim lucerna pedibus suis et reducat eum in viam salutis eternae (B. Alb. Magn.).

Mariam invoca. — Ave, Maris stella. — Dei Mater alma. — Atque semper Virgo. — Felix coeli porta. — Monstra te esse Matrem! Salva me, o « Amatrix hominum » (S. Bonav.).

Mariam laetifica. — Quotidie in virtutibus proficiendo: quotidiana alicuius devoti libri ordinata et pia lectione. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. II. — DE OPERIBUS VIAE ILLUMINATIVAE GENERATIM, SIVE DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

692. — **Praenotandum.** — « Debemus ad virtutum studia irremissa cura ac sollicitudine nosmetipsos semper extendere, ipsisque nos iugiter exercitiis occupare; ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur: quia in uno eodemque statu mens manere non praevalet; id est, ut vel augmenta virtutum capiat, vel detrimenta sustineat » (Cassianus).

693. — **Definitio.** — I. *Etymologice*, « Virtus dicitur quasi *vis intus:* et haec vis consistit in aggressione arduorum, in tolerantia adversorum, et in abstinentia placitorum » (S. Bonav.): vel: « Virtus a viriditate dicta est, quae nescit aliquo labore marcescere » (Cassiod.).

694. — II. Virtus communiter definitur a Theologis cum Angelico: *Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, et nemo male utitur* (1): vel iuxta S. August.:

(1) S. Th. 1, 2, q. 55, a. 4: « *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Ista definitio perfecte complectitur totam rationem virtutis... Esset tamen convenientior definitio, si loco qualitatis, *habitus* poneretur, qui est genus propinquum... Causa autem efficiens virtutis infusae, de qua definitio datur, Deus est; propter quod dicitur: *Quam Deus in nobis sine nobis operatur;* quae quidem particula si auferatur, reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus, et acquisitis et infusis ».

Animi habitus hominem inclinans ad bene recteque operandum: vel: *Bona qualitas animum constanter et efficaciter disponens ad bonum:* vel: *Qualitas mentis bene dispositae, qua bene vivitur, sine qua nullus laudabiliter conversatur* (S. Laur. Iust). — Dicitur de virtute quod *ea nemo male utitur*, ut distinguatur ab illis habitibus seu qualitatibus quibus potest quis male uti, ut fides humana, opinio, et similes: vel quia adeo, vere et determinate ad id, quod bonum est, inclinat ac movet, ut si ea uti et cum ea operari debeamus, nihil possimus mali facere: ac proinde quando malum facimus, habitum virtutis non sequimur et contra virtutem facimus. — Omne vitium est animae aegritudo, virtus vero sanitatis rationem obtinet (S. Basil.). — Ergo laboremus, vigilemus, oremus, ne falsam virtutem colamus pro vera, et nihil lucremur; nam « sicut falsis denariis nihil emitur boni, sic nec falsis virtutibus regnum coelorum comparatur » (B. Alb. Magn.).

695. — **Divisio.** — I. Virtutes dividuntur in *intellectuales*, *morales* et *theologicas: primae* perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem veri; suntque intelligentia, scientia, sapientia, et ars. Unde non agimus de his, ut constat ex definitione. *Secundae* perficiunt voluntatem in ordine ad bonum honestum; suntque prudentia, iustitia, temperantia et fortitudo, et vocantur cardinales. *Tertiae* sunt illae quae Deum pro obiecto habent, seu quae immediate versantur circa Deum; suntque fides, spes, charitas.

696. — II. Aliae sunt *naturales*, aliae *supernaturales*. *Supernaturales* sunt quas homo non potest suis viribus acquirere, nec *proprie* ad eas se disponere, sed libere et gratuito a Deo infunduntur. *Naturales* sunt illae quae, si considerentur in ordine

morali tantum, possunt exerceri solo generali Dei concursu, per solas vires naturales.

697. — III. Aliae sunt *infusae,* aliae *acquisitae. Infusae* sunt quas homo non operatur, neque bonorum operum exercitio acquirit, sed Deus per se ipsum sine nostra cooperatione communicat et infundit. *Acquisitae* sunt illae, quas homo continuo exercitio et per proprios actus acquirit et comparat.

698. — IV. *Ex infusis,* aliae sunt *infusae quoad entitatem, aliae quoad modum. Primae* naturaliter acquiri nequeunt, utpote quia sunt ex ordine supernaturali, uti virtutes Theologicae. *Secundae* per actuum frequentiam acquiri possunt, uti sunt virtutes humanae, ideoque sunt infusae in quantum solus Deus illas effective causat. Unde *virtutes morales infusae* habent pro regula non tantum rationem humanam, sed legem divinam et evangelicam, et pro communi et ultimo fine Deum, obiectum beatificum et finem supernaturalem lumine fidei cognitum. Virtutes vero morales simpliciter acquisitae habent pro regula rationem humanam, et pro fine bonum ratione naturali assecutum.

699. — **Virtutes morales** in moribus componendis proprie occupantur, et *vocantur* CARDINALES seu *primariae,* illae ex quibus caeterae oriuntur.

700. — **Supernaturalitas virtutis.** — I. *Virtutes* quas *mere naturales* vocamus, minus proprie, ut aiunt AA., appellantur virtutes. Certum tamen est illas revera dari, aliter dicendum esset quod omnia opera infidelium sunt peccata, quod falsum est, ut constat etiam ex dammatis propositionibus Quesnellii dicentis: « Voluntas quam gratia non praevenit... est incapax ad omne bonum »; et Baii inquientis: « Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis,

hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducat, agnoscit ».

701. — II. Virtutes theologicae a Deo in nobis sine nobis infunduntur. Omnes virtutes cum gratia sanctificante nobis infunduntur.

702. — III. *Omnes virtutes morales tunc dicuntur supernaturales* (et in hoc sensu virtutes proprie accipiuntur in Mystica), quando non humano tantum labore, sed ex speciali Dei gratia acquiruntur, ut homo non humano et naturali, sed divino ac supernaturali modo operetur.

703. — IV. Sicut anima operationes suas exercere nequit nisi per intellectum et voluntatem; ita gratia sanctificans, velut vita hominis spiritualis et supernaturalis, comites habet virtutes infusas, per quas veluti per supernaturales potentias supernaturaliter agit.

704. — V. Ex his ergo patet in quonam sensu communiter dicitur, quod virtutes morales versantur circa bonum creatum ex motivo supernaturali, et quod inter proprietates virtutum, intelligitur etiam supernaturalitas.

705. — VI. Notandum quod ad praxim moralium virtutum (in proprio sensu) necessarium est auxilium gratia actualis: etenim per virtutes morales superantur graves tentationes ac passiones, et naturales vires naturae ad hoc non sufficiunt, ut aiunt Theologi et fides docet.

706. — VII. Vitia et virtutes acquisitae sunt contraria, et sese mutuo expellunt a subiecto: Secus vitia et virtutes infusae supernaturales, nam non pugnant inter se in eodem genere habitus; unde nihil mirum si vitia adhuc remaneant introductis virtutibus, necesseque sit ea per virtutum acquisitarum studium expellere, ait Charmes.

707. — VIII. « Sive parum, sive multum (in ordine ad vitam aeternam) sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest » (S. Aug.): ergo illius gratia indigemus ad virtutem supernaturalem.

708. — **Notandum circa acquisitionem virtutum.** — I. Est differentia inter virtutes morales acquisitas, et infusas. Nam virtutes acquisitae non statim a principio, sed successive acquiruntur; cum enim non requirantur ad simpliciter, sed ad facile operandum, possunt ex vi principiorum naturalium, mediis actibus acquiri. Infusae tamen cum sunt tota virtus agendi proxima, debent statim a principio iustificationis infundi. Unde virtutes morales infusae a solo Deo possunt produci tamquam a causa principali, et ita non possunt actibus nostris acquiri, ut virtutes acquisitae. Ita Ant. a Sp. S.

709. — II. Postquam virtutes infusae a Deo infusae sunt, tametsi homo bonorum operum exercitio eas non auget, virtute sua ipsarum augmentum operando, tamen bonis quae facit operibus meretur, ut eas ipsi Deus augeat: idque Deus ita facit, ut quanto plus homo se in bonis operibus exercet, tanto ei amplius gratiam, omnesque virtutes infusas augeat.

710. — **Mediocritas seu medium virtutum.** — I. *Duplex distinguitur medium virtutis,* scilicet medium rei et medium rationis. *Medium rei* est illud quod ita est ex natura rei determinatum et fixum, ut sit semper unum et indivisibile, nec variatur pro loco, tempore et persona. Medium *rationis* est illud quod est divisibile, variaturque pro loco, tempore et persona, iuxta prudentis aestimationem.

711. — II. Virtutes theologicae et intellectuales non consistunt in medio per se et ex parte obiecti: per accidens autem et ex parte subiecti, requirunt aliquod medium, quatenus exerceri debent cum

moderamine, iuxta cuiuslibet naturam, genium et conditionem. Unde non potes nimis credere, nimis sperare, nimis esse sapiens. Debes tamen attendere ut non male ames.

712. — III. *Omnes virtutes morales consistunt in medio rationis;* quia contra ipsas peccari potest per excessum vel per defectum, v. gr. contra fortitudinem, per temeritatem aut pusillanimitatem. Excipitur virtus iustitiae quae in medio rei et rationis simul consistit.

713. — **Connexio virtutum.** — I. Virtutes intellectuales et theologicae non sunt inter se connexae. Hinc sapientia potest inveniri in subiecto absque arte, fides absque charitate.

714. — II. Virtutes morales consideratae *in statu imperfecto,* non sunt necessario inter se connexae. Sic multi videntur eleemosynam facientes, qui castitatem non servant.

715. — III. Virtutes morales consideratae *in statu perfecto,* id est, quae tam perfecte possidentur, ut omnibus contrariis facile resistere possint, sunt necessario inter se connexae. Virtus enim, in statu perfecto facit ut quis lubenter et sine mora in propria illius virtutis materia operetur: hinc si possides perfecte iustitiam, eris fortis ad resistendum contra dona et minas ut a iustitia declines, etc. Virtus enim perfecta est *constans et firmus ordinis amor,* quo quis id quod rectum est et rationi consentaneum in quavis materia prosequitur; ac proinde talis amor constans, firmus et habitualis omnes plene virtutes includit.

716. — Unde merito dixit S. Augustinus: « Certe hinc persuadent, qui unam virtutem habuerint, habere omnes, et omnes deesse, cui una defuerit, quod Prudentia nec ignava, nec iniusta, nec intemperans po-

test esse, nam si aliquid horum defuerit, Prudentia non erit. Porro si Prudentia tunc erit, si et fortis, et iusta, et temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet caeteras. Sic et Fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel iniusta. Sic Temperantia necesse est, ut prudens, fortis et iusta sit. Sic Iustitia non est nisi sit prudens, fortis et temperans. Ita ubi vera est aliqua earum, et aliae similiter sunt. Ubi autem aliae desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur ».

717. — **Actus virtutum.** (Memento eorum quae de mediis ad perfectionem alibi dicta sunt.) Actus autem quibus quasi ascenditur ad montem virtutum sunt: 1° Virtutes omnibus temporalibus praeferre, et maxime illas aestimare. — 2° Desiderare ardenter virtutum ornamenta. — 3° Conatum magnum agere ad virtutes sectandas. — 4° Donum virtutum supernaturalium instantissime a Deo postulare. — 5° Ad maiora virtutum augmenta semper tendere. — 6° Alienas virtutes amare, illisque fortiter excitari. — 7° Difficultates ad virtutes obtinendas non timere et superare. — 8° Gratias Deo pro virtutibus obtentis humillime persolvere, et quantum fieri potest, occurrentes occasiones virtutum sollicite colligere. — 9° Defectus contra virtutes statim deplorare et corrigere.

718. — **Gradus virtutum.** — I. Alii lento passu, alii modesto incessu, alii celeri cursu ad virtutes properant. Primi terrenis adhuc occupantur, alii sibi ipsis adhuc in variis indulgent, caeteri transitoria contemnunt. — II. Alii cum gravi difficultate, alii cum levi resistentia, alii cum delectatione virtutes exercent. — III. Quoad motiva quasi primario menti occurrentia, alii propter virtutum honestatem, alii propter

praemium, alii propter Deum virtutes colunt. Omnes tamen christianae virtutes ad Deum tendunt, ut per ipsas Deo placeamus et tandem Deo fruamur. — Gradatim ergo laboremus, ut in palaestra virtutum magnis proficiamus incrementis.

719. — **Dignitas virtutum.** (Memento quae de perfectionis dignitate dicta sunt.) — I. Nihil facit nomen adeo immortale, ut natura virtutis. Id ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum reliquiae, ostendit memoria eorum qui recte ex virtute vixerunt (S. Chrysostomus). — II. Sicut minuta lumina claritas solis obscurat, sic dignitas virtutis omnia alia hominis ornamenta vilescere facit. (Anonym). — III. Virtutes sunt virtuosorum divitiae verae, et de illis dici potest: « Laudemus viros gloriosos... homines divites in virtute » (Eccl. 44).

720. — **Varia.** — I. Virtus etiam dicitur quasi *virum tuens*, vel quasi *virens intus*, ob duplicem effectum quem habet, scilicet, tuetur praesentia sua animam et ipsam ornat (S. Bonav.).

721. — II. Virtutes consuetudinales circa medietatem consistunt: fortitudo circa timorem et audaciam: temperantia circa delectationem et tristitiam: liberalitas circa dona mediocria: magnanimitas circa magnos honores, etc. (id.). Dicuntur consuetudinales, quia adquiruntur ex frequenti actu: politicae, quia ordinant hominem ad bene vivendum inter alios, etc. (id.) Virtutes cardinales dicuntur quia sicut ostium vertitur in cardine et regitur, ita his regitur et vertitur tota vita humana: instruitur enim in omnibus operibus, et contra vitia armatur (id.).

722. — III. Prudentia invenit modum ut non excedas, sed circa centrum consistas: quare est auriga virtutum. Temperantia custodit modum inventum. Iustitia describit respectu sui et aliorum, et

quia post modum multa adversa eveniunt. Fortitudo defendit ne perdatur modus: hinc recte dicitur virtus nihil aliud esse nisi modus (S. Bonav.).

723. — IV. Sicut lux purgat, illuminat, perficit et stabilit: sic temperantia primum facit, prudentia secundum, iustitia tertium, fortitudo quartum (id.). — Virtutes Theologicae fides et spes non habent reflexionem super se: credens enim non credit credulitatem; charitas vero habet, quia habens charitatem eam diligit (id.). — Virtutes sunt socii cum quibus procedamus ad patriam (id.).

724. — V. Virtus moralis, non ut gratuita, dicitur quid virtuosum semiplene, quia procedit non a virtute, sed ab aliquo virtuti consono, scilicet, a voluntate consonante rectitudini naturali (id.).

725. — VI. Virtus quaelibet praeter charitatem potest esse communis bonis et malis; charitas autem non potest dari informis (id.). Intellige: per peccatum homo exspoliatur virtutibus formatis, id est, charitati coniunctis, non vero quatenus sunt informes, seu charitate destitutae (Cfr. S. Bonav. l. 3, d. 27, a. 1, q. 4). Charitas est forma extrinseca virtutum per quam habent, ut sint Deo gratae et meritoriae. Cfr. D. Th. 1, 2, q. 71, a. 4, ubi explicat quare et quomodo virtutes informes dicantur non esse virtutes, et in hoc sensu illis privari qui in mortali existunt, etc. — Aliunde expedit semper in hac quaestione prae oculis habere sequentem eiusdem Angelici Doctoris doctrinam: 1° « Solae virtutes infusae sunt perfectae, et simpliciter dicendae virtutes, quia bene ordinant hominem ad finem ultimum simpliciter; aliae vero virtutes, scilicet acquisitae, sunt secundum quid virtutes, non autem simpliciter; ordinant enim hominem bene respectu finis ultimi in aliquo genere, non autem respectu finis ultimi simpliciter.

Unde Rom. 14, 23, super illud: *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* dicit Glossa Augustini, *ord. ex cap.* 106. *Sentent*: *Ubi deest agnitio veritatis, falsa est virtus etiam in optimis moribus* » (D. Th. 1, 2, q. 65, a. 2). — 2° « Habitus moralium virtutum infusarum patiuntur interdum difficultatem in operando propter aliquas dispositiones contrarias ex praecedentibus actibus relictas; quae quidem difficultas non ita accidit in virtutibus moralibus acquisitis, quia per exercitium actuum, quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariae dispositiones » (D. Th. 1, 2, q. 65, a. 3). — Nullo pacto admittendum, ad omnem virtutem exigi cum Baio gratiam habitualem et charitatem ita dominantem, ut extra hunc statum opera omnia essent peccata. Unde prae oculis habendus tract. de Gratia, et alia principia *Th. Dogm.*

726. — VII. Quatuor sunt matres virtutum: fides origine; charitas educatione; prudentia regimine; humilitas conservatione (S. Bonav.).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Ad Mariam « respiciunt et qui in coelo habitant, et qui in inferno [in peccato], et qui nos praecesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati eorum, et qui nascentur ex illis. Illi qui sunt in coelo, ut resarciantur; et qui in inferno, ut eripiantur; qui praecesserunt, ut prophetae fideles inveniantur; qui sequuntur, ut glorificentur » (S. Bern.).

Mariam invoca. — O Virgo gratiosa, totum nobis quodammodo est a te, quod per illum nobis est qui natus est ex te (Hug. a S. Vict.). O Virgo veneranda nimis, Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.

Mariam laetifica. — Vera erratorum et peccatorum tuorum detestatione. Viam sanctitatis *hic et nunc* fortiter et ferventer amplectendo: Mariam vitae spiritualis Magistram imitando. — *Ut sim servus Filii, servitutum appeto Genetricis* (S. Ildefons.).

CAP. III. — DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

727. — **Virtutes theologicae generatim.** — I. *Tres sunt virtutes theologicae: fides, spes, charitas.* Quatuor sunt quae ex fide proveniunt: scilicet, vitae rectitudo, animae pabulum, Dei cultus et paradisi praemium. Quatuor sunt quae ex spe procedunt: scilicet, laetitia cordis, animae sobrietas, revelatio laboris et vitae longinquitas. Quatuor sunt quae ex charitate oriuntur: scilicet, reverentia erga Deum, et proximum diligere, relevare oppressum, et errantem corrigere (S. Th. *de vitiis et virt.*).

728. — II. *Inter omnes theologicas virtutes, charitas quae propinquius Deum respicit quam caeterae, excellentior est.* Virtutes theologicae ordinantur ad Deum immediate: morales vero mediate.

729. — III. Virtutes theologicae, eo quod eorum obiectum sit Deus, excellentiores sunt virtutibus moralibus.

730. — IV. Ordine generationis, fides spem, et spes charitatem antecedit.

731. — V. Tria sunt arma potiora quibus protegimur et pugnamus: scilicet, scutum fidei, galea spei, et gladius charitatis (S. Antonin.).

732. — VI. Virtutes theologicae habent Deum pro obiecto primario, quod creditur, quod speratur, quod diligitur; et etiam habent ipsum eiusque attributum pro obiecto motivo seu formali *quo.*

733. — VII. « Fide tenemus tres Virtutes Theologicas esse necessarias, perficientes immediate animum respectu increati » (Scotus, 3, d. 34, n. 6). Unde necessariae sunt ad salutem. Vide Theol. Moral., ubi de Virtutibus.

Art. I. — De Fide.

734. — **Notio fidei.** — I. *Fides sumitur* 1° pro fidelitate in promissis; 2° pro conscientia (« omne quod non est ex fide, peccatum est »: *Rom.* 14); 3° pro fiducia postulata assequendi; 4° pro doctrina catholica. — II. *Fides sic describitur* ab Apostolo, *Hebr.* 11: « Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium » (substantia, id est *basis* spei: argumentum, i. e. convictio). Definitur sic: Fides est *virtus theologica divinitus infusa, qua firmiter assentimur iis, quae a Deo revelata sunt, propter auctoritatem ipsius revelantis.*

735. — **Divisio.** — *Fides theologica* est *explicita*, vel *implicita: viva* seu operans, et *mortua* seu non obediens praeceptis: *formata* seu cum charitate, et *informis* seu charitate carens (charitas est forma extrinseca virtutum per quam habent, ut sint Deo gratae et meritoriae). — Nota quod propositio Ecclesiae est essentialis ad fidem theologicam catholicam et universalem: secus quoad fidem theologicam alicuius particularis cui certo fieret revelatio.

736. — **Fides sit viva,** ut perfectus sis fidelis. Etenim ipsa vox fides ad hoc te invitat, iuxta illud pulcherimum verbum S. Augustini: « Fides appellata est ab eo, quo fit quod dicitur: duae syllabae sonant cum dicitur fides. Prima syllaba est a facto, secunda a dicto; interrogo ergo te utrum credas? dicis: credo; fac quod dicis, et fides est ».

737. — **Virtuti fidei correspondent** duo dona Spiritus Sancti: donum scilicet *intellectus*, et donum *scientiae*. Primum reddit intellectum facile mobilem a Spiritu Sancto, ad assentiendum firmiter secundum regulas superiores primis veritatibus Divinitatis, quae sunt quasi prima principia credendorum. Donum

scientiae reddit intellectum facile mobilem a Spiritu Sancto ad assentiendum aliis credendis per causas inferiores, quasi conclusionibus, secundum quod invisibilia Dei, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, et creditu digna iudicantur. — Dono intellectus correspondet sexta beatitudo: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt!* Dono scientiae correspondet tertia beatitudo: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Ex fructibus autem Spiritus Sancti correspondet dono intellectus, ille quem Apostolus vocat fidem, consistens in speciali quadam certitudine de revelatis a Deo per hoc donum acquisita quae perficit assensum virtutis Fidei. — Ita Ant. a Sp. S. et scholastici cum D. Thoma, etc.

738. — **Actus fidei.** — I. Actus fidei sunt: 1° corde credere; 2° ore confiteri; 3° opere confirmare; 4° omnia pro fide sustinere, imo proprium sanguinem pro fide fundere; 5° fidem dilatare; 6° fidem defendere, et fortiter fidei impugnatores propugnare, iuxta propriae conditionis possibilitatem, etc. — II. Nota: Aliud est credere Deum, aliud credere in Deo, aliud credere Deo. Credere Deum, est ipsum credere esse: credere in Deo, est credendo ipsum amare: credere Deo, est credere verbis eius (S. Bonav.). Quoad obiectum et necessitatem fidei, cfr. Theol. Moral. ubi de fide.

739. — **Dignitas fidei.** — I. « Fides est religionis sanctissimae fundamentum; charitatis vinculum, amoris subsidium; sanctitatem firmat; castitatem roborat, dignitatem exornat; in pueris splendet, in iuvenibus floret, in perfectis apparet; gubernat sexus; gradus provehit, officia cuncta custodit; in paupere grata est, in mediocri laeta, in locuplete honesta; amicitias servat, collegia copulat, artes commendat; nullum despicit, nullum contemnit, nulli

deest, nisi qui ei forte defuerit; mandata tenet, praecepta servat, promissa consummat; familiares efficit Deo, amicos constituit Christo » (S. Chrysost.). — II. « Fides est propugnaculum christianorum contra universas insidias daemonum » (B. Dion. Carth.). — III. « Fides attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique aeternitatem suo vastissimo sinu quodammodo circumcludit » (S. Bern.).

740. — **Monita generalia.** — I. *Humilitas valde iuvat ad fidei vigorem.* Unde « valde hoc Deo placet quod homo de his quae ad fidem pertinent et ad divinum honorem, quae non capit intellectu, humili veneretur affectu » (B. Dion. Carth.). — II. « Fides debet esse primo solida, in credendo vera fideliter; secundo devota, expectando promissa certitudinaliter; tertio magna, in operando ardua viriliter » (S. Bonav.). — III. Fides sit totius vitae tuae lumen, ornamentum et robur. « Piscis bonus, pia est fides: vivit inter fluctus, nec frangitur, nec solvitur fluctibus; vivit inter tentationes, tempestatesque huius saeculi pia fides; saevit mundus, et integra est » (S. Aug.). — IV. « Si dormiat fides vestra, dormit Christus in vobis: in quo autem non dormit fides, vigilat Christus (id.).

741. — **Monita specialia.** — I. Ora ut adaugeatur tibi fides, ut totus spiritualiter ex fide vivas.

742. — II. Ora, labora, omnibusque mediis cura, ut omnes fidei praecones apud populos barbaros et infideles adiuventur: ora praesertim, et pro viribus dona quid poteris, pro parvulorum infidelium salute: ac proinde operibus S. Infantiae et Propagationis fidei te adscribe, illaque propaga.

743. — III. Memento frequenter ut gratias agas pro

fidei beneficio tibi et parentibus tuis tributo: agnosce, christiane, dignitatem tuam.

744. — IV. Humanum timorem, et hominum mundanam opinionem nihili facias, ut iuxta fidei normam in maximis minimisque vivas. Fuge prudentiam huius saeculi, et noli exteriorem domus tuae, uti aulam receptionis et refectionis, quasi saecularizare.... heu! quot etiam devoti fideles varios mores christiános idolo saeculi hodie sacrificant, et sub variis praetextibus quemdam quasi paganismum sectantur cum hoc mundo!

745. — V. Cave et sollicite evita immoderatum modernae et quasi rationalistae) criticae pruritum, circa veneratissimas et salutares traditiones populorum catholicorum, circa celeberrima sanctuaria et miracula.... Multi hodie videri volunt sapientes per spiritum contradictionis (quasi a priori) adversus omnia quae expressis documentis, variisque monumentis non evidentissime probantur. Non certe iuvat pietatem serio fovendam critica haec immoderata. Non debes quidem nimis esse credulus circa historias quae saepe narrantur et diversimode traduntur absque solido aliquo fundamento saltem venerabilis traditionis; sed ad vitandum excessum istum, cave iterumque cave a contrario seu a *spiritu moderno,* pietati et fervori contrario, ut monet S. Ligorius.

Art. II. — De Spe.

746. — **Notio Spei.** — I. Spes sumitur: 1° pro obiecto spei; 2° pro eo a quo speratur bonum: 3° pro eo per cuius intercessionem speramus bonum; 4° pro habitu vel actu sperandi. — II. Definitio. Spes theologica est *virtus theologica divinitus infusa, qua ex liberali Dei promissione fiducialiter nobis desideramus*

bonum infinitum per Dei auxilia et merita nostra (praesuppositis meritis Christi) *obtinendum: vel virtus theologica, per quam certa cum fiducia beatitudinem aeternam et media illius consequendae a Deo expectamus.* – Deum cognoscimus per fidem ut bonum nostrum in quo nostra consistit beatitudo. Deinde desideramus Deum possidere et speramus ad tantam felicitatem pervenire.

747. — **Divisio.** — I. Spes est *habitualis*, vel *actualis; formata* seu cum charitate, vel *informis*. Vide quae dicta sunt ubi de fide formata, etc. — II. Alii spem dividunt etiam in spem *robustam*, quae, aiunt, commune nomen spei retinet, et *firmissimam*, quam *fiduciam* vocant.

748. — **Spes sit formata**, et magis magisque per charitatem fiat in nobis robusta et operans. « Dicit fides: parata sunt magna, inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes: mihi illa servantur. Nam tertia quidem charitas: curro ego, ait, ad illa » (S. Bernardus). Deum dilige, et omnia tolerabilia fient, ed valde in te crescet spes: « Tanto spes in Deo solidior surgit, quanto pro illo graviora quisque pertulerit » (S. Greg.).

749. — **Virtuti spei correspondet** donum timoris, quod simul cum spe subiectatur in voluntate, et sic voluntatem disponit, et modificat, quod non transeat ad praesumptionem, dum ad effectum spei conatur. Timor qui est donum Spiritus Sancti est timor filialis, sive castus, et reverentialis, et nullo modo servilis. Dicitur in principio initialis, deinde perfectus. Huic dono correspondet prima Beatitudo: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum.* Et ex fructibus Spiritus Sancti correspondet modestia, continentia et castitas. Cfr. D. Th. 2, 2, q. 18. — Ant. a Spir. S.

750. — **Actus Spei.** — I. Praecipui actus spei sunt: 1° Statim ad Deum in necessitatibus recurrere; 2° Eo maior difficultas, eo firmior conatus ad spem obfirmandam, nec cessare a postulando divinum auxilium; 3° Interius ad Deum suspirare in periculis, etc., et exterius patientiam et mansuetudinem conservare; 4° Sanctorum intercessionem et praecipue Auxiliatricis nostrae Mariae implorare; 5° Divinae voluntati se conformare, et simul propriam obligationem non negligere; 6° Deo ferventius servire, ut sit nobis propitius; 7° Nunquam desistendum ab oratione, quamvis effectus desideratus tardet. Ora, ora, postula, et dives eris. — II. Gradatim obfirmatur spes: 1° Proposito firmiter sperandi omnia necessaria a Deo Summo Bono et Omnipotenti; 2° Constanter sperando, quidquid eveniat, quidquid nos terreat; 3° Alacriter et gaudenter sperando. — Vide varia quae occasione passionis spei tradita sunt, ubi de passionibus.

751. — Nota: Spes reperitur in omnibus iustis viatoribus quantumvis charitate praeditis: unde fictitius est status in quo mens Deum ita diligat, ut iam non poenarum metu, nec mercedis desiderio moveatur, ut patet ex condemnatione Quietismi et Semiquietismi.

752. — **Dignitas Spei.** — I. Spes est quasi columna quae totum spirituale aedificium sustentat; qua deficiente, aedificium corruit, et in barathrum desperationis concidit (S. Laur. Iust.). — II. Spes a tribulatione liberat et confortat, mentem elevat (S. Bonav.). — Ubi de passionibus, vidisti alia variis virtutibus perutilia. — Vide alia praecipue quoad obligationem spei, in *Theologia Morali.*

Art. III. — **De Charitate.**

753. — **Notio Charitatis.** — I. Charitas *etymologice* est « quasi charitas seu cara unitas » (S. Antonin.). Sumitur 1° pro obiecto circa quod versatur (Deus charitas est); 2° pro Dei in homines dilectione; 3° pro quocumque amore boni aut bona voluntate; 4° pro amore supernaturali quo Deum et proximum diligimus. — II. Definitio. Charitas est *virtus theologica infusa, qua Deum super omnia diligimus propter se, et proximum sicut nos propter Deum.* — III. Charitas est vinculum perfectionis, id est, aliarum virtutum conversatio, consummatio, nexus ac ligamentum (B. Dion. Carth.). — IV. Charitas est virtutum virtus, inter omnes virtutes tenens principatum; ipsa namque caeteris virtutibus tribuit vigorem, et cunctis bonis operibus praestat valorem (id.).

754. — **Divisio.** — I. Charitas est *habitualis*, vel *actualis*. — II. Iuxta aliquos et minus scholastice, charitas dividitur in *affectivam* vel *effectivam*, secundum illud (Ioan. 3, 18): « Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate ». Cfr. Alapide, et Expositores. Etenim qui verbo tantum dicit amare, et non vult Domino obedire, saltem in gravibus praeceptis, nec charitatem habet.

755. — **Virtuti charitatis correspondet** donum Sapientiae, cuius est iudicare de rebus divinis per altissimas causas, per quod differt a dono Scientiae, quod iudicat de rebus per causas inferiores. Hoc autem iudicium Sapientiae est sine discursu ex quadam unione et connaturalitate ad Deum per charitatem, ac ex gustu et sapore inde profecto; nam iudicium quod fit cum discursu de rebus divinis, pertinet ad Theologiam Scholasticam, quae est virtus

intellectualis. Huius doni actus est contemplari, et attendere rebus divinis et conspiciendis et consulendis; ipsi correspondet septima beatitudo: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Ex fructibus Spiritus Sancti quinque virtuti charitatis assignantur, scilicet: charitas pro actu dilectionis, gaudium, pax, bonitas, benignitas. — Ant. a Sp. S. Cfr. D. Th. 2, 2, q. 23, 46, ubi haec omnia fusius traduntur.

756. — **Actus charitatis.** — I. Nota quod « quadruplex est charitas: incipiens, quae nascitur; proficiens, quae nutritur; perfecta, quae roboratur; perfectissima quae mortem desiderat » (Hugo Card.). Perfectus amator cupit dissolvi et esse cum Christo (1).

757. — II. Quatuor sunt quae ex charitate oriuntur: revereri Deum; proximum diligere; relevare oppressum; errantem corrigere (S. Th.): tantaque est eius vis quod « omnium virtutum forma est charitas), cum per ipsam omnium virtutum actus in debitum et ultimum finem ordinentur » (id. 2, 2, q. 23, a. 1).

(1) Angelicus, 2, 2, q. 24, a. 8: « Ex parte vero diligentis tunc est charitas perfecta, quando diligit tantum quantum potest. Quod quidem contingit tripliciter: uno modo sic quod totum cor hominis actualiter feratur in Deum; et haec est perfectio charitatis patriae, quae non est possibilis in hac vita.... Alio modo ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo et rebus divinis, praetermissis aliis, nisi quantum necessitas praesentis vitae requirit; et ista est perfectio charitatis, quae est possibilis in via; non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo ita quod aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita scilicet quod nihil cogitet vel velit quod divinae dilectioni sit contrarium; et haec perfectio est communis omnibus charitatem habentibus ».

758. — III. *Praecipui actus charitatis sunt:* 1° Complacere sibi in summa Dei bonitate; 2° Velle Deo suum bonum intrinsecum et gaudere quod perfectissimus sit; 3° Peroptare ut sanctificetur nomen Dei, seu ut glorificetur ab omnibus; 4° Dolere de peccatis nostris et alienis, et omnibus vitiis bellum inferre, ut nos et omnes homines Deo deserviamus fideliter; 5° Desiderare perfectionem in via, et maiorem gloriam in patria et quam citius, ut illi semper uniamur; 6° Diligere proximum verbo, ore, corde, opere et veritate, et Deum in operibus suis laudare, et ad maiorem amorem in via excitari; 7° De Deo loqui peramanter, et cum eo in oratione frequenter conversari; 8° Occasiones Deo placendi etsi minimas non negligere; 9° Omnia adversa pro Deo tolerare patienter laetanterque; 10° Amorem frequentissime postulare.

759. — **Dignitas** charitatis patet ex dictis numero praecedenti. — Vide varia utilissima, occasione passionis amoris in suo loco tradita. — Quoad praeceptum charitatis, vide Theol. Moral.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Magna fuit erga miseros misericordia Mariae adhuc exsulantis in mundo.... Maiorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc vidit innumerabilem hominum miseriam (S. Bonaventura).

Mariam invoca. — Eia, potentissima ad impetrandum, cui nihil negatur; impetra mihi illuminationem cordis mei, ad vere cognoscendam et detestandam omnem pravitatem, vilitatem et nihilitatem meam: ut ex animo meipsum despiciam, odiam, et ab omnibus despici, confundi, conculcari, et vilis-

simus reputari cupiam, et absque ulla perturbatione sustineam et diligam (Ioan. Lansperg.).

MARIAM LAETIFICA. — Beneficia mariana recolendo et celebrando. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. IV. — DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

760. — **Virtutes Cardinales generatim.** — (Vide cap. I per totum). — I. Quatuor sunt virtutes cardinales: prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia. Quatuor sunt quae prudentia nos docet: scilicet praeterita recordari, disponere praesentia, futura praevidere et dubia suspendere. In quatuor fortitudo nos instruit: scilicet prosperos in superbiam non erigi, adversos ad ima non detrudi, iniuriae non sumere vindictam, et iucundam non sumere vitam. Ad quatuor temperantia nos admonet: scilicet circumcidere superflua, restringere desideria, ab illicitis abstinere, et blandimenta reiicere. In quatuor iustitia nos edocet: scilicet honeste vivere, alterum non laedere, sobrie iudicium discurrere, et unicuique ius suum tribuere (S. Thomas).

761. — II. Quia virtus perfecta est constans et firmus *ordinis amor;* merito S. Aug. ait: « Temperantia est amor integrum se praebens ei quod amatur; fortitudo, amor facile tolerans omnia propter quod amatur; iustitia, amor soli amato serviens; prudentia, amor ea quibus adiuvatur, ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens ». Unde « in hac vita virtus non est nisi diligere quod diligendum est: id eligere prudentia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, iustitia est ».

762. — III. Oportet quod temperantia sit prudens, iustitia fortis, prudentia sobria, fortitudo iusta (S. Bonav.). Prudentia rectificat vim rationalem, fortitudo sive magnanimitas irascibilem, temperantia concupiscibilem, iustitia omnes vires (id.).

Art. I. — De Prudentia.

763. — **Notio Prudentiae.** — I. Prudentia *etymologice* idem sonat ac *procul* videns, et prudens quasi porro videns: perspicax enim est et incertorum praevidet casus » (S. Isidor.). — II. Prudentia sic definitur: Virtus moralis qua discitur quid in quolibet negotio agendum sit vel fugiendum: vel recta ratio rerum a nobis agibilium (S. Antonin.). Cui concordat S. Th. dicens: « Sicut ars est recta ratio factibilium, sic prudentia est recta ratio agibilium » (1, 2, q. 58, a. 2). — III. Eius obiectum sunt actiones humanae particulares quatenus iudicantur conformes vel disconformes cum veritate hic et nunc practica. Unde, prudentia licet sit virtus intellectualis moralis, quia et mentem perficit in veritatis speculatione, et voluntatem dirigit in boni prosecutione; communiter tamen adnumeratur inter virtutes morales utpote opus et praxim potissimum respiciens. Ergo merito prudentiam definivit Aug.: Rerum appetendarum fugiendarumve scientiam.

764. — **Divisio.** — I. Iuxta D. Th. partes integrantes Prudentiae sunt: 1° *Memoria*, ex qua nascitur experientia. — 2° *Intelligentia* (praesentium et primorum principiorum practicorum cognitio). — 3° *Providentia* (praescientia). — 4° *Ratio* (promptitudo ratiocinandi). — 5° *Docilitas* (ad sciendum ex aliis prudentibus). — 6° *Solertia* (seu sagacitas ad applicanda media). — 7° *Circumspectio* (attenta omnium circumstantium consideratio). — 8° *Cautio* (ad vitanda incommoda, et cavendum ne sub specie boni, voluntas applicetur malis).

765. — II. Partes subiectivae seu species Prudentiae sunt: 1° *Monastica* (seu *personalis* sive *solitaria:* moderatur seipsum). — 2° *Œconomica* (ad recte

gubernandam familiam). — 3° *Politica* (seu *civilis:* ad bene administrandam rempublicam). — 4° *Legislativa* (seu *regalis:* Supremorum Capitum). — 5° *Militaris* (ad recte militandum).

766. — III. Partes potentiales seu officia Prudentiae sunt: 1° *Eubulia* (latine, *bona consultatio*. — 2° *Synesis* (latine sensate discernere, seu recte iudicare). — 3° *Gnome* (latine sententia, pronuntiatum aut imperium: ad praxim reducit quod bene consultatum et iudicatum est).

767. — **Prudentiae opponuntur per defectum.** — 1° *Eubuliae* opponitur *praecipitatio;* 2° *Synesi inconsideratio;* 3° *Gnomae inconstantia* et *negligentia.*

768. — **Prudentiae opponuntur per excessum:** 1° *Prudentia carnis* (naturae corruptae indulget: unde inimica est Deo). — 2° *Astutia* seu *Calliditas* aut *Versutia* (excogitat media ad fallendum). — 3° *Dolus* (executio astutiae seu Machinatio ad fallendum). — 4° *Fraus* (executio astutiae per facta). — 5° *Nimia sollicitudo temporalium.*

769. — **Virtuti prudentiae correspondet** donum consilii, quod se extendit non solum ad actum consilii, sed etiam ad actum iudicii, et imperii: denominatur tamen a consilio, ubi in mente consiliata, potius apparet motio Spiritus Sancti, quam in iudicio, et imperio quibus mens videtur seipsam, et alios movere, non autem moveri. Huic dono correspondet quinta beatitudo: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Non assignat Apostolus inter duodecim fructus, aliquem pro dono consilii, vel pro virtute prudentiae; cuius ratio est, quia fructus importat rationem ultimi; non est autem ultimum in intellectu practico, sed in operatione alterius potentiae directae per cognitionem practicam, quae operatio dabitur, ut fructus charitati, miseri-

cordiae, vel alteri virtuti, qua eliciatur, non autem prudentiae vel dono consilii. — Ant. a Spir. S. Cfr. D. Th. 1, 2, q. 47, etc.

770. — **Actus prudentiae.** — 1° Nihil agas quod postea debeas deplorare. — 2° Ne turberis ob diversos huius vitae eventus, nihilque inexpectatum in terra habeas. Fuge peccatum ut verum malum, et patienter tolera adversitates. — 3° Ob casus adversos nullatenus turberis: sed ora, Deum cogita.

771. — **Dignitas prudentiae.** — Prudentia vocata fuit a D. Bonaventura: « Auriga virtutum »: ipsaque « docet quomodo praesentia ordines, quomodo praeteritorum recorderis, et futura quotidie provideas » (S. Aug.).

772. — **Monita.** — I. Sollicite cura ut per prudentiam saluti tuae consulas, et non tantum alieno bono: « Quid, o homo, in omnibus es prudens, et circa teipsum es insipiens? » (S. Bern.). — II. Cave ne superbia elatus te prudentem valde existimes, et tibi aliisque nocumentum inferas: « Qui suo iudicio prudens est, is te et monita aspernatur, et in contrariam sententiam trahitur, et ei qui dat consilium fit adversarius » (S. Iustin.). « Ergo prudentes alios esse existimare debemus, nec prudentiam nobis tribuere et quasi vindicare » (Id.).

Art. II. — **De Iustitia.**

773. — **Notio iustitiae.** — I. Iustitia sumitur 1° pro gratia sanctificante; 2° pro complexione omnium virtutum; 3° pro speciali virtute morali, de qua agimus. Unde. — II. Iustitia definitur ab AA. cum D. Th.: *Perpetua et constans voluntas ius suum unicuique tribuens:* S. Bonav. iisdem concordat, et alias

etiam tradit iustitiae definitiones. Sic ait: *Iustitia est quaedam animi nobilitas suam cuique tribuens dignitatem; superioribus reverentiam, paribus concordiam, inferioribus disciplinam.* — III. Obiectum iustitiae sunt res alteri debitae et reddendae, prout stricte debitae, et ad aequalitatem reddendae. — IV. *Ius* est id quod iustum et aequum est, sive: illud quod inter extrema vitiosa est medium.

774. — **Divisio.** — I. Partes subiectivae seu species Iustitiae sunt: 1° *Iustitia distributiva* et *Iustitia commutativa. Iustitia distributiva* servat aequalitatem seu proportionem *geometricam*, seu servat medium *rationis. Iustitia* vero *commutativa* servat proportionem *arithmeticam* seu medium *rei.* — Vide alia in *Theol. Moral.*

775. — II. Partes integrantes Iustitiae sunt: 1° *Declinare a malo.* — 2° *Facere bonum.*

776. — III. Partes potentiales Iustitiae, seu illae quibus veluti facultatibus actus suos iustitia exercet, sunt: 1° *Religio* (erga Deum). — 2° *Pietas* (erga parentes, etc.). — 3° *Observantia* ad quam reducitur *obedientia* (honor et obsequium Superioribus). — 4° *Veritas* seu *veracitas.* — 5° *Gratia* seu *gratitudo* (erga Deum, parentes, benefactores). — 6° *Vindicatio* (spectat ad iudices et similes. — 7° *Liberalitas* (recta ratio pecunias dandi et accipiendi). — 8° *Amicitia* (qua aliqui ad invicem mutua apertaque benevolentia se bonis afficiunt, causa honestatis et non tantum utilitatis). — 9° *Affabilitas* (qua in vitae consuetudine faciles et gratos ut decet, nos exhibere studemus).

777. — **Opponitur iustitiae** partibus potentialibus: 1° Religioni, *irreligiositas*; 2° Pietati, *impietas;* 3° Observantiae, *inobservantia;* 4° Veritati, *mendacium;* 5° Gratiae, *ingratitudo;* 6° Vindicationi, *ex-*

cessiva clementia; 7° Liberalitati, *avaritia* et *prodigalitas;* 8° Amicitiae, *inimicitia;* 9° Affabilitati, *adulatio* et *asperitas.*

778. — **Religio** est *virtus moralis, per quam Deo, tamquam primo rerum omnium principio, cultus exhibetur.* — *Eius actus interni* sunt DEVOTIO et ORATIO. (*Devotio* est generalis actus Religionis a quo caeteri omnes informari debent, et a D. Th. definitur: « *Voluntas efficax se prompte tradendi ad ea quae pertinent ad Dei famulatum* ». *Externi* vero: ADORATIO, SACRIFICIUM, VOTUM, etc.

779. — **Notandum circa devotionem.** — I. *Devotio* derivatur a verbo *devoveo;* et sumitur pro propensione particulari animi ad Deum.

780. — II. Causa extrinseca devotionis est Deus; intrinseca, meditatio... Devotio praesupponit charitatem; differt tamen a charitate...

781. — III. Devotio est SUBSTANTIALIS seu INTELLECTUALIS (memento quod devotio principaliter est actus voluntatis; minus principaliter, actus intellectus), cuius promptitudo nititur in consideratione principiorum fidei, et sufficit ad devote in substantia operandum; vel ACCIDENTALIS, *integralis seu affectiva,* quando, dictae promptitudini accedit suavis quaedam affectio, quae ineffabili modo dura quaeque in via Domini suavia efficit (si tantum interius sit sensibilis, vocatur *affectiva simpliciter;* si exterius per lacrymas, etc., vocatur *devotio sensibilis*).

782. — IV. *Devotio substantialis* absolute petenda; nec est sine dulcedine intellectuali. *Accidentalis* vero petenda conditionate. Scito quod sublatis delectationibus carnalibus, faciles sunt spirituales.

783. — V. *Devotio* etiam sensibilis procuranda est (et omnino errant contrarium asserentes) ut vitae perfectae valde conducens: « Gustate et videte quo-

niam suavis est Dominus » (*Ps.* 33). Hinc Cat. Rom. ait: « Lacrymae in contritione summopere optandae et commendandae sunt ». Utraque devotio obtinetur humilitate, oratione et mortificatione.

784. — VI. Cessante aut tardante sensibili devotione, noli turbari, sed humiliter expecta, ora, fortiter persevera in consuetis exercitiis, et magnum erit animae lucrum, et Deus in tempore opportuno visitabit te.

785. — **Virtuti iustitiae, ratione religionis annexae, correspondet** donum pietatis, secundum quod Deo ut Patri cultum et debitum officium exhibeamus ex instinctu Spiritus Sancti. Huic dono correspondet secunda beatitudo: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram;* quamvis iuxta propriam ipsius rationem, ei respondeat tam quarta, quam quinta beatitudo; quarta quippe dicitur: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quinta vero dicitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur:* Iustitia autem, quam sitiunt, habet connexionem cum dono pietatis, et opera misericordiae pertinent ad pietatem. Ant. a Sp. S. Cfr. D. Th. 2, 2, *passim.*

786. — **Actus iustitiae.** — Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis (Matth. 8, 12). Esto fidelis in promissionibus Deo et hominibus factis, et caeteris debitis quibus erga Deum et homines obstringeris. Ergo, 1° nulli damnum inferas verbo, consilio, facto; 2° bonum alterius promove; 3° nihil ultra necessitatem pete; 4° conserva humilitatem et charitatem et iustitiam circa munera et dignitates; 5° si Superior es, zelare debes observantiam legum, commodis subditorum incumbere, et mala ab ipsis avertere, etc. Cfr. Theol. Mor. circa obli-

gationes dimanantes ex iustitia distributiva, commutativa et legali.

787. — **Dignitas iustitiae.** — I. Eius officium innumera et quasi infinita attingit, iuxta illud S. Hieronymi: « Infinitae sunt species partesque iustitiae, quas non modo stilo persequi, sed cogitatione etiam capere, difficillimum est ». — II. « O iustitia, qui te amaverit, qui te strinxerit, cum Moyse mare mundi vitiorum sanguine rubricatum, sicco vestigio pertransibit » (S. August.). — III. « Tantum quisque peccatum odit, quantum iustitiam diligit » (id.).

Art. III. — De Fortitudine.

788. — **Notio Fortitudinis.** — I. Fortitudo quam Aristot. vocat: « Mediocritatem inter audaciam et timorem constitutam », proprie definitur: *Virtus cardinalis inclinans voluntatem hominis ad pericula mortis tempore et loco debito aggredienda, et ad labores perferendos pro consecutione boni necessarios;* vel iuxta alios: *virtus moderatrix timoris in periculis, ubi et quando ratio praecipit, adeundis, aut adversis rebus sustinendis.* — II. Eius obiectum sunt pericula et labores, quatenus ad honestatem homo circa illa moderate se habet.

789. — **Divisio.** — I. Partes subiectivae istius virtutis sunt: 1° *Magnanimitas* (ad omne arduum ex motivo propriae honestatis). — 2° *Patientia* (temperat animi moerorem ob adversa, et mala aequanimiter tolerat). — II. Partes integrantes Fortitudinis sunt: 1° *Fiducia* seu *confidentia.* — 2° *Magnificentia* (ad faciendos magnos sumptus, ubi et quando iuxta rectam rationem expedire videtur: continet pecuniae contemptum — 3° *Perseverantia*

seu *constantia* (non frangitur diuturnitate, difficultate, etc.).

790. — **Opponitur.** — I. Opponitur fortitudini: — 1° *Temeritas* seu *audacia* (quae aggreditur pericula ubi et quando non oportet); 2° *Timiditas* seu *ignavia* (quae nihil audet...). — II. Magnanimitati opponitur per excessum: — 1° *Praesumptio* (ex nimia fiducia aggreditur quod est supra vires); 2° *Ambitio* (nimis appetendo honores). Per defectum vero: *Pusillanimitas* (facile imparem se reputat). — III. Patientiae opponitur. — 1° *Impatientia,* per excessum; 2° *Insensibilitas*, per defectum (insensibilitas nec suis nec aliorum malis tangitur). — IV. Fiduciae opponitur. — 1° *Audacia;* 2° *Pusillanimitas* (ut dictum est de fortitudine). — V. Magnificentiae opponitur. — 1° *Profusio pecuniae* (contra rectam rationem); 2° *Parvificentia* (indecenter sumptus faciendos). — VI. Perseverantiae opponitur. — 1° *Pertinacia* (continuando incoepta cum non oportet); 2° *Inconstantia,* quae etiam vocatur *mollities animi* (irrationabiliter et faciliter desistendo ab incoepto).

791. — **Virtuti fortitudinis correspondet** donum Spiritus Sancti eiusdem nominis, per quod donum fortitudinis altero modo roboratur et movetur animus contra pericula, simulque conceditur fiducia, et magna securitas triumphandi de inimicis Dei per tolerantiam passionum. Huic dono correspondet quarta beatitudo: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Ex fructibus autem enumeratis ab Apostolo correspondet tam virtuti, quam dono fortitudinis, patientia et longanimitas: patientia quidem, quae est actualis tolerantia malorum, qua quis possidet animam suam; longanimitas autem, qua suffertur expectatio diuturna bonorum. — Ant. a Sp. S. Cfr. D. Th. *passim.*

792. — **Actus fortitudinis.** — 1° Mortis pericula, imo ipsam mortem intrepide, quando opus sit, sustinere, praesertim in causa fidei et heroicae erga peste laborantes charitatis. Unde *Martyrium* est nobilissimus fortitudinis actus. — 2° Quaelibet alia pericula propter defensionem virtutum fortiter pro Deo et propter Deum tolerare. — 3° Tentationes intrepide sustinere et fortiter reiicere (de propriis viribus diffidendo, sed in Domino firmiter sperando et Deum orando). — 4° Mentem in adversis et prosperis roborare ad vitandam superbiam et desidiam, etc. — 5° Mentis tranquillitatem in adversis casibus retinere. — 6° Ardua prudenter et cum magna in Deum fiducia aggredi. — 7° Pericula vires nostras excedentia, sine anxietate vitare. — 8° Seipsum constanter generose vincere et abnegare. — 9° In oratione fideliter, fortiterque, non obstante difficultate, perseverare, quando magna instant pericula, et mens multum agitari incipit, ut animus serenitatem conservet, etc. — Ergo Deum considera, et quando opus erit, omnia poteris in eo qui te confortabit.

793. — **Dignitas fortitudinis.** — I. Maxime decorata fuit maximo mirabilique Martyrum exercitu... — II. Ille magnus, ille sublimis, ille potens atque dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi vitii rebellare, aut dominari permiserit (S. Prosper.). — III. Fortitudine stat homo in adversis inconcussus, in repentinis imperterritus (B. Alan. de Rupe). — Vide tamen ut tua fortitudo sit genuina: Fortitudinem gentilium, mundana cupiditas: fortitudinem autem christianorum Dei charitas facit (S. Prosper.). — Memento quod vir fortis contra carnales tentationes ille est qui fugit. Noli ergo in

immunditiis quasi cum diabolo conversari, ut alibi dictum est. — Fortitudinem comitetur humilitas.

Art. IV. — **De Temperantia.**

794. — **Notio Temperantiae.** — I. Temperantia definitur: *Virtus moralis, quae iuxta rectae rationis dictamen, moderatur affectum, usumque voluptatum gustus et tactus:* vel melius: *Virtus refraenans ac moderans inordinatos appetitus, et concupiscentias ac voluptates corporis, quibus praesertim gustus et tactus afficiuntur.* — II. Eius obiectum sunt delectationes corporeae quatenus honestae vel inhonestae. — III. Hinc « temperantia est virtus, sine qua omnis virtus est sine modo, quasi equus sine freno » (S. Bonav.): estque « amor Deo sese integrum, incorruptumque conservans » (id.); diciturque et merito, quod « temperantia modum ordinemque servat omnium, quae vel agenda, vel dicenda arbitramur » (S. Ambros.).

795. — **Divisio.** — I. Partes subiectivae seu species Temperantiae sunt: 1° *Abstinentia* (circa esculenta). — 2° *Sobrietas* (circa potum). — 3° *Castitas* (circa venerea): estque *virginalis, vidualis, coniugalis.* — 4° *Pudicitia* (moderatur oscula, tactus, amplexus; estque perturbatio animi de iis quae dedecus inferre videntur).

796. — II. Partes potentiales temperantiae sunt: 1° *Continentia* (contra concupiscentiae motus). — 2° *Humilitas* (1), seu virtus inclinans hominem

(1) Angelicus, 2, 2, q. 161, a. 5, ad 2 de dignitate humilitatis haec habet: Ordinata virtutum congregatio per quandam similitudinem aedificio comparatur, ita etiam quod est

ad sui vilitatem ingenue profitendam, et temperans inordinatum appetitum tendendi ad excelsa). — 3° *Mansuetudo* (moderatur vim). — 4° *Clementia* (moderatur vindictam). — 5° *Studiositas* (moderatur sciendi cupiditatem). — 6° *Modestia* (debito modo continet in verbis, factis, vestibus et rerum usu, iuxta conditionem proprii status). — 7° *Eutrapelia* seu *Urbanitas* (moderatur recreationes).

797. — III. Partes integrantes Temperantiae sunt: — 1° *Verecundia* (retrahit ab inhonestis et turpibus cupiditatibus). — 2° *Honestas* (retrahit ab inhonestis voluptatibus, inclinatque ad decorem in earum fuga relucentem).

798. — **Opponitur temperantiae**: 1° *Insensibilitas* seu *stupor* (fugiendo corporeas delectationes omnes, etiam necessarias ad vitam). — 2° *Intemperantia* (appetendo inordinate voluptates et honores). — 3° *Gula*. — 4° *Luxuria*. — 5° *Impudicitia*. — 6° *Incontinentia*. — 7° *Superbia*. — 8° *Iracundia*.

primum in acquisitione virtutum, fundamento comparatur, quod primum in aedificio iacitur. Virtutes autem vere infunduntur a Deo. Unde primum in acquisitione virtutum potest accipi dupliciter: uno modo per modum removentis prohibens: et sic humilitas primum locum tenet, in quantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, et praebet hominem subditum, et paratum ad suscipiendum influxum divinae gratiae... Alio modo est aliquid primum in virtutibus directe, per quod scilicet iam ad Deum acceditur. Primus autem accessus ad Deum est per fidem. — In 4. dist. 33, q. 3, a. 3 ad 6: Humilitas videtur virtutibus (theologicis) propinquissima esse, quia per eam homo se ex reverentia Deo subiicit, et per consequens alii propter Deum. — Et 2, 2, q. 161, a. 6, c.: Humilitas essentialiter in appetitu consistit..., sed regulam habet in cognitione...: et utriusque principium et radix est reverentia quam quis habet ad Deum.

— 9° *Crudelitas* (contra clementiam). — 10° *Curiositas* (contra studiositatem). — 11° *Immodestia.* — 12° *Scurrilitas* seu *inurbanitas* (contra eutrapeliam seu urbanitatem). — 13. *Inverecundia.* — 14° *Impudentia* (contra honestatem), etc.

799. — **Virtuti temperantiae correspondet** donum timoris, quo quis refraenatur a delectationibus carnis, iuxta illud Psalmi: Confige timore tuo carnes meas (Ita D. Th. 2, 2, q. 141, a. 1 ad 3). Donum timoris principaliter respicit Deum, cuius offensam vitat, et secundum hoc correspondet virtuti spei; secundario autem potest respicere quaecumque aliquis fugit ad vitandam Dei offensam; maxime autem homo indiget timore divino, ad fugiendum ea, quae maxime alliciunt, circa quae est temperantia, et ideo temperantiae etiam correspondet donum timoris. Huic autem dono ut coniuncto virtuti temperantiae correspondet haec beatitudo: *Beati mites, quia ipsi possidebunt terram;* et ex fructibus correspondent castitas, et continentia (Ant. a Sp. S. — Cfr. D. Th. *passim).*

800. — **Actus temperantiae**: 1° Abstinere ab illicitis; 2° Moderari licita; 3° Debito modo a delectationibus licitis saepe abstinere.

801. — **Dignitas temperantiae.** — I. « Temperatum omne tam Deo quam hominibus est acceptabile » (V. Beda). — II. « Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Libidines fraenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat. Omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat » (S. Prosper.).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — O quam innumeri peccatis dediti iam Deum deseruerant, omnemque coelestis patriae coetum, Deumque ipsum abiurarant ac negarant, et in desperationis voraginem sese praecipites dederant, atque a Deo misere separati erant, qui tamen tibi innitentes, atque ad te confugientes, a te benignissime servati sunt, donec te intercedente apud Deum, in gratiam restituerentur (B. Henr. Suso).

MARIAM INVOCA. — Sub tuo regimine, Domina, volo de caetero militare, et me totaliter tuae dominationi committo, ut me plenarie regas et gubernes (S. Bonav.).

MARIAM LAETIFICA. — Exultans ergo et gaudens magnitudinem Matris nostrae *(et magnam eius misericordiam)* celebrans, et devote ac reverenter ad ipsam accedens dicito: *Salve, o magna, o pia, o multum laudabilis Maria! — Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

TRACTATUS DE VIA UNITIVA

CAP. I. — DE VIA UNITIVA IN SE.

802. — **Praenotandum.** — I. Quoniam in toto praesenti libro actum est de modis perveniendi ad perfectionem et augmentationem divinae charitatis in cordibus nostris, expedit anteacta principia prae oculis habere, ut melius intelligatur *Via unitiva*, de qua, suppositis praesertim quae de viis generatim tradidimus, brevior sermo instituendus est.

803. — II. *Incipiens* purgavit se a vitiis, ut charitas servaretur. *Proficiens*, non relicta purgatione defectuum, et quidem maiori cura purgatus, roboratus est per virtutes quibus veluti tot armis defenditur, et tot margaritis ornatur, ut Deo melius placeat et in maiori charitate obfirmetur. *Perfecti* vero non negligunt quotidianam et pro viribus accuratissimam omnium imperfectionum purgationem, neque praxim virtutum, in nobiliori gradu et ardentiori conatu iam faciliore facto, sed quasi liberi a sollicitudinibus passionum et ordinariarum difficultatum ad virtutes, toti incumbunt charitati, toti in adhaerendo Deo occupantur, unionem cum Dilecto ferventer

prosequentes, imo cupientes dissolvi ut sint cum Christo in dulcedine ineffabili.

804. — **Notio viae unitivae** (1). — Via unitiva ut dictum est alibi) est *illa in qua anima a peccatis purgata et virtutibus illuminata et exornata, principaliter intendit, ut Deo inhaereat, eo fruatur et in eo quiescat:* VEL: *illa in qua passiones ita sunt edomitae, et animus virtutis operationi adeo assuetus, ut in diligendo Deum sese exerceat frequenter, facile, prompte ac delectabiliter* (NOTA: haec delectatio non semper est sensibilis, et saepe Deus permittit ut perfectissimi viri ariditates et difficultates magnas patiantur).

805. — **Differentia** viae unitivae ab aliis viis patet ex dictis. Incipientes principaliter curant mortalia vitare et contra illa roborari; proficientes venialia praecavere et contra illa et mortalia magis perobfirmari; perfecti maxime student ut vitent omnes imperfectiones et defectus voluntarios, Deoque in omnibus placeant ut Ipsi uniantur. Incipientes principaliter resistunt peccato mortali; proficientes facile et prompte illud vitare solent, et *conantur* quamvis cum difficultate venialia praecavere; perfecti facilius ve-

(1) Audiendus Angelicus, 2, 2, q. 24, a. 9: « Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat ut Deo inhaereat, et eo fruatur: et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt *dissolvi et esse cum Christo* ». — Item in 3, dist. 29, q. 1, a. 1, quaest. 1: « Tertius effectus est ut homo iam ad ipsa bona quasi connutritus, quodammodo sibi naturalia habeat ipsa, et in eis quiescat, et delectetur: et hoc ad perfectam charitatem pertinet ». — Ibidem: « Perfecta charitas duos habet gradus. Unus est secundum quod in bonis communibus quasi iam secura conquiescit; et secundum hoc dicitur perfecta: alius secundum quod ad quaelibet difficilia manum mittit; et secundum hoc dicitur perfectissima ».

nialia fugiunt, atque vitant quidquid impedit ne affectus mentis totaliter feratur in Deum.

806. — **Explanationes circa naturam viae unitivae.** — I. Unio de qua agimus est summe desideranda. — II. Certum est unionem de qua agimus non fieri per amissionem esse animae et eius conversionem in Deum; nam hoc est impossibile et repugnat Dei immutabilitati. — III. Haec unio non fit per hoc quod Deus sit intime praesens animae: quia id commune est omnibus rebus, in quibus Deus per immensitatem est praesens. Si vero loquamur de esse per gratiam, omnes iusti sunt Deo uniti: « Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo ». — IV. Haec unio celebratur in potentiis animae, scilicet in intellectu et voluntate, et in his actibus praedictarum potentiarum perficitur, vel *active* per conformitatem voluntatis nostrae ad Dei voluntatem, vel *passive* (de qua loquemur in Mystica speciali) per altissimam Dei contemplationem. — V. Unde anima divino auxilio roborata, propria industria potest pervenire ad unionem *activam*, et ideo *activa* dicitur.

807. — **Officium viae unitivae.** — 1° Velle quidquid Deus vult, quia vult, quomodo vult, quamdiu vult. — 2° Ad Deum per orationes praesertim iaculatorias ac devota desideria aspirare. — 3° Deo toto cordis affectu inhaerere, eique in omnibus obedire et placere. — 4° Pro Deo omnia sive dulcia, sive amara, sive ardua, sive facilia aequali animo et prompta voluntate exequi. — 5° In unione voluntatis nostrae cum divina perseverare, et divinae voluntati immobiliter subiici. — De qua re scribit Blosius, Instit. spir. cap. 1 : « Iam qui eo anhelat, cupiens aliquando perfectus esse, et intimum divinae unionis amplexum experiri, debet abnegationi mortificationique sui

ipsius strenue insistere, et sanctae introversioni diligenter operam dare, atque ad Deum per iaculatorias orationes ac pia desideria ardenter adspirare: debet omnia quae agit aut dimittit, propter Deum agere dimittereque, illum in omnibus pure spectans et illi soli placere desiderans. Ista via, et non alia, ad perfectionem mysticamque cum Deo unionem pertingere poterit. Nos de his pauca quae Deus dederit, scribere statuimus ».

808. — **Finis viae unitivae.** — 1° Non consistit in gustibus internis, extasi, raptu, visionibus, etc. (quae quidem sunt media ad illam non quidem necessaria, sed iuxta divini beneplaciti dispositionem), sed in conformitate et unione voluntatis nostrae cum divina. Unde finis viae unitivae consistit in universali conformitate propriae voluntatis cum divina in omnibus. — NOTA quod reiici debet uti vera tentatio, opinio qua quis crederet se reprobum esse: et non debet in hoc conformari voluntati divinae, quia non debet velle Deo maledicere et ab eo separari: imo si adesset revelatio de reprobatione propria anima nec debet conformari, nec credere quod haec revelatio sit aliud quam salutaris comminatio conditionalis. Fuge ergo a talibus timoribus et opinionibus, et spera in Deo (Cfr. S. Ligor. *praxis amor. erga I. C.* c. 13, n. 9). — 2° Ergo finis viae unitivae supponit ut devotus sibimetipsi moriatur per omnimodam propriae voluntatis abnegationem.

809. — **Signa viae unitivae.** — I. *Amor Dei verissimus et fidelissimus, non verbo tantum sed opere et veritate,* quo anima Deo in omnibus etsi minimis placere studet, et faciliter difficultates venialium et imperfectionum superat.

810. — II. Voluntatem divinam ardentissimo affectu in omnibus quae agere debemus vel agere in-

tendimus quaerere, cum omnimoda obedientia erga Superiorem vel animae Directorem, ne decipiamur in via.

811. — III. Ardentissimus, verus et constans amor proximi; ac proinde vitare voluntarios defectus contra fraternam charitatem.

Hinc: haec unio conformitatis fundatur in amore Dei et proximi, ait Ant. a Spir. Sancto, si in utroque nos amore exercuerimus, et prasertim in amore proximi: plus enim, et certius amorem proximi in nobis experimur quam amorem Dei. Multae namque et evidentes circa proximum dilectionis occasiones occurrunt, quae circa Deum rarius contingunt. Unde merito concludit Evangelista, quod si non diligimus proximum quem videmus, nec Deum diligimus quem non videmus.

812. — Possumus igitur ex amore proximi facile colligere qualis sit in nobis et quam magnus amor Dei; maxime quia Deus in praemium amoris proximi quem nobis tam stricte praecipit, magnum amoris sui incrementum praebet: et si quis defectus in amore proximi saltem frequentes et voluntarios adverterit, certissime sibi persuadeat, quod ad hanc unionem divinam non pervenit, quantumcumque sensibilis gratiae ac devotionis gustum sentiat, et aliqualem in oratione quietis suspensionem experiatur: postulet ergo a Domino ut sibi perfectum amorem proximi concedat.

813. — **Varia.** — I. Dicat saepe devotus in via divinae charitatis ambulans, illud S. Ignatii: « Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo et possideo, mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum

gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco ». Et cum S. Francisco iterato exclamet: « Deus meus et omnia! » et cum David: « Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei et pars mea in aeternum!... Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! » Et cum S. Augustino: « Omnis copia, quae Deus non est, egestas est mihi! »

814. — II. « Unum vult (Deus) nos esse, ut supra mundum simus ; nam qui partitur studium, derivat affectum, et qui dividit curam, differt profectum » (S. Ambros.).

815. — III. Quia perfectio christiana in hac vita non consistit praecise in intensitate gratiae seu charitatis habitualis, sed in *dispositione proxima* qua iustus frequenter, facile prompteque Deo paret, eique in omnibus placere studet; sequitur quod quis potest esse sanctior ex parte gratiae habitualis et simul imperfectior ex parte venialium et inobservantiae divinorum consiliorum: ac proinde recte alibi dictum est, quod *secundum quid* tantum perfectio est mensura amicitiae cum Deo, id est, in modo agendi fideliter ferventerque in Dei famulatu, devotus quodammodo manifestat quantum Deum diligere velit. Attamen, caeteris paribus, maior intensitas gratiae seu charitatis habitualis multum ad perfectionem confert.

816. — IV. Nunquam in via perfectionis sistendum (iterum iterumque memento), sed semper progrediendum, imo quamvis perfecta sit anima, debet magis magisque purgari et illuminari, quin tamen statum suum relinquat. Via unitiva exigit magnam coscientiae puritatem: ipsaque veluti enutritur omni re quae ad maiorem amorem conducit.

817. — V. Unionem de qua loquimur debet qui-

libet devotus appetere, et continuo tamquam magis utilem et securam (quam viae extraordinariae) a Deo instantissime postulare. Sed quoniam tot devoti tantis afficiuntur defectibus ex eorum negligentia et maiori minorive incuria, et parum generosi ad vincendas imperfectiones inveniantur, hinc est quod, heu! pauci quidem ad hanc unionem perveniunt, et nobilissimam laborum ad dictam unionem necessariorum victoriam obtineant. Tu vero, devote et studiose lector, totis viribus incumbe animae tuae profectui, ut non solum in Dei amicitia permaneas et salvus fias, sed et in terra efficiaris Deo charissimus servus, et in coelo uberiori triumphes corona.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Quidquid igitur misericordiae Filius exhibuit, totum hoc nobis Mater contulit, quae Filium genuit in quo nobis omnia donavit. Ex his patet beatissimam Virginem in misericordia omnem excellere creaturam quia nimirum ipsius mundi misericordiae causa (Mater) exstitit (B. Alb. Magn.).

Mariam invoca. — Ave dulcedo et vita nostra: « Vita vere, quae mortem superbiae vicisti, quae nobis vitam gratiae impetrasti, vitam gloriae genuisti » (S. Bonav.).

Mariam laetifica. — Eius patrocinium favore omnium perfectionis amatorum implorando: eius charitatem recolendo. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. II. — DE OPERIBUS VIAE UNITIVAE.

818. — **Opera viae unitivae reducuntur,** ut patet ex dictis, ad CONFORMITATEM voluntatis nostrae cum divina voluntate, et ARDOREM CHARITATIS, quae quidem sunt quasi compendium totius perfectionis, quaeque purgationes et virtutes multas, multosque verae pietatis actus includunt. — De *ardore charitatis* sufficiunt hucusque dicta. Morotius, ubi de via unitiva, multa habet de amore divino. Nobis sufficit haec sua praenotatio: « Non hic mihi propositum est, artem tradere amandi Deum, quia nulla est huiusmodi ars, sed sufficit incipere amare; nec modum diligendi Deum docere intendo, Deus enim sine modo diligendus est; nec dissero de charitate, ut est virtus theologica, nam id iam supra actum est: sed quoniam perfecta unio cum Deo consistit in charitate, ut dictum est, atque ideo ab amoris exercitatione necessario pendet, quaedam hic breviter tractabo de amore divino, ut ad veram Dei dilectionem excitemur, et per eam ad beatam unionem pertingere valeamus ». — Pauca tantum de *conformitate* dicenda censemus, quae quidem sufficient, suppositis alibi dictis.

819. — **Notio conformitatis.** — I. Conformitas est *actus charitatis divinae quo voluntatem nostram voluntati divinae in omnibus liberrime subiicimus.* — II. Vocari solet etiam *Resignatio.* — III. *Eius obiectum* sunt omnes actiones nostrae et omnes eventus, quatenus respiciunt D. Providentiae dispositionem, ut per omnia nostra et in omnibus quae eveniunt, totis viribus satagamus Deo placere et perfecte parere, fugiendo peccatum, et virtutem unice sectando.

Unde per conformitatem homo in omnibus Deum cogitat, eiusque beneplacito subiicitur, non considerans res in semetipsis, sed in sapientissima et misericordissima erga nos Dei dispositione.

820. — **Divisio.** — Conformitas est 1° *imperfectissima,* quando nos resignamus cum exceptione, v. gr. ad omnia, excepta infirmitate; 2° *imperfecta* seu debilis, si in proposito sit universalis, et in actu saepe saepius exceptiva; 3° *perfecta,* si habitu et actu sit generatim universalis et totalis. Dixi, generatim, quia in hac vita homo non potest omnes omnino imperfectiones et omnia omnino venialia vitare: ac proinde non semper Deo perfecte paret. Primi immolantur ex parte; secundi immolari volunt per totum, sed in opere recedunt; tertii totaliter sese abnegant, et in omnibus divino beneplacito subiacent libentissime et ex magno charitatis affectu, in quantum sustinet humana fragilitas.

821. — **Actus.** — 1° Dicere cum Iob: « Dominus dedit, Dominus abstulit... ». — 2° Iustam confiteri in omnibus voluntatem Dei: « Iustus est Dominus in omnibus viis suis... ». — 3° Voluntatem Dei velle scire in omnibus quae facere debemus vel optamus: « Domine, quid me vis facere? » — 4° Adversa patienter tolerare absque murmuratione, dicendo cum Davide: « Obmutui et non aperui os meum, quoniam tu fecisti ». — 5° In divina voluntate tantummodo delectari, et illi libentissime et universalissime parere et subiici. — 6° Causas eventuum qui nos affligunt, nolle inquiete perscrutari, scientes quia Deus amplius diligit nos, quam nosmetipsos nos diligimus. — 7° Orare ut Deus doceat nos voluntatem suam, et ut illam in omnibus adimpleamus.

822. — **Gradus.** — I. Deo in praeceptis obedire. — II. Deo in consiliis evangelicis parere. — III. Deo

in omnibus placere et quidem perfectiori quo possumus modo, non tantum in praeceptis et consiliis, iuxta proprii status nostri conditionem, sed in modo perfecto praecepta et consilia servandi. Consilium Domini est ut sancte vivamus, et *meliori et perfectiori modo* opera sanctificationis nostrae et erga Deum famulatus nostri operemur, sua adiuti gratia. Unde perfecte conformitatem sectantes, etiam in rebus non praeceptis, eligunt quae Deo magis placent, et illa pefficiunt modo quo Deo magis placet. *Ergo* obedientia erga confessarium et superiores est maxime necessaria, ut securi in voluntate Domini perfecte ambulemus...

823. — **Principia circa conformitatem.** — I. Sanctitas et perfectio animae consistit in abnegatione sui et resignatione ac subiectione erga voluntatem Dei.

824. — II. Substantia praeceptorum et consiliorum reducitur ad faciendum quidquid Deus vult et quomodo vult.

825. — III. Vere resignati permanent indifferentes circa ea quae Deus vult, id est eodem modo accipiunt dulcia et amara, facilia et difficilia.

826. — IV. Id unum sufficit Deum perfecte amanti: « Dei beneplacitum est ». Unde unica eius delectatio est placere Deo.

827. — V. Resignati perfecte fiunt sancti et sunt felicissimi inter omnes homines. Unde dicendum cum S. Theresia: « Haec est vera et essentialis unio (scilicet perfecta conformitas) quam semper desideravi et incessanter a Domino postulo ». Tales nunquam conqueruntur dicentes cum mundanis quod habeant malam fortunam, vitam infelicem, et quod tristitias multas quasi proprias habent.... etc.

828. — VI. Perfecte conformati non prorumpunt

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

in impatientias et tristitiam inordinatam, rebus aliter accedentibus ac expectabantur aut desiderabantur; sed pacem semper conservant, non querentes multa facere sed perfecte peragere quae faciunt, et rebus et actionibus gloriosis (non obligatoriis) anteponunt vel minimas obligationes.

829. — VII. Perfecte conformati non indulgent propriae indoli et inclinationi in laboribus suscipiendis, sed victores de seipsis, toti incumbunt subiectioni divinae voluntati. Quid enim mihi, aiunt, ut istud vel illud agam, dummodo quae de me vult Deus peragam? Haec voluntas nobilitat actiones meas, etsi viliores seu abiectiores hominibus appareant. — Sic neque in altioribus officiis superbiunt, neque in humilioribus deiiciuntur.

830. — VIII. Hinc perfecte resignati despiciunt seipsos, mortificant proprios appetitus, perfecteque conformitatem colunt.

831. — IX. Et quoniam in favorabilibus non satis apparet nostra resignatio, maximum perfectae resignationis signum est cruces a Deo missas cum pace amplecti.

832. — X. Non solum accipienda sunt cum resignatione quae a Deo directe veniunt, sed et quae directe ex malitia hominum, et proinde indirecte tantum ex Deo (permittente talem malitiam, non volente) nobis contraria obveniunt, ut fecit David cum Semei.

833. — XI. Perfecti resignati praecipue exerceri curant tempore infirmitatis, ut mortem prompte accipiant quomodo et quando Deo placeat. Imo valde expedit, ut quisquis in mediocri dispositione invenitur, mortem desideret, ut a periculis mundi liberetur et Deo perfruatur, ut Deum melius securiusque diligat. Si ardentius desideraremus Deum in coelis

quamcitius videre, maior esset cordis nostri ardor ad Deum diligendum et mundum aspernendum.

834. — XII. Resignationis perfectae est desiderare pervenire (et totis viribus ad hoc adlaborare) ad eum gratiae et gloriae gradum quem Deo placuerit. — Ergo *resignatio seu conformitas* infinite distant a Quietismi deliramentis, et potius est activissima animae operatio, suppositis auxiliis Divinae gratiae, ut magnos thesauros colligat in coelo locandos. Charitas enim non est otiosa.

835. — **Fundamenta conformitatis et resignationis.** — I. *Deus est Omnipotens*, et sine eius voluntate nihil accidere potest, dicente Evangelio: « Nonne duo passeres asse veneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos » (Matth. 10). — II. *Deus est sapientissimus*, et scit omnia in bonum convertere. — III. *Deus est Optimus*, et vult omnia in summum nostrum bonum dirigere. — Ergo dum in omnibus quae fiunt respicies ad divinam dispositionem, divinae voluntatis memoriam frequentissime revocabis per orationes iaculatorias. Et si Deus per adversa et prospera huius vitae te puniat, probet vel praemiet, scito quod haec omnia recto Dei iudicio diriguntur ad bonum tuum, ut a malo fugias, et ad Deum venias, et Deo uniaris.

836. — **Dignitas conformitatis** seu resignationis. — I. Christus (Matth. 12, 50) ait: « Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater et soror et mater est ». — Super omnia, quae vel dicere, vel facere possumus, haec a nobis maxime exposcit Deus, ut intus in corde dicamus: Domine fiat gratissima voluntas tua (Blosius). — III. Summum vitae bonum est humanae voluntatis cum

divina coniunctio (Euthym.). — IV. Qui sunt recti corde? qui non reprehendunt Deum, qui voluntatem suam ad Dei voluntatem dirigunt, non voluntatem Dei ad suam curvare conantur (S. Aug.).

837. — **Varia.** — I. Conformitatem melius exerces, si firma fide, ferventi charitate, mortificationis studio, obedientia, spiritu interiori, sanctorum et devotorum exemplo, divinae providentiae amorosa consideratione, cor tuum ad altiora elevas.

838. — II. Solum peccatum potest te separare a voluntate divina. Unde de nullo tristitiam habeas nisi de peccato, nihil timeas nisi peccatum. Contentus esto de talentis quae Deus tibi tribuit. Negotiare cum illis ut Deo placeas.

839. — III. Cave ne turberis, si in laboribus litterariis, vel in zelo animarum optatos non colligas fructus. Fac quod possis, ora et in pace persevera, Deo te committendo, ut fiat voluntas Sua in te, in laboribus tuis, in omnibus. Ora tamen in tranquillitate mentis, ut removeantur obstacula quae et tu et alii homines opponunt spirituali fructui, quem alias divinae gratiae respondendo producere possent.

840. — IV. Nec turberis si in virtutibus non proficias quantum desideras, sed ora in pace, labora et spera. Nam « licet iucundum sit, cum pro virtutibus et gratia oramus, id obtinere a Deo quod petimus, longe tamen delectabilius atque utilius est, totum se Dei beneplacito resignare » (Blosius). Haec tamen resignatio, ut patet, ardorem adauget, ut in omnibus Deo placeamus: unde fugit pigritiam.

841. — **Signa perfectae conformitatis**: Voluntatem vero nostram in omnibus a divina pendere illique prorsus conformem esse his indiciis deprehendemus: — 1. Si omnia cupiamus ad divinae vo-

luntatis nutum facere, nihilque rerum exordiamur, ope divina non prius implorata. — 2. Si aerumnas et calamitates non solum aequanimiter feramus praesentes, sed eas ultro appetamus cum absunt. — 3. Si nobis ipsis quam maxime diffidamus, omnemque fiduciam nostram in solo Deo ponamus. — 4. Si generoso silentio omnia convicia, contumelias, iniurias et alia mala concoquentes, ea de manu Domini laeto animo suscipiamus. — 5. Si ad aliquid volendum et nolendum ob id solum moveamur, quia Deus illud vult, aut non vult, non aliam prorsus ob causam, etiamsi nos maxime et intime tangat. — 6. Denique si per amorem ita in Deum transfundamur, ita totius voluntatis nostrae nisu ac pondere in oceanum divinae voluntatis immergamur, ut nullum bonum, nulla vita quantumvis beatissima potior nobis sit quam Deus, nihilque sciamus, cogitemus aut velimus, nisi Dei placitum et voluntatem. Haec Morotius.

842. — **Nota**: Quoad *amorem proximi*, maxime cave a iudiciis et verbis charitati fraternae contrariis, et esto angelus pacis inter fratres. Quoad ardorem charitatis, ardeat cor tuum per meditationem et iaculatorias, amoremque Dei intendendo in operibus tuis, ita ut totus amorem erga Deum quasi respires et aspires. Invoca Mariam uti Matrem pulchrae dilectionis et fidelissimam Dei ancillam, sanctissimam, benignissimam, potentissimam Oratricem et Doctricem omnium devotorum.

843. — **Summula practica doctrinae de via unitiva**, ex Blosio, Inst. Spir. cap. 10, constat octo actibus, quorum: 1. Dolor de peccatis; 2. Commemoratio beneficiorum Christi cum gratiarum actione; 3. Humiliatio sui et resignatio in omne beneplacitum

Dei; 4. Postulatio eorum quae ad unionem cum Deo sunt necessaria; 5. Invocatio Sanctorum; 6. Oratio pro aliis, vivis et defunctis; 7. Glorificatio Trinitatis; 8. Adspirationes amorosae.

844. — En verba Blosii: I. In primis igitur, omnibus viribus et sensibus suis recollectis, provolvet se in spiritu ad pedes Domini Iesu, atque peccata sua humiliter dulciterque deplanget, et illa in abyssum miserationum Dei proiiciet, ut ibi absorpta consumantur, atque ad nihilum redigantur. Desiderabit, et ex animo optabit se nunquam offendisse Deum, ut hac via illi ita placere mereatur, quasi eum nunquam offendisset. Proponet deinceps vitare per gratiam eius omnia quae illi displicent. Petet sibi ignosci per merita humanitatis Christi, et per merita beatae Mariae omniunque electorum Dei. Petet ablui pretioso Sanguine ipsius Domini Iesu, perfecteque sanari ac sanctificari: atque ita confidet se iam plenam remissionem et veniam peccatorum accepisse.

845. — II. Deinde exsurgens, vitam et passionem Christi breviter commemorabit, ipsique Redemptori gratias aget.

846. — III. Postea omni creaturae se substernet, omnes homines sibi praeponet, omnes charitate complectetur; omnibus, quae infra Deum sunt, renuntiabit; se integre in divinum beneplacitum resignabit, et paratum offeret ad quaelibet adversa perferenda. Haec quidem absque aliqua fictione facere adnitetur; si tamen integro corde plenaque voluntate talia necdum Deo dicere potest, saltem dicat illa, sicut potest, et Domino gratus erit.

847. — IV. His peractis, postulabit ab ipso Domino ea quae sibi necessaria sunt, ut ad intimam cum illo unionem pertingat.

848. — V. Post haec gloriosissimam Dei Genitricem Virginem Mariam, caeterosque Beatos coeli cives invocabit, ut gratiam optatam impetret per illos.

849. — VI. Orabit etiam pro omnibus, pro quibus Dominus Iesus seipsum hostiam viventem Patri immolare dignatus est. Preces offeret tam pro Christianis, quam pro infidelibus toto terrarum orbe diffusis, compassionem ex intimis visceribus impendens omnibus, qui peccando pulcherrimam Dei imaginem sibi impressam deturpant, et se ab aeterna beatitudine regnoque coelesti alienos reddunt. Plurimum item compatietur fidelium defunctorum animabus, quas purgatorii poena adhuc detinet. In hunc modum pro tota Domini sui familia erit sollicitus, et omnium salutem toto corde exoptabit. Sic enim citissime inclinabit ad se divinam clementiam.

850. — VII. Istis finitis, diriget orationem suam ad sanctam Trinitatem, eamque laudibus prosequetur. Habebit desiderium laudandi Deum perfectius quam laudat et laudare possit. Nam quantum hominis desiderium bene agendi est, tantum Deus hominem bene egisse reputat, suscipiens eius bonam voluntatem pro opere quod praestare atque exequi nequit. Et quam magna vellemus esse nostra desideria, tam magna sunt coram Deo.

851. — VIII. Postremo Asceta amorose adspirabit ad Deum, et per ignita desideria beatam cum eo unionem expetet. — *Haec Blosius.*

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Mater enim ista omnia bona nobis vult, sicut mater filiis. Unde et dicere videtur Christianis illud *Philip.* 1, 8: « *Testis enim mihi est Deus, quomodo vos cupiam in visceribus Christi,* Filii mei » (Rich. a S. Laur.).

MARIAM INVOCA. — O Deipara, mihi peccatorum meorum « emendationem largire, ut per donum hoc tuum a pessima consuetudine resipiscens, supplex meipsum prosternam, atque quod vitae reliquum fuerit, in gravibus meis facinoribus deplorandis consumam » (S. Sabbas Abb.).

MARIAM LAETIFICA. — Ardentissimum Mariae proficiendi studium quod in terris habuit, imitemur. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis!* (S. Ildef.).

FINIS THEOLOGIAE MYSTICAE FUNDAMENTALIS.

Ave magistra devotorum, Maria!

LIBER SECUNDUS [1]

Theologia Mystica specialis seu stricte talis

TRACTATUS DE CONTEMPLATIONE IN GENERE

CAP. I. — AMOR ET CONTEMPLATIO. CONTEMPLATIO ET THEOLOGIA MYSTICA.

852. — **Monitum S. Alphonsi:** « Quando anima aliqua a Deo contemplationis gratia donatur, oportet ut confessarius optime sciat modum quo eam dirigere debet, et ab omnibus illusionibus liberet; alias maximum illi afferet damnum, et quemadmodum ait S. Ioannes a Cruce, magnam ipse Deo redditurus est rationem. Contemplatio multum differt a meditatione. In meditatione quaeritur Deus labore discursus, in contemplatione sine huiusmodi labore

(1) Illi sacerdotes qui haud facile habere vel legere possunt praecipuos de Mystica Theologia stricte tali tractatus, in hoc *libro secundo* habent quasi SUMMULAM DOCTORUM MYSTICORUM, cum textibus eorumdem Doctorum uberrime collectis.

contemplatur Deus iam inventus » (Praxis Conf. ap. 1, n. 9).

853. — **Amor et Contemplatio.** — I. *In hoc tractatu praevalet semper charitas.* Nam, teste Angelico: « Vita contemplativa, licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum videlicet, aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est quod etiam terminus et finis vitae contemplativae habet esse in affectu » (22, q. 180, a. 7, ad 1.). Unde merito dixit Alvarez de Paz: « In amorem desinens et ab amore procedens ».

854. — II. *Charitas enim est optima res vitae nostrae, maximusque* thesaurus; ideoque rite ait Suarez: « Optimum enim huius vitae est Dei charitas, maxime quando est ignita et fervens, ut in contemplatione ex Dei consideratione esse solet » (tr. de Orat. c. 9, n. 11).

855. — III. *Quapropter perfectio vitae nostrae in charitate fundatur*, dicente S. Thoma: « Et ideo secundum charitatem attenditur simpliciter perfectio christianae vitae, sed secundum alias virtutes secundum quid. Et quia id quod est simpliciter est principalissimum et maximum respectu aliorum, inde est quod perfectio charitatis est principalissima respectu perfectionis quae attenditur secundum alias virtutes » (22, q. 184, a. 2, ad 2.).

856. — IV. *Perfectio charitatis sub duplici respectu considerari potest:* quatenus *respicit vel unionem cum Deo, vel contemplationem, ideoque vel viam unionis, vel viam contemplationis; sed utraque via convenit in charitate, quamvis differat in suo modo essendi.* Unde merito scribit Morotius: « Via unitiva duplex est una quae praecipue consistit in intellectu, seu in contemplatione, altera quae maxime posita est in amore. Con-

veniunt autem hae viae intra se, quod utraque requirit perfectam charitatem et virtutum usum ac sui rerumque omnium abnegationem, et utraque intendit animam Deo coniungere. Sed differunt in pluribus; nam prior potius speculativa, quam practica est, posterior magis practica. Illa tam multa requirit, ut sit restricta et raro ac paucis concessa; haec ubique semper ab omnibus et in omni opere haberi potest. Illa diabolicis illusionibus, amori proprio et superbiae exposita est propter gustum et elevationem mentis: in hac homo penitus se deserit, nec quicquam aliud quaerit praeter Deum. Illa est angusta, haec dilatat cor ad infinita. Per illam tradit homo Deo partem sui, per hanc se totum transfert in Deum, atque ideo perfectior est et magis necessaria. Nos hic de utraque quaedam breviter dicturi sumus, et primo quidem de contemplatione, deinde de amore, demum de ipsa unione disseremus » (Cursus vitae sp. p. 3, c. 2).

857. — V. Et infra subiungit: « Summa autem est colligatio inter contemplationem et divinum amorem, qua de causa diximus ab amore illam procedere et in amorem desinere. Vita enim contemplativa licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in voluntate, quia ex charitate Dei ad contemplationem incitamur. Quia vero finis correspondet principio, eiusdem vitae terminus et finis habetur in affectu, dum in visione rei amatae delectamur et ipsa delectatio magis excitat amorem. Ex his primo colligitur, vix quidpiam dici posse de amore, quin simul de contemplatione disseramus; et viceversa contemplationis gratiam omnino ignorari sine plena amoris notitia. Colligitur secundo, illum excellentiorem in sapientia divina debere aestimari, qui Deum plus amat, quamvis Theologiae scholasticae ignarus

sit; atque hunc ad instar Mariae optimam partem eligere, quae non auferetur ab eo. Demum ex his consequens fit, amorem magis unitivum esse quam cognitionem; nam *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo;* semperque amor unum appetit efficere ex amante et amato, ut iam amplius non sint duo, sed unum, non quidem in carne, sed in spiritu, dicente Apostolo, 1. Cor. 6, 17; *qui adhaeret Deo, unus spiritus est* » (Ibid.).

858. — **Contemplatio et Theologia Mystica. — Contemplatio infusa cum perfectione charitatis constituit veram Theologiam Mysticam in subiecto,** ut iam alibi notavimus. Et in hoc sensu facilius intelliguntur variae descriptiones Theologiae Mysticae multorum doctorum, quae quidem non Mysticam doctrinalem, sed experimentalem, non notiones contemplationis, sed ipsam contemplationem respiciunt: unde *Mystica* et *Contemplatio* in ore, mente et corde eorum promiscue saepe suscipiuntur.

859. — Audiatur Cardinalis Bona: « Hac via quietis, secessus et abstractionis pervenitur ad mysticam theologiam, ad illam videlicet indoctam sapientiam omni sapientia humana superiorem, qua mens Deum suum sine discursibus agnoscit, et quasi contrectat et sine ratiocinationibus gustat. Est autem mystica theologia secretissima mentis cum Deo locutio, etc. etc... Alias alii definitiones tradunt quae cum praedictis coincidunt. Res enim abstrusa, et difficilis, ac prorsus divina certis finibus circumscribi nequit, et dialecticorum regulis concludi. Liquet ex his, theologiam mysticam non esse proprie scientiam, prout scientia est habitus acquisitus. Sed si accipiatur pro actu, nihil aliud est quam ipsa mentis in Deum defixio, admiratio maiestatis, suspensio animi in lumen immensum ac aeternale; ferventissima, quietissima

ac transformativa inspectio Deitatis. Si vero sumatur pro habitu, realiter idem est ac praestantissimum donum Spiritus Sancti quod sapientia nuncupatur, secundum altissimum eius gradum » (Via Compendii ad Deum, c. 3, n. 182).

860. — Similia habet, ex B. Dionysio Carthusiano, Ioannes a Iesu Maria : « Idem (Dionysius Carthus.)... docet mysticam theologiam esse praestantissimum donum Spiritus Sancti, quod sapientia nuncupatur. Et eam, inter alia nomina, contemplationem appellari ait » (Theol. myst. c. 1, t. 2, p. 5). Et haec sufficiant ex innumeris textibus similia habentibus (1).

(1) Hisce praenotatis, facilius intelligi possunt definitiones et descriptiones Theologiae Mysticae a multis mysticis traditae, ex quibus Antonius a Sp. Sancto, qui ait:

« *Dico 1. Si theologia mystica sumatur pro habitu,* non est proprie scientia prout scientia est habitus acquisitus, aut etiam infusus informis, sicut nec charitas: sed realiter idem est ac praestantissimum donum Spiritus Sancti, quod sapientia nuncupatur, sumendo sapientiam, non prout est donum gratiae gratis datae, sed prout est donum gratiae gratum facientis, supernaturale, infusum, charitati inseparabiliter unitum. Ita Fr. Philipp. a Trinitate (discurs. prooeminali, art. 1, vers. Multae solent.). Hinc fit, quod sicut donum sapientiae realiter ac subiective est in intellectu, quamvis, quantum ad suum extrinsecum complementum, quod est ferventissimus amor, in voluntate ponatur, ita et mystica theologia.

« *Dico 2. Si theologia mystica sumatur pro actu,* consistit pro formali essentialiter et principaliter in actu intellectus, et vere dicitur cognitio et contemplatio, visio, intuitio, interiorque Dei locutio altissimi. Unde illi proprie convenit ultima definitio, quae ponit theologiam mysticam in cognitione et notitia intellectus per unionem voluntatis Deo adhaerentis elicita, vel lumine coelitus emisso producta. Ratio est, quia theologia mystica apud omnes est scientia de Deo; sed scientia

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Ipsa est: Oliva speciosa, quae fructum gloriae attulit, cuius flos odoramentum suavissimi halitus (S. Chrysosth.).

MARIAM INVOCA. — O Mater mea dulcissima, quae a S. Damasceno merito dicta es: Oliva perpetuo vernans, ac pulchrum

essentialiter consistit in contemplatione sui obiecti, et non in actu voluntatis : ergo in actu intellectus debet principaliter et pro formali et essentialiter consistere theologia mystica, et non in actu voluntatis. Confirmatur, quia principalis actus theologiae mysticae regulariter elicitur a dono sapientiae, vel ab alio superiore lumine coelitus emisso, ut infra dicemus; sed tam hoc lumen, quam hoc donum sapientiae est in intellectu, utpote illius elevatio: ergo et actus principalis illius, qui est theologia mystica actualis.

« Dixi *essentialiter, principaliter, et pro formali;* nam si theologia mystica sumatur adaequate, tunc est quaedam Dei cognitio, connotans unionem animae cum Deo felicissimam. Unde non est sola praecisa intellectus cognitio, seu contemplatio Dei altissima, sed est quaedam Dei cognitio, quae unionem, sive amplexum Dei comitatur, et quae ex illa oritur; et quamvis principaliter et pro formali consistat in hac Dei cognitione, principium tamen habet et causam in amore unitivo et perceptione Dei experimentali, ex qua veluti a fonte, ubi divina suavitas gustatur et aeterna felicitas praelibatur sapidissima ac divinissima Dei oritur contemplatio, quae mystica theologia appellatur...

« *Dico 3. Theologia mystica merito dicitur sapientia*, tum, quia sapientia dicitur quasi sapida scientia, et theologia mystica est sapida notitia de Deo, tum quia nomen sapientiae convenit notitiae primam simpliciter et universalissimam causam attingenti. Theologia vero mystica contemplatur Deum, primam simpliciter et altissimam causam, tum quia ut plurimum donum sapientiae est principium elicitivum actus contemplationis, in quo essentialiter constituitur theologia my-

fructum proferens olei spiritualis; ora pro me, ut verbo et exemplo christianae perfectionis discipulus et fidelis magister effici merear.

MARIAM LAETIFICA. — Studio rerum asceticarum et mysticarum, in vera pietate. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

stica. Dixi ut plurimum, nam perfectissimus actus, qui est supremus theologiae mysticae gradus, elicitur ab altiori principio, quam sit donum sapientiae.

« *Dico 4. Contemplatio theologiae mysticae in supremo gradu multum ad divinam visionem accedit.* Nam sicut ad visionem beatificam praerequiritur, ut Deus illabatur in intellectum lumine gloriae dispositum ac elevatum, ut sic ipsum intueatur immediate praesentem, et voluntas ei per amorem fruitivum suaviter adhaereat, sic ad contemplationem theologiae mysticae praerequiritur, ut Deus intime in animam illabatur et uniatur intellectus, vel media specie, vel immediate se ipso sicut in visione beata, sicut asserunt aliqui, ut sic intellectus, ipsum intueatur immediate praesentem in caligine, et voluntas ei per amorem inchoative fruitivum aliqualiter adhaereat ».

CAP. II. — PRAENOTANDA DE IPSA NOTIONE CONTEMPLATIONIS IN GENERE.

861. — **Cogitatio, Meditatio, Contemplatio,** *tria haec sedulo distinguenda sunt in tota praesenti disquisitione.* « Sciendum itaque est, ait Richardus a Sancto Victore, quod unam eamdemque materiam aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, atque aliter per contemplationem miramur. Multum a se invicem haec tria in modo differunt, quamvis quandoque in materia conveniant. De una siquidem eademque materia, aliter cogitatio, aliter meditatio longeque aliter agit contemplatio. Cogitatio per devia quaeque lento pede, sine respectu perventionis passim huc illucque vagatur. Meditatio per ardua saepe et aspera ad directionis finem cum magna animi industria nititur. Contemplatio libero volatu, quocumque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit, meditatio incedit et ut multum currit. Contemplatio autem omnia circumvolat et cum voluerit se in summis librat. Cogitatio est sine labore et fructu, in meditatione autem est labor cum fructu, contemplatio permanet sine labore cum fructu. In cogitatione evagatio, in meditatione investigatio, in contemplatione admiratio. Ex imaginatione cogitatio, ex ratione meditatio, ex intelligentia contemplatio. Ecce tria ista, imaginatio, ratio, intelligentia, etc. etc. » (Beniam. maior, l. 1. c. 3 et 4). Et alibi: « Aliud est contemplatio, aliud est meditatio. Meditationis est perscrutari occulta; contemplationis, admirari perspicua; per meditationem ad bonum instruimur, per contemplationem in bono solidamur ».

862. — **Ratio, intellectus, intelligentia,** *etiam tria*

haec accurate distinguenda sunt in tota de Contemplatione tractatione, ut monet Cardinalis Bona: « Vis intellectiva in quantum est discursiva dicitur ratio; in quantum est simpliciter intuitiva, dicitur intellectus; in quantum est divinitatis contemplativa per simplicem apprehensionem, dicitur intelligentia, quod optime Richardus, 1 de Contemp. c. 9, observat » (Via comp. ad Deum, c. 10, n. 7).

863. — Et cum Alvarez de Paz dicendum: « Est igitur contemplatio intuitus sive intuitio, quoniam; ut Gerson optime tradit, non est opus rationis discurrentis et inquirentis veritatem, sicut meditatio, sed opus intelligentiae veritatem absque omni discursu simpliciter inspicientis. Intellectus enim humanus in rationem et intelligentiam, non tamquam in duas partes, sed tamquam in duo eiusdem potentiae officia dividitur. Ratio est instar pedum, quia huc illucque discurrit, et ad multa et varia ordinate se movet, ut veritatem inveniat. Intelligentia vero est instar oculi, quoniam inventam veritatem simpliciter et sine labore respicit et ex illo simplici aspectu, qui contemplatio est, incredibilem voluptatem sumit » (De natura contempl. l. 5, part. 2, c. 1, t. 6).

864. — **Iucunditas et admiratio** *conveniunt Contemplationi,* iuxta illud Richardi a S. Victore: « Proprium itaque est contemplationi iucunditatis suae spectaculo cum admiratione inhaerere » (Beniamin. maior, l. 1, c. 4); et doctrinam Angelici, 2 2: q. 180, a. 3, ad 3, dicentis: « Admiratio est species timoris consequens apprehensionem alicuius rei excedentis nostram facultatem; unde admiratio est actus consequens contemplationem sublimis veritatis ». Et ibidem, a. 7: « Contemplatio veritatis competit homini secundum naturam suam, prout est

animal rationale: ex quo contingit quod *omnes homines natura scire desiderant*, et per consequens in cognitione veritatis delectantur: et adhuc magis fit hoc delectabile habenti habitum sapientiae et scientiae, ex quo accidit quod sine difficultate aliquis contemplatur. Alio modo contemplatio redditur delectabilis ex parte obiecti, in quantum scilicet aliquis rem amatam contemplatur... Quia ergo vita contemplativa praecipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas... inde est quod in vita contemplativa non solum est delectatio ratione ipsius contemplationis, sed etiam ratione ipsius divini amoris ».

REQUIES ANIMAE.

Maria cogita. — Maria est: Nardus parva per humilitatem, medicinalis per curationem infirmitatum spiritualium et corporalium, odorifera per exemplorum vitae suae diffusam suavitatem. (S. Antoninus).

Mariam invoca. — O Immaculata Mater mea, quae secundum S. Germanum es: Paradisus in quo floret vitale lignum ad sciendam veritatem, quod qui degustant immortalitatem consequuntur; ora pro me, ut per assiduam orationem et coelestem contemplationem Christo bonus odor efficiar, et aeternam vitam consequar.

Mariam laetifica. — Et orationis et contemplationis magnalia frequenti studio recolere non omittas. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis.* (S. Ildef.).

CAP. III. — DEFINITIONES ET NOTIONES CONTEMPLATIONIS.

865. — **Inter paganos** aliqua sive mundana sive spiritualis habita est contemplationis notio. Liceat sequentes citare: Quousque contemplatio sese extendit, eousque sese extendit et felicitas ipsa; et quibus contemplatio magis inest, iis et felicitas magis inest, non per accidens quidem, sed per ipsam utique contemplationem (Aristoteles). — Vera illa voluptas est, quae percipitur ex contemplatione mentis, ab omni labe purae et splendidae (Seneca). — Animus in hoc tristi et obscuro corporis domicilio inclusus, quoties potest, apertum petit, et in rerum naturae contemplatione requiescit (Idem). — Est (contemplatio) animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum (Cicero).

866. — **Inter christianos**, sublimitas contemplationis, supra omnes paganorum cognitiones per supernaturalem fidem et charitatem in mirabili sapientia apprehensae, magna definitionum varietate expressa fuit.

867. — I. S. Augustinus: « Contemplatio est perspicuae veritatis iucunda admiratio Sancta quadam ebrietate alienatae mentis ab infra labentibus temporalibus aeternam lucem sapientiae contueri ».

868. — II. S. Bernardus: « Contemplatio est mentis in Deum suspensae elevatio, aeternae dulcedinis gaudia degustans ». — Et alibi: « Potest contemplatio quidem definiri: Verus certusque intuitus animi de quacumque re, sive apprehensio veri non dubia ».

869. — III. Hugo a S. Victore: « Contemplatio est perspicax et liber, id est, expeditus animi contuitus in res spirituales perspiciendas, usquequaque

diffusus ». — Et alibi: « Contemplatio supernorum, est per sublevatae mentis iubilum, mors carnalium affectuum ».

870. — IV. Richardus a S. Victore: « Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiae spectacula cum admiratione suspensa ».

871. — V. S. Thomas: « Contemplatio pertinet ad ipsum simplicem intuitum veritatis » — Et alibi: « Contemplatio ad affectum terminatur ».

872. — VI. S. Bonaventura: « Contemplatio est actus intellectus non impediti, gratia sanati, in aeterna spectacula directi, cum admiratione suspensi ».

873. — VII. B. Albertus Magnus: « Contemplatio vera et perfecta, est collectio affectionum et omnium virium animae, ad cognoscendum cum delectatione et admiratione mentis aliquid de natura divina ».

874. — VIII. S. Antoninus: « Contemplatio est elevatio mentis per considerationes, quibus quasi volat, dum supra se tendit ».

875. — IX. Gerson: « Contemplatio est perspicax et liber, id est, expeditus animi contuitus in res spirituales perspiciendas, usquequaque diffusus et in divina spectacula suspensus ».

876. — X. Alvarez de Paz: « Contemplatio, ut nobis quidem videtur, est liber, perspicax et certus intuitus Dei ac rerum coelestium, admirationem inferens, in amorem desinens, et ab amore procedens ».

877. — XI. Cardinalis Bona: « Consistit autem in visione quadam suavi, quieta et amabili veritatis aeternae, quam sine discursuum varietate sincere aspicit et penetrat ingenti amore atque admiratione, tantaque certitudine et claritate, ut faciem, sicut de Moyse dicit Scriptura, Dei intueri dicatur; non quemadmodum beati in gloria, sed minori quodam lu-

mine caliginoso et fidei innixo, quae ab eo valde perficitur et clarificatur ».

878. — XII. Benedictus XIV (de Beatif. et Canoniz., l. 3, c. 26) contemplationem ita describit: « Est simplex intellectualis intūitus cum sapida dilectione divinorum, aliorumque revelatorum, procedens a Deo speciali modo applicante intellectum ad intuendum et voluntatem ad intelligendum ea revelata, et concurrente ad eos actus per dona Spiritus Sancti intellectum et sapientiam, cum magna illustratione intellectus et inflammatione voluntatis ».

879. — XIII. S. Alphonsus: « In meditatione anima operatur actibus suarum potentiarum, in contemplatione operatur Deus, et anima tantum patitur, et recipit in se dona quae a divina gratia sibi infunduntur absque eo quod aliquid operatur, quoniam ipsa lux et divinus amor, quo tunc tota impletur, reddunt eam suaviter attentam ad contemplandam Dei sui bonitatem, qui tot illam cumulat donis ».

880. — XIV. Schram: « Est autem contemplatio mystica elevatio mentis in Deum et res divinas, per simplicem intuitum admirationis, suaviter et ardentissime rerum divinarum amantem ».

881. — **In tanta definitionum et descriptionum varietate,** id luculenter deducitur: Contemplationem theologicam seu mysticam, de qua agimus in hoc tractatu, esse 1° *veram elevationem mentis in Deum;* 2° *per simplicem intuitum veritatis;* 3° *ardentissime ad amorem moventem.* In qua re explicite vel implicite conveniunt definitiones et descriptiones adductae, aliaeque non paucae.

882. — Unde merito scripsit Morotius in suo *Cursu Vitae spiritualis,* p. 3, c. 2: « Sancti Patres et Doctores scholastici plures tradunt contemplationis definitiones; mihi optima videtur ista: *Contemplatio est*

liber, perspicax et certus intuitus Dei ac rerum coelestium admirationem inferens, in amorem desinens, atque ex amore procedens. Est autem contemplatio *intuitus*, non enim est opus rationis discurrentis et inquirentis veritatem sicut meditatio; sed opus intellectus veritatem absque ullo discursu simpliciter inspicientis. Et hic quidem intuitus dicitur *liber*, primo ex parte contemplantis, qui debet esse liber a peccatis, a pravis et inordinatis affectibus et a curis superfluis; secundo ex ipsomet actu, nam animus a rebus terrenis expeditus et elevatus quasi in aëre, quocumque Deus illum fert, liberrimo volatu circumfertur; tertio ex eo quod intuetur, nam illud vel ab imaginibus sensibilibus nudum, vel imaginibus ipsis sibi patefactum contemplatur. Dicitur etiam idem intuitus *perspicax*, clarus et conspicuus, non quod in hac vita anima contemplans Deum clare videre possit; sed quia lux sapientiae adeo intellectum illuminat et fidem perficit, ut comparatione prioris cognitionis, quae per meditationem habebatur, haec clara et aperta videatur. Est praeterea intuitus *certus*, tum quia anima ex illo certior redditur de rebus divinis et eis firmiter adhaeret; tum quia versatur circa Deum et res coelestes et ea omnia, quae fides catholica docet. *Admirationem infert*, quoniam ea quae contemplamur, licet alias cognita, insolito tamen modo proponuntur, atque ideo nova et mirabilia videntur ». Cur in amorem desinit et ab amore procedit, patet ex dictis supra.

883. — *Quapropter genuina Contemplationis mysticae notio a contemplatione pure humana abstrahit.* « Sermo hic, ait Schram, est de contemplatione divina, theologica, mystica et affectiva, quae intellectum illuminat, et affectum inflammat modo speciali et sublimi, et quasi suprahumano, scilicet non

per discursum, sed simplici intuitu, in quantum in via fieri potest, non solum arcana Dei speculante, sed etiam ad divinos affectus excitante, uti ex decursu apparebit: unde etiam contemplatio a Mysticis speciali iure theologia mystica dicta fuit » (Theologia Myst. § 238).

184. — **Simplex intuitus veritatis** est quid proprium ad specificandam contemplationem mysticam. Doctores Mystici vel Theologi definientes Contemplationem : *Simplicem intuitum veritatis,* sapienter definiunt, sed de Contemplatione in genere loquuntur, non autem expresse de supranaturali (quam tamen rite postea designant per *affectivam* conditionem ipsius). De qua re audiendus Antonius a Spiritu Sancto, qui scribit: « Contemplatio est simplex intuitus veritatis. Ita D. Thomas (2 2, q. 180, art. 3). Dicitur intuitus, et non additur intellectualis, quia satis ex se constat, contemplationem veritatis non esse materialem oculorum intuitum. Veritas namque obiectum est intellectus et non oculorum. Dicitur, quod ille intuitus sit simplex ad differentiam aliorum actuum intellectus, qui, si sunt intuitus simplices, non sunt intuitus veritatis in se ipsa perfectae, ut contingit in prima mentis operatione, in qua non est perfecta veritas, quasi in cognoscente. Si vero sunt intuitus veritatis, non sunt simplices intuitus, ut contingit tam in secunda quam in tertia mentis operatione, scilicet in compositione, divisione et intellectione, in quibus est meditatio. Praedictae namque operationes non sunt simplices actus veritatis perfectae et cognitae. Et sic per hanc definitionem adaequate sumptam perfectissime declaratur et ab omnibus aliis actibus intellectus distinguitur. Convenit autem haec definitio contemplationi genera-

liter sumptae, scilicet tam christianorum quam philosophorum, tam acquisitae quam infusae, tam naturali quam supernaturali, de quibus omnibus infra sigillatim dicemus » (Direct. myst. tr. 3, l. 1, s. 2).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Ipsa est: Ornamentum mundi, suscipiens deprecationem nostram, et eos qui illam deprecantur: quemadmodum suscepit Filius eius lacrymas meretricis, fidem Chananaeae, gemitus publicani, Petri poenitentiam et viduae minuta (S. Damascenus).

MARIAM INVOCA. — O dulcissima Mater mea, quae a Richardo a Sancto Laurentio merito vocaris: Os Ecclesiae, quia pro Ecclesia catholica exoras assidue et allegas; Os nostrum, quia assidue pro nobis Filium interpellas; ora pro nobis, ut multiplicentur fideles cultores verae devotionis et solidae pietatis.

MARIAM LAETIFICA. — Assiduis precibus pro spirituali tua et discipulorum tuorum perfectione. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. IV. — DIVISIO CONTEMPLATIONIS IN GENERE.

885. — **Contemplatio est vel catholica fidelium; vel mere philosophica,** quae ab aliquibus vocatur **gentilium**. *Prima* est simplex intuitus veritatis cum sapida dilectione Dei, ideoque transiens in amorem et ab amore procedens. *Secunda* est simplex intuitus alicuius veritatis mere speculativus. Unde merito scribit B. Albertus Magnus: « Animadvertenda est in hoc differentia inter contemplationem catholicorum fidelium et philosophorum gentilium, quia contemplatio philosophorum est propter perfectionem contemplantis, et ideo sistit in intellectu, et ita finis eorum in hoc est cognitio intellectus. Sed contemplatio sanctorum, quae est catholicorum, est propter amorem ipsius scilicet contemplati Dei; idcirco non sistit in fine ultimo in intellectu per cognitionem, sed transit ad affectum per amorem. Unde sancti in contemplatione sua habent amorem Dei tamquam principaliter intentum » (De adhaer. Deo, t. 21, ad calc., p. 6, c. 9).

886. — Similia habet Suarez, qui ait: « Differt haec contemplatio christiana a communi et philosophica, quod non est mere speculativa, sed debet esse practica, tum ex veritate contemplata, tum ex intentione operantis... Primumque ita declaro quia contemplatio haec, etiamsi sit de Deo ipso, cuius maiestatem, bonitatem, aut alia attributa considerat, non sistit in Deo ut intelligibilis est, sed ponderat eum ut est dignus gloria, honore, etc., et nisi ad hoc extendatur, non meretur nomen contemplationis quae sit pars mentalis orationis, vel ad hoc exercitium pertineat. Quia finis huius contemplationis debet esse

unio cum Deo, et ideo necesse est ut non solum speculative, sed etiam practice Deum ipsum contempletur, quantum scilicet Deus ipse practice considerabilis est. Unde etiam ex intentione operantis, contemplatio illa debet esse practica, id est ad veram sanctitatem ordinata » (De Relig., tr. 4, l. 2, c. 9, n. 8).

887. — Antonius a Spiritu Sancto, Dir. Myst., tr. 3, d. 1, s. 5, de eadem re disserens, animadvertit: I. Quod « *Contemplatio fidelium in hoc differt a contemplatione gentilium*, quia contemplatio Philosophorum est propter perfectionem contemplantis et ideo sistit in intellectu, et finis eorum est cognitio intellectus. Contemplatio vero Catholicorum est propter Dei amorem. Idcirco non habet pro ultimo fine cognitionem intellectus, sed transit ad effectum per amorem... *Conveniunt igitur hae duae species contemplationis ex parte obiecti,* quia tam philosophus, quam fidelis in sua contemplatione Deum speculatur, *non tamen aequaliter*. Nam fideles Deum praecipue ut obiectum principale contemplantur ac deinde ad eius opera, effectus ac promissa contemplanda descendunt; gentiles autem philosophi ad omnia generaliter contemplanda se totos occupabant et solum aliqui sapientiores in Dei contemplatione versabantur, ut fuit Socrates, Plato, Aristoteles et Pythagoras...

888. — II. « *Conveniunt etiam aliqualiter in medio contemplationis*, quia tam fideles quam philosophi ex consideratione creaturarum ad Dei contemplationem pervenerunt... *Sed in hoc differunt,* quod philosophi ex solis creaturis cognitionem Dei colligebant... Fideles autem non tantum ex creaturis, sed etiam ex sacris litteris per Dei revelationem ipsas et alias multas colligunt veritates simpliciter supernaturales.

889. — III. « *Differunt etiam tum in principio, tum in fine, tum in aliis annexis.* In principio physice movente, quia contemplatio fidelium incipit a vero puroque bonitatis divinae amore, ad quem augendum et conservandum etiam terminatur. Contemplatio vero philosophorum incipiebat a superbia, nec eis revelavit Deus mysteria gratiae. In fine vero differunt, quia contemplatio philosophorum habebat pro fine vanam curiositatem, unde tantum fuit speculativa. Contemplatio vero fidelium non appetitur propter se ipsam tantum, sed propter charitatis et caeterarum virtutum exercitium et augmentum. Unde simul est speculativa et practica, essentialiter quidem et formaliter speculativa, virtualiter vero practica, quasi dirigens ad opera virtutum.

890. — IV. « *Differunt etiam in pluribus aliis.* Nam contemplatio fidelium habet mirabiles effectus supra explicatos, quos non habet contemplatio gentilium. Deinde contemplatio fidelium supponit altissimam fidei divinae cognitionem et in ea fundatur. Supponit etiam spem aeternae beatitudinis... Deinde philosophi in sola contemplatione auctoris naturae versabantur... Catholici vero non solum eas perfectiones creatas in Deo contemplantur, sed etiam alias divinas perfectiones, ut Deum esse auctorem gratiae ». — *Sed de sola Contemplatione catholica, seu de Contemplatione vera et piafidelium agendum est, eiusque divisiones explanandae.*

891. — **Variae species Contemplationis catholicae seu fidelium,** *de qua sola deinceps agimus* (1).

(1) « Non est hic sermo de contemplatione pure philosophica, qua philosophi etiam per lumen naturae Deum contemplari possunt, uti fecerunt, vel saltem facere potuerunt illi philosophi, de quibus S. Paulus (Rom. I, 21) loquitur. Nec est sermo de contem-

S. Bernardus potius obiectum quam species Contemplationis, hisce verbis respicit: « Quatuor sunt species contemplationis. Prima et maxima contemplatio, est admiratio maiestatis; secunda, est intuens iudicia Dei; tertia occupatur vel potius otiatur circa memoriam beneficiorum Dei; quarta in sola requiescit expectatione promissorum ».

892. — *Richardus a S. Victore sub triplici aspectu Contemplationem distinguit,* dicens: « Tribus autem modis, ut mihi videtur, contemplationis qualitas variatur. Modo enim agitur mentis *dilatatione,* modo mentis *sublevatione,* aliquando autem *mentis alienatione.* **Mentis dilatatio** est quando animi acies latius expanditur et vehementius acuitur, modum tamen humanae industriae nullatenus supergreditur. **Mentis sublevatio** est quando intelligentiae vivacitas divinitus irradiata humanae industriae metas transcendit, nec tamen in mentis alienationem transit, ita ut supra se sit quod videat et tamen ab assuetis penitus non recedat. **Mentis alienatio** est quando praesentium memoria menti excedit, et in peregrinum quemdam et humanae industriae invium animi statum divinae operationis transfiguratione transit. — Hos tres contemplationis modos experiuntur qui saepe ad summam huiusmodi gratiae arcem sublevari merentur. Primus surgit ex industria humana, tertius ex sola gratia divina, medius autem ex utriusque permixtione humanae scilicet industriae et gratiae divinae » (Beniam. mai. l. 5, c. 2).

893. — **Contemplatio a multis dividitur in acqui-**

platione theologica pure speculativa, qua theologus lumine fidei adiutus Deum contemplatur, quia sicuti in Philosopho, sic etiam in Theologo vana est haec contemplatio, si ex curiositate ibi sistat, nec ad affectum progrediatur » (Schram, § 238).

sitam et infusam. Et in hoc sensu scribit Cardinalis Bona: « Haec (contemplatio) dividitur in acquisitam et infusam. Acquisitam voco quam propria industria et exercitatione, sed non sine divina cooperatione et gratia, acquirimus; infusam quae ex sola gratia sive inspiratione divina promanat... Illa longa et difficilis, haec facilis, prompta et suavis. Illa ratiocinativa dicitur, ista experimentalis. Qui primam habent optime de ea eiusque regulis discurrunt, experientia destituti; qui secundam, minus periti in sermone sunt, sed in usu et experientia excellentissimi » (Via comp. ad Deum, c. 10, n. 2).

894. — Eamdem divisionem admittit Benedictus XIV, dicens: « Praenotandum est duplicem a mysticis speciem contemplationis assignari, acquisitam videlicet, et infusam... Definitur contemplatio infusa et supernaturalis, seu potius describitur sequentibus verbis: simplex intellectualis intuitus cum sapida dilectione divinorum aliorumque revelatorum, procedens a Deo speciali modo applicante intellectum ad intuendum, et voluntatem ad intelligendum ea revelata, et concurrente ad eos actus per dona Spiritus Sancti, Intellectum et Sapientiam, cum magna illustratione intellectus » (De Servorum Dei Beatif. etc., l. 3, c. 26, n. 7).

895. — Morotius eodem modo Contemplationem dividens, scribit: « Multiplex est divisio contemplationis, sed illa praecipua censetur, qua dividitur in infusam et acquisitam. Est autem infusa, quae ex sola gratia sive inspiratione divina ortum habet; acquisita vero, quam exercitatio seu industria humana progignit non sine divino praesidio. Illa procedit ex donis Spiritus Sancti, haec ab humano discursu. Illa exercetur modo spirituali, Spiritu Sancto immediate mentem tangente et afflante; haec modo naturali

per usum ratiocinationis, quem consequitur simplex intuitus rei. Illa similis est navi, quae flante vento velisque expansis sine ullo remigum labore placidissime navigat; haec eidem navi assimilatur, quam vix impellunt et promovent multo conatu quamplures remiges, dum vel malacia est, vel contrarius ventus. Illa volat, haec currit. Illam praecedit gratia, hanc labor. Denique infusa facilior est, quia sine longis meditationum ambagibus velocissimo impulsu divina rimatur et penetrat; acquisita vero non paucas habet difficultates, nec ad eam pervenire possumus sine praevia meditationum exercitatione. Quare si quis contemplationis desiderio flagrat, continuis debet meditationibus incumbere, sibique certo persuadere, omnem meditationem infructuosam esse, quae non transit in contemplationem, quam pro fine habere debet; erit enim tunc sicut via sine termino, navigatio sine portu, corpus sine anima. Sicut autem assiduo conatu intellectus et voluntatis ad facilitatem meditationis pervenitur; ita per hanc contemplandi facultas paulatim acquiritur, augescit, perficitur » (p. 3, c. 2).

896. — Schram cum Reguera Contemplationem potius dividendam putat in **ordinariam** et **extraordinariam**: « Contemplatio generalissime dividitur in *ordinariam* et *extraordinariam*. Utraque vel est **Cherubica**, seu intellectiva, vel **Seraphica**, seu affectiva. *Cherubica in alias species infimas dividitur*, uti sunt contemplatio mystica SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae, Attributorum, symbolicae locutiones internae, et silentium, in quibus intellectuale magis resplendet. *Seraphica dividitur in contemplationem igneam, vulnerantem*, etc. in quibus affectivum, seu fervor divini amoris magis apparet,

quae singula in sequentibus singillatim explicabuntur » (Schram, § 240).

897. — Imo eidem Schram displicet divisio Contemplationis in *acquisitam* et *infusam*. Ait enim: « Cardinalis Laurea (Opusc. 4 et 7 de orat.) et alii mystici communius contemplationem dividunt in acquisitam et infusam, vel in activam et passivam; vel in propria industria habitam, et habitam ex gratia; vel in naturalem, et supernaturalem; quia tamen hi termini sunt aequivoci, et primo intuitu non satis sani, ideo nostra divisio ex P. Reguera (Theol. myst., t. I, p. 788, n. 79) petita magis placet, cum allati mox termini etiam ex mente suorum auctorum ad nostram reducantur, uti ex dicendis patebit » (§ 240).

898. — Ex hisce tamen ultimis verbis et ex ipsa sua definitione contemplationis *ordinariae* et *extraordinariae* patet, Schram substantialiter concordare cum aliis mysticis. Nam scribit: « **Contemplatio ordinaria** est elevatio mentis in Deum per simplicem intuitum ardentissime affectuosum, quae non excedit leges divinae providentiae in ordine supernaturali » (§ 241). Et infra: « **Contemplatio extraordinaria** est elevatio mentis in Deum per simplicem intuitum ardentissime affectuosum ex privilegio supra leges ordinariae providentiae divinae in ordine supernaturali » (§ 243).

899. — **Doctrina Antonii a Spiritu Sancto de differentiis contemplationis.** Quoniam inter mysticos scriptores quaestiones de natura et differentiis contemplationis acquisitae seu ordinariae, et infusae seu extraordinariae singulari eruditione illustrat Antonius a Spiritu Sancto, liceat eius doctrinam compendiose hic exhibere:

900. — **Notio generica utriusque contemplatio-**

nis. *Contemplatio fidelium, quae fidem praesupponit, dividitur in duas species, scilicet in acquisitam et infusam.* Illa est naturalis, ista supernaturalis. Sicut enim virtus est genus ad virtutem acquisitam et infusam, ita etiam contemplatio Christiana non immerito in acquisitam et infusam distribuitur. Acquisitam eam nuncupamus, quam industria et exercitatione propria, non tamen sine divina operatione et gratia acquirimus; infusam vero, quae ex sola gratia sive inspiratione divina promanat et quam Deus in nobis sine nobis operatur, ut ex Augustino docet D. Thomas (Dir. Myst. tr. 3, d. 1, s. 6).

901. — I. **Contemplatio acquisita** *est sincera et affectuosa cognitio summae Deitatis atque effectuum eius, nostra industria comparata.* — Dicitur: « cognitio summae Deitatis » quia in hoc convenit cum contemplatione gentilium; dicitur: « et effectuum eius », quia secundario circa omnia versatur prout a Deo omnium rerum fonte profluunt, vel quatenus ex eis surgimus ad contemplandas tamquam in aenigmate perfectiones increatas. — Dicitur: « affectuosa », quia contemplatio christiana habet suam causam in voluntate, scilicet amorem Dei, quo ad contemplandam Dei essentiam et bonitatem caeteraque attributa ascendimus. Et quamvis essentia contemplationis ab intellectu tamquam a proprio fonte dimanet, tamen effectum in voluntate reponit amorem Deitatis. Nam quo Deum perfectius cognoscimus, perfectius amamus. — Dicitur: « nostra industria comparata », quia continuis meditationibus acquiritur ac iisdem conservatur. Ita S. Basilius (homil. 3. in verba illa Moysis: « *Attende tibi* »), ubi exactam sui ipsius meditationem eximiam Dei contemplationem generare ait (tr. 3, d. 1, s. 7).

902. — II. **Contemplatio supernaturalis et infusa**

est prompta et clara cognitio summae Deitatis vel eius effectuum ab intellectus vel sapientiae dono proveniens. Haec descriptio convenit omni contemplationi supernaturali, sive infimae, sive mediae, sive supremae, et infra declarabitur. Dicitur: « clara cognitio a dono intellectus vel sapientiae dimanans », ut contemplationem acquisitam excludamus, quae praeterquam ab habitu praedictorum donorum non dimanat, non ita prompte et clare ad divinorum intuitionem assurgit. Nam illa meditatione praemissa ad veritatis aspectum non sine labore conscendit. Haec vero quasi in ictu oculi omnia creata transcendens supra divinitatis montem a Deo ipso rapitur (tr. 3. d. 3, s. 1).

903. — III. **Cur contemplatio infusa simpliciter supranaturalis dicitur.** — Et quoniam etiam contemplatio acquisita supernaturalis est sub aliquo respectu, idem Antonius a Spititu Sancto rationem affert cur contemplatio infusa dicatur simpliciter supranaturalis. Ait enim: « Ut contemplatio dicatur supernaturalis, non sufficit, ut per viam fidei supernaturalis procedat, ut procedit contemplatio acquisita. Nam fides solum concurrit ad talem actum remote et extrinsece ex parte obiecti, et non ut principium proximum intrinsecum elicitivum, ut patet in assensu theologico, qui per habitum theologicum immediate procedens et mediate per habitum fidei assentientis principiis fidei, non est ab ipsis supernaturalis, sed est ab illo naturalis, quia a principio proximo elicitivo modificatur et ad ordinem naturalem deprimitur. Nos autem loquimur de contemplatione intrinsece et quoad substantiam actus supernaturalis, et non tantum ex parte obiecti, quae ut talis sit, requiritur, quod procedat immediate a principio elicitivo supernaturali. Hoc autem principium in contemplatione infusa est aliquod do-

num Spiritus Sancti, vel aliqua scientia infusa, vel aliud lumen superius, ut infra dicemus » (Ibid.).

904. — **In quo conveniunt contemplatio acquisita et infusa.** — Id in quo conveniunt et id in quo differunt contemplatio acquisita seu ordinaria, et infusa seu extraordinaria accurate intelligendum est a cultoribus ascetico-mysticis; quod quidem idem Antonius a Spiritu Sancto item sapienter exponit, ut sequitur: « **Contemplatio acquisita et infusa conveniunt** primo in obiecto. Utriusque enim obiectumest Deus ipse et omnia, quae ad eius perfectiorem cognitionem ordinantur. Conveniunt etiam in causa et in effectibus. Utraque enim a Dei amore promanans tamquam causa ad ipsum perfectius amandum quasi aureo circulo facto revertitur. Conveniunt etiam partim in medio, quia tam contemplatio acquisita, quam infusa tum in creaturis, tum in sacris litteris praedictas veritates intuetur. Sed in obiecto et in medio etiam plurimum differunt, quia contemplatio infusa praeter has virtutes in creaturis relucentes plures alias attingit.

905. — **In quo differunt.** — I. Iuxta eumdem Antonium a Spiritu Sancto, **hae duae contemplationes differunt** *primo ex parte principii.* Nam contemplatio acquisita naturam ipsam pro principio immediato et Deum ut auctorem naturae pro principio proximo cognoscit. Contemplatio autem infusa Deum et auctorem gratiae pro suo immediato principio cognoscit. Continetur enim in ordine gratiae. Prima vero in entitate sua est naturalis, quamvis ad eius exercitium auxilia divinae gratiae actualis requirantur. Nam ad bona quaecumque ardua, etiam ordinis naturalis, propter nostrae naturae corruptae debilitatem auxilium divinae gratiae requiritur. Secunda vero est in sua entitate supernaturalis; propterea

dicitur infusa, nec ad illam causa secunda concurrit, nisi prius elevata lumine supernaturali, ut statim dicemus.

906. — II. *Differunt secundo ex parte luminis.* Nam acquisita dimanat ex naturali lumine rationis, licet ad eius perfectionem lumen fidei cooperetur. Infusa vero procedit a lumine supernaturali, puta intellectus vel sapientiae, quae sunt dona Spiritus Sancti, vel ex alio excellentiori ut supra (n. 34) diximus.

907. — III. *Differunt tertio ex parte specierum intelligibilium.* Nam acquisita species, in quibus obiectum suum contemplatur, habet omnino naturales tam in entitate, quam in modo, propria scilicet industria a phantasmatibus abstractas, et connaturali usu ad contemplandum applicatas. Contemplatio vero infusa habet species saltem in modo et quantum ad usum supernaturales.

908. — IV. *Differunt quarto in modo tendendi in Deum,* quia infusa sapientiae vel intellectus dono magis expedite, promptius et suavius procedit, quam acquisita, quae ab habitu fidei vel ab alia virtute morali seu theologica dimanat. Quapropter contemplatio naturalis potius speculatio, quam contemplatio nominatur.

909. — V. *Differunt quinto,* quia subiectum acquisitae vere dicitur agens, quatenus per proprios actus et cum omnimoda electione ac perfecto dominio veritates inventas considerat. Subiectum vero infusae potius dicitur divina patiens, non quia non agat, nam contemplari est vitaliter agere, sed quia tam suaviter et pacifice agit, ut potius actus recipere, quam dicere videatur.

910. — VI. *Differunt sexto, quia acquisita non est tam simplex intuitus divinae veritatis, quam infusa.*

Nam in acquisita immaginatio per conversionem ad phantasmata simul operans operationem intellectus contemplantis non saepe distrahit et inquietat; in contemplatione vero infusa manet anima sic elevata et a sensibilibus abstracta, quod quieta et quodammodo absorpta parte inferiori soli Deo intime unita immobiliter adhaereat, ut optime explicat Dionysius (de coelesti Hierarchia, cap. 1.).

911. — VII. *Differunt septimo, quod, etsi duae species eosdem effectus producant et easdem veritates divinas cognoscant, contemplatio tamen infusa tam in modo cognoscendi et penetrandi divina, quam in effectibus lucis, amoris et suavitatis est plenior et eminentior quam sit acquisita.* Cuius ratio est, quia contemplatio infusa procedit a dono sapientiae vel intellectus. Ergo procedit fortius et suavius et cum maiore luce, amore et suavitate, quam acquisita, quae tantum procedit a lumine naturali adiuto lumine fidei.

912. — VIII. *Differunt octavo*, quia quando Deus per contemplationem infusam illabitur animae extra se raptae, quando redit ad se ipsam, nullatenus dubitare potest, quod rapta fuerit a Deo. Ita N. M. S. Theresia (cap. 18, vitae suae). – *Haec Antonius a Sp. Sancto, Dir. Myst., tr. 3, d. 1, s. 8.*

913. — **Concordia divisionis Schram cum aliis.** — Diximus supra, clarissimo Schram haud placere divisionem contemplationis in *acquisitam* et *infusam*, sed substantialiter tamen concordare cum illis quorum divisio haud sibi placitam exhibet. Ut autem melius videatur concordia illa divisionis Schram cum divisionibus aliorum mysticorum, opportunum ducimus alias explanationes ex eodem Schram transcribere, quae etiam difficilem hanc quaestionem non parum illustrant.

914. — I. **Contemplatio ordinaria** 1° potest dici *acquisita*, quatenus dispositive ad illam homo se praeparare potest, ac tandem illam obtinere, non tamen viribus solius naturae, nec ut rem omnino debitam et sine nova gratia, nec quam aliquis mereatur, nisi ad summum de congruo. 2° Eodem modo potest dici *activa*, scilicet tantum dispositive. 3° In eodem sensu potest dici *propria* industria habita, supponendo nimirum industriam, et dispositionem non viribus naturae, sed principalissime viribus gratiae adhibitam. 4° *Multo minus contemplatio ordinaria potest dici naturalis absolute*, nisi in sensu comparativo, quatenus est minus supernaturalis, quam extraordinaria: cum tamen etiam contemplatio ordinaria intrinsece supernaturalis et infusa sit (Schram, § 241).

915. — II. **Contemplationem extraordinariam** explicat Ludovicus a Ponte (§ 11. Introd. ad medit.) dicens: « Est alia via extraordinaria quae amplectitur alios modos extraordinarios orationis, magis supernaturales, et speciales, quos vocamus orationem quietis, aut silentii, cum suspensionibus, extasibus, raptibus, simul cum figuris extraordinariis veritatum, quae deteguntur, vel cum sola ipsarum luce intellectuali: item cum revelationibus, et locutionibus internis, et cum aliis modis innumerabilibus, quibus Deus se communicat animabus, et quorum vera regula praescribi non potest, si quidem alia regula non gaudent, quam magisterio, et directione Magistri supremi, docentis de modis huiusmodi, quos vult, et quomodo vult ». Haec contemplatio extraordinaria cum aliis Mysticis vocari potest: 1° *Infusa*. non hoc sensu, quasi vero ordinaria infusa non esset, sed quod extraordinaria dispositive acquiri non possit. Item vocari potest: 2° *Passiva* in eodem hoc

sensu; et 3° *habita ex gratia*, non quasi ordinaria ex gratia non haberetur, sed quia extraordinaria aliquam ex gratiis gratis datis semper comitem habet: quo etiam modo 4° *supernaturalis* dici potest, maxime in sensu comparativo, quatenus ordinaria est quasi minus supernaturalis, quam extraordinaria » (§ 243).

916. — **Contemplatio cherubica et seraphica. — Contemplatio sive activa seu ordinaria seu acquisita, sive passiva seu extraordinaria seu infusa, est vel cherubica vel seraphica**, ut supra notatum est, id est vel principaliter *intellectiva*, vel principaliter *affectiva*. In *cherubica* praevalet illuminatio, in *seraphica* ardor charitatis.

917. — **Contemplatio cherubica seu intellectiva**, est illa in qua licet duo actus partiales intellectus et voluntatis reperiantur, eminet tamen magis quod intellectuale est (1).

918. — **Contemplatio seraphica** seu affectiva est

(1) **De contemplatione cherubica**, Hugo a S. Victore, l. 2, de Anim., c. 20: « Cum coeperit mens per puram intelligentiam semetipsam excedere, et illam incorporeae lucis claritatem tota intrare, et in his, quae intrinsecus videt, quemdam intimae suavitatis saporem trahere, et ex eo intelligentiam suam condire, et in sapientiam vertere; in tantum in hoc mentis excessu pax illa, quae exsuperat omnem sensum, invenitur, atque obtinetur, ut fiat silentium in coelo. Nihil sensualitas, nihil agit imaginatio, sed omnis inferior vis animae proprio interim viduatur officio ». — Et Richardus a S. Victore. l. 4, de contempl., c. 12, scribit: « Si fidei nostrae arcana, quae vel ipsi per revelationem didicimus, vel a Theologis viris accepimus, assuescimus in contemplationem adducere, tunc eveniet, si Deus det, in eorum admirationem animum nostrum suspendere, et pascere, humiliare, et in divinorum desiderium acriter inflammare ».

illa in qua inter duos actus intellectus et voluntatis eminet quod magis affectuosum, ardens et charitate accensum est. Ita Schram, § 265, 281.

919. — **Cognitio praevia vel concomitans in contemplatione.** — Omnino tenendum, quod **cognitio praevia vel concomitans nullo pacto excludi potest a contemplatione**, quidquid dixerint nonnulli mystici. Nam, ut ait Antonius a Spiritu Sancto: « *In contemplatione quantumcumque altissima huius vitae non privatur anima humana intellectus et voluntatis operationibus, sed libere et cum cognitione operatur.* Ita D. Thomas (de veritate, q. 13, art. 1 ad 9, et 2 2, q. 175, art. 1 ad 3). Ratio est, quia vel intellectus operatur cum abstractione a sensibus etiam internis in ea contemplatione, vel servato ordine naturali per conversionem ad phantasmata. Si primo modo, cum talis cognitio non dependeat a sensibus, nec in fieri, nec in conservari nullam ei possunt inferre necessitatem, quominus homo sive dormiens sive vigilans impediatur a perfecto usu rationis et libertatis operando independenter ab illis. Immo ex imitatione coelestium mentium earumque participatione perfectius operabitur, quam fiat per naturalem usum rationis in homine vigilante. Si per conversionem ad phantasmata, non est difficultas, quia in somno prophetico, extasi et similibus, mens solvitur et est expeditior, et non impeditur actus animae quoad perfectum iudicium rationis. Immo superior portio inferiores functiones sensuum impedit, maxime cum ab actuali iudicio ab illis non dependeat, et satis est sola cooperatio phantasiae ex naturali modo intelligendi huius vitae. Tum quia gratia non destruit naturam, sed perficit. Sed natura hominis est, ut libere operetur. Ergo contemplatione altissima huius vitae non privatur anima

humana intellectus et voluntatis operationibus » (tr. 4, d. 4, s. 12).

920. — S. Dionysius seu auctor Div. Nom., videtur quidem praeviam excludere cognitionem in consummata contemplatione, dicens: « Hanc igitur rationis expertem et amentem atque fatuam sapientiam superlate laudantes, dicamus omnis mentis et rationis, omnisque sapientiae et intelligentiae causam esse » (S. Dionys., Div. Nom., c. 7, § 1); sed revera necessariam habet aliquam intelligentiam. Unde alibi idem S. Dionysius in mystica caligine admittit aliquid *plusquam clarissime lucens:* « Summum fastigium, ubi simplicia et absoluta, et immutabilia theologiae mysteria aperiuntur in caligine plusquam lucente silentii arcana docentis, quae in obscuritate tenebricosissima plusquam clarissime superlucet, etc. » (Theol. Myst., c. 1, initio).

921. — Idipsum agnoscit Alvarez de Paz, qui tamen multum concedit defensoribus exclusionis cognitionis praeviae vel concomitantis. Ait enim: « Itaque ex Dionysio amorem sine intelligentia aliqua colligere non possumus. At viris spiritualibus ad perfectionem orationis affectivae provectis, amorem Dei ardentissimum, sine ulla praevia aut concomitante cognitione, interdum haberi sentimus. Et quidem, sicut viris spiritualibus non licet scholasticos doctores despicere, ita nec licet doctoribus scholasticis viros contemplationis dono cumulatos in hac parte contemnere, sed patienter audire, et eorum dicta non statim animo obdurato damnare. Hi constanter affirmant, se interdum, sine praevia cognitione, amorem habere et voluntatem suam immediate a Deo, sine ullo actu intellectus, ad amandum excitari, et hoc se per experientiam didicisse, etc... Ego quidem novi aliquem in rebus philosophicis bene

versatum et donis divinis et vitae puritate nimis excultum, qui amorem saepe sibi inesse, absque ulla cognitione non minus evidens quam lucem meridianam putabat » (De affect. or. ment., l. 4, part. 3, c. 8).

922. — Sed magis placet hic textus Gerson: « Praecedit nihilominus et comitatur naturaliter in omni dilectione praesertim elicita et meritoria, cognitio dilectionem, et si non cognitio reflexa, tamen recta. Haec est traditio omnium tam philosophorum quam theologorum et moralium cum experientia dicentium per vocem Augustini: Invisa diligere possumus, incognita nunquam » (Myst. theol. Consid. 10).

923. — Cui concordat Lopez Ezquerra, dicens: « Erroneum est dicere quod in passiva et infusa contemplatione voluntas amet Deum, et intellectus nihil cognoscat... Causa praedicti erroris deduci potest ab effectibus, quos anima percipit in his supernaturalibus infusionibus; quia cum Deus incomprehensibilis sit, quanto magis intellectus in eius contemplatione elevatur, tanto amplius in eius incomprehensibilitate absorbetur; et eo sublimius extollitur, quo simplicior et imperceptibilior redditur... Cum autem potentia affectiva, ut est voluntas, in sui operatione sit longe palpabilior quam operatio intellectus, in ea enim ignis infusi amoris clare percipitur; lumen vero intellectus tamquam delicatius et sublimius vix cognoscitur. Quamobrem falso putant voluntatem amare, et intellectum nihil cognoscere, et hoc interest magistrum non ignorare » (Lucerna myst., tr. 2, c. 14, n. 129-130).

924. — Quapropter tenenda omnino sententia necessitatis cognitionis praeviae vel concomitantis; de qua Suarez ait: « Communior theologorum est ». (De relig. l. 2, c. 13, n. 8). Et alibi declarat: « Dico

tertio amorem Dei sine praevia cognitione non posse in hac vita experimento cognosci, ideoque nullum esse medium quo talis amor probabiliter suadeatur.... Quia si dum amatur Deus, nulla adest actualis cognitio, ergo nulla tunc est experientia, quia experientia dicit cognitionem » (Ibid. n. 23, 24).

925. — Denique mystici aliter sentientes haud difficulter conciliari possunt dicendo, ipsos in praxi rem deducere ad *magnam praevalentiam actualem amoris supra cognitionem;* unde, aliis licet verbis, id de facto dicere volunt, quod libenter cum Hugone a S. Victore et nos admittimus, videlicet in casibus praesertim de quibus agitur: « Plus diligitur quam intelligitur, et intrat dilectio et appropinquat ubi scientia foris est » (Exposit. in Hierarch. coelest. S. Dionys. l. 7). Ita in naturalibus, multi illas etiam scientias perfecte amant, quas tamen imperfectissime et valde summarie cognoscunt. Et amor in aliquo adeo intensus esse potest, ut videatur quasi disparuisse omnis cognitio.

926. — **Concludendum.** Ex hucusque dictis, sufficienter constare videtur de natura utriusque contemplationis deque eius existentia. Quare dicendum cum Schram: « Datur contemplatio ordinaria iuxta leges divinae providentiae in ordine supernaturali assequibilis, quatenus homo per gratiam Dei dispositive se ad illam praeparare, ac illam obtinere potest, non tamen viribus solius naturae, nec ut rem omnino debitam, et sine nova gratia; quamque nemo, nisi ad summum de congruo mereatur.... Ad leges ordinarias divinae providentiae spectat contemplatio post meditationem, sicuti terminus post viam, finis post medium, modo in hac vita possibili, ne providentia in modo operandi regulari minus provida censeri posset » (§ 242). Imo tenendum cum An-

tonio a Spiritu Sancto: « Quod sicut meditatio transit in contemplationem acquisitam, ita contemplatio acquisita quandoque transit in contemplationem infusam ».

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Mater nostra Immaculata est: Pomarium Domini, consitum manu Sapientiae omni arborum genere, id est omnimoda virtute (Rich. a S. Laur.).

MARIAM INVOCA. — O Maria, quae iuxta S. Damascenum, es: Promptuarium ineffabilium Domini miraculorum, Promptuarium omnis pietatis; ora pro me, et fac me fidelem verae devotionis cultorem.

MARIAM LAETIFICA. — Indefessa omnium virtutum cultura. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis.* (S. Ildef.).

CAP. V. — ALIAE DIVISIONES CONTEMPLATIONIS.

927. — **Contemplatio per affirmationem seu positionem, et per negationem seu ablationem.** — Ita describitur ab Antonio a Spiritu Sancto: « Contemplatio acquisita dividitur in eam, quae est per affirmationem, et in eam, quae est per negationem. **Comtemplatio per affirmationem** est, quando ex esse creaturae ascendimus ad esse Dei tamquam ab effectu ad causam, et quando ex vita creaturae affirmamus, Deum vivere, et ex intelligere creaturae affirmamus, Deum esse intelligentem. Unde ex perfectionibus creaturarum ascendimus ad perfectionem Dei. **Contemplatio per negationem** est, quando negamus Deo ea, quae videmus et intelligimus, scilicet eo modo, quo in creaturis intelligimus, et hoc modo negamus de Deo substantiam, sapientiam caeteraque omnia, eo inquam modo, quo in creaturis ea esse intelligimus et pro hoc statu concipimus » (Idem iisdemque verbis habet Vallgornera).

928. — Et addit: « Alio modo contemplantur aliqui Sancti Deum, **coniungendo affirmationem negationi.** Ita de Deo loquitur S. Augustinus (lib. 5. de Trinit., cap. 1.), ubi ait: *Intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine intelligentia creatorem, sine situ praesentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem nihilque patientem.* Alii vero assignant tertium modum contemplandi Deum **per excellentiam, per excessum, per eminentiam, aut quid simile.** Et hic modus

est quasi medius inter utrumque iam dictum et de utroque participans, ut cum dicitur: « Deus non est quid sensibile, sed supersensibile, nec imaginabile, sed superimaginabile, nec intelligibile, sed superintelligibile, nec existens, hoc vel hoc, sed super omne ens ». Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem et altius elevatur et profundius aggreditur, pro eo, quod excedit se et omne creatum » (tr. 3, d. 1, s. 10).

929. — Haec divisio ab ipso S. Dionysio originem habet: « Dionysium, velut theologiae mysticae principem, secuti, tum sancti Patres, tum doctores mystici et scholastici, hunc duplicem contemplationis modum, per affirmationem scilicet seu positionem, et per negationem seu remotionem adducunt » (Philipp. a SS. Trinit. Sum. Th. myst. p. 2, tr. 1, d. 2.).

930. — Modus affirmativus et negativus in contemplatione, pictoriae et sculptoriae arti potest comparari. « Imago alicuius regis duobus modis fieri potest, pictura et sculptura. Ars picturae fingit imaginem additione, ars sculpturae subtractione.... Ita duobus modis Dei conceptum efformamus. Primo quidem veluti pingendo, cum ei creaturarum perfectiones, quasi colores adscribimus.... Secundo, veluti sculpendo qua ratione, omnia, quae illi adscripsimus, ab eo quasi particulas superfluas removemus » (Alvarez de Paz, de Perf. contempl. l. 5, p. 1, app. 3, c. 3.

931. — Doctor Seraphicus, de eadem divisione agens, scribit: « Nota, quod *aspectus veritatis* debet esse erectus ad incomprehensibilia, et haec sunt mysteria summae Trinitatis, ad quae erigimur contemplando, et hoc dupliciter: vel PER POSITIONEM, vel PER ABLATIONEM. Primum ponit Augustinus, se-

cundum Dionysius... Sed alia est eminentior, scilicet secundum *viam negationis* seu *ablationis*, quoniam, ut dicit Dionysius, « affirmationes incompactae sunt, negationes verae », licet enim minus videantur dicere, plus dicunt. Et hic modus erectionis est per abnegationem omnium, ita quod in negationibus illis sit *ordo*, incipiendo ab inferioribus usque ad superiora, sit etiam *supereminentis positionis inclusio*, ut cum dicitur: Deus non est quid *sensibile*, sed supersensibile, nec *imaginabile* nec *intelligibile* nec *existens*, sed super omnia haec. Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem et altius elevatur et profundius ingreditur, pro eo quod excedit se et omne creatum. Et hic est nobilissimus elevationis modus; sed tamen ad hoc, quod sit perfectus, praeexigit alium, sicut perfectio illuminationem, et sicut negatio affirmationem. Hic autem modus ascendendi tanto est vigorosior, quanto vis ascendens est intimior; tanto fructuosior, quanto affectio proximior. Et ideo valde utile est in illa exerceri » (De tripl. via, c. 3, § 7).

932. — Eamdem divisionem illustrat B. Dionysius Carth. dicens: « Quemadmodum Dionysius (De divin. nom. c. 1) loquitur, duplici via ad Dei cognitionem ex creaturis procedimus. Prima est VIA POSITIONIS SEU AFFIRMATIONIS, dum quidquid bonitatis perfectionis, ac eminentiae reperitur in creaturis, Deo tamquam omnium primo et effectivo principio excellentissime, omni imperfectione seclusa, adscribimus. Secunda est VIA ABLATIONIS SEU ABNEGATIONIS, dum quidquid in entibus invenitur creatis negamus de Deo, tamquam de superexaltato, superessentiali et superincomprehensibili, qui nec genere, specie, nec aliquo univoco convenit cum creatis, nec ei aliquid competit prout nos comprehendere id va-

leamus ». — Et in libro de Div. Nom. a. 8, subiungit: « In his verbis gloriosus theologus (Dionysius) triplicem tangit viam, modum ac ordinem ascendendi in Dei cognitionem ex creaturis: videlicet viam ablationis, et eminentiae, atque causalitatis. Alibi vero ponit et viam positionis seu affirmationis, prout istud super mysticam theologiam potius locum habet ».

933. — B. Albertus Magnus, de contemplatione per negationem opportune monet: « Non est ibi pura negatio, sed receptio cuiusdam luminis habitualis, per quod devenit ad actum divinae visionis. Et per hoc patet solutio ad tertium, quod non est pura negatio, sed negatur modus naturalis visionis, et relinquitur susceptio supernaturalis luminis, quod tamen magis notificatur per negationem, eo quod non invenimus aliquid notum nobis, quod proprie de Deo praedicemus, propter eminentiam simplicitatis eius, cum praedicationis veritas fundetur in alia compositione: sed, sicut dicit Gregorius ‚balbutiendo excelsa Dei resonamus » (De Myst. Theol. S. Dionys. c. 2, n. 2, d. 1, ad 2 et 3). Unde merito notavit B. Dion. Carthusianus: « In contem platione Dei per negativa non sistit mens in meraet pura negatione » (1).

(1) Idem B. Dion. Carth. in com. de Myst. theol. a. 8, scribit: « In contemplatione seu visione mysticae theologiae, qua Deus *per omnium ablationem et abnegationem* cognoscitur, clarius et sublimius noscitur et videtur, quam in contemplatione praedicta *per affirmationes*, ideo et obiective, non tamen quid est sed quia est, sed per appropinquationem grandem ad notitiam quidditatis. Verumtamen in hac contemplatione fertur apex mentis et intelligentiae vertex Deo uniri tamquam omnino ignoto, in omnimoda quoque caligine fieri, nihilque peni-

934. — **Contemplatio per ascensum et per descensum.** — CONTEMPLATIO PER ASCENSUM est ea per quam a creaturis in Deum Creatorem quasi gradatim ascendimus. — CONTEMPLATIO PER DESCENSUM est ea per quam a Creatore ad creaturas descendimus. — In prima per effectus ad causam ascendimus; in secunda a causa ad effectus descendimus.

935. — Duplicem hanc contemplationem seu contemplationis modum ita esponit Antonius a Spiritu Sancto: « CONTEMPLATIO PER ASCENSUM fit, quando quibusdam quasi gradibus a cognitione creaturarum ad creatoris cognitionem ascendimus, iuxta illud Pauli (ad Romanos 1, 20): *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur*. Fit CONTEMPLATIO PER DESCENSUM quando ex creatoris Dei contemplatione per quamdam redundantiam ad contemplandas creaturas tamquam ad obiectum secundarium contemplationis descendimus. Utriusque contemplationis fundamentum est, quia sicut causa relucet in propriis effectibus tamquam in vestigio suo, sic effectus relucet in propria causa tamquam

tus de illo cognoscere; non quod ab illius inspectione omnifarie vacet: praesertim cum illa sit altissima, clarissima, perfectissima ac profundissima deitatis contemplatio, cognitio, visio huic vitae possibilis, ut ipsemet Dionysius, et expositores ipsius testantur; sed quia in hac contemplativa, et sapientialissima ac ferventissima unione cum Deo, mens acutissime et limpidissime conspicit, quam superincomprehensibilis, et supersplendentissimus, et superluminosissimus, et superpulcherrimus, et superamabilissimus, et supergaudiosissimus sit ipse Dominus Deus omnipotens et immensus; atque quam infinite et incredibiliter a plena illius cognitione, et beatifica eius fruitione, visioneque faciali immediate et clare intuitiva distet, deficiat et occumbat ».

in exemplari et principio. Unde et cognitio effectuum ad contemplationem causae et vice versa cognitio causae ad contemplationem effectuum manuducit. Est autem contemplatio per ascensum principaliter et per se intenta per modum ultimi finis, ut ait Augustinus (lib. 1, de Trinit., cap. 8), ubi ait: « *Contemplatio Dei promittitur nobis actionum omnium finis* ». Contemplatio vero per descensum est minus principalis » (tr. 3, d. 1, s. 11).

936. — Et ibidem, in fine, hoc monitum habet: « Postquam quis ex creaturarum cognitione ad Dei contemplationem ascendit, debet in caliginem ignorantiae intrare et credere, quod Deus non est id quod in ascensu novit, sed est super illud omne, eique sic cognito per affectum intime ac suaviter adhaerere. Ita D. Bonaventura (Itinerar. ment. cap. 4. circa finem). Non tamen per hoc intelligitur, quod in hoc sublimis contemplationis statu nulla penitus de Deo habeatur notitia, ut ipsa videntur indicare verba, sed tantum sequitur, quod non habeatur distincta Dei notitia, quantum ad *quid est;* nam quantum ad *quia est,* sive ad eius existentiam, habetur perfectissima. Nam qui sic ad Deum per creaturas ascendit, debet omnes cognitas in creaturis rationes ac perfectiones a Dei conceptu removere, prout scilicet in creaturis limitatae ac imperfectionibus admixtae videntur, et iudicare, quod Deus est quid perfectissimum super omnia intellecta aliquo modo eis simile, sed tamen per infinitum, per excellens. Et in hoc confuso conceptu Deum contemplari debet, ut optime declarat Dionysius Carthusianus ».

937. — **Contemplatio per motum rectum, obliquum et circularem.** — Fundamentum istius divisionis habetur in sequenti textu S. Dionysii: « *Divinae mentes* [*i. e. coelestes intelligentiae*] *dicuntur mo-*

veri **circulariter** quidem, dum principio fineque carentibus, pulchri bonique splendoribus uniuntur; **directe** autem, quando ad inferiorum providentiam procedunt, recte omnia dirigendo; **oblique** vero, dum inferioribus consulentes in eodem statu perpetuo manent, circa bonum et pulchrum eiusdem status causam, semper se versantes. *Animi autem motus* **orbicularis** est eius ab extraneis in semetipsum introitus, spiritualiumque ipsius facultatum unimoda inflexio, quae quasi in *circulo* fixum et ab omni errore liberum motum ei tribuit, et a multis rebus extraneis ipsum convertit ac colligit, primum ad se, deinde quasi iam unius modi effectum, coniunctis uno modo facultatibus coniungit, atque ita demum ad pulchrum et bonum manuducit, quod supra omnia quae sunt et unum et idem, et sine principio et sine fine est. **Oblique** vero cietur animus, quando pro captu suo notionibus divinis illustratur, non spiritali quidem unito modo, sed cogitando et discurrendo quasi permixtis fluxisque actionibus. — *Directe* vero movetur, quando non ad seipsum ingreditur, neque singulari motu spiritali fertur, nam hic motus circularis est, ut dixi, sed ad ea quae ipsi vicina sunt progreditur, et a rebus externis, non secus ac signis quibusdam variis ac multiplicibus, ad simplices et unitas contemplationes revocatur » (Nom. div. c. 4, § 8 et 9).

938. — Idem fundamentum habetur in notissima hac doctrina Angelici dicentis: « Operatio intellectus in qua contemplatio essentialiter consistit, motus dicitur, secundum quod motus est actus perfecti. Quia vero per sensibilia in cognitionem intelligibilium devenimus, operationes autem sensibiles sine motu non fiunt; inde est quod etiam operationes intelligibiles quasi motus quidam describuntur, et secundum si-

militudinem diversorum motuum earum differentia assignatur. In motibus autem corporalibus perfectiores et primi sunt locales; et ideo sub eorum similitudine potissimae operationes intelligibiles describuntur. Quorum quidem sunt tres differentiae: nam quidam est **circularis**, secundum quem aliquid movetur uniformiter circa idem centrum. Alius autem est **rectus**, secundum quem aliquid procedit ab uno ad aliud. Tertius autem est **obliquus** quasi compositus ex utroque. Et ideo in operationibus intelligibilibus, id quod simpliciter habet uniformitatem attribuitur motui *circulari;* operatio autem intelligibilis secundum quam proceditur de uno ad aliud attribuitur motui *recto;* operatio autem intelligibilis habens aliquid uniformitatis simul cum processu ad diversa attribuitur motui *obliquo* » (22, q. 180, a. 6).

939. — **Contemplatio per motum rectum** est, *illa quae fit per ascensum a creaturis ad Deum seu ad Creatorem;* ideoque concordat cum contemplatione *per ascensum* supra descriptam. — **Contemplatio per motum obliquum** est, *illa quae a contemplatione Dei seu Creatoris descendit ad contemplationem creaturarum, ut iterum ad ipsum Creatorem ascendat;* unde multum accedit ad contemplationem *per descensum*, de qua supra, eamque tamen transcendit per positivum ascensum post descensum. — **Contemplatio per motum circularem** est *illa qua anima, abstrahendo a creaturis et a propria ratione, cum sola fide Deum intuetur et in Deo quiescit.*

940. — Antonius a Spiritu Sancto, triplicem hunc modum contemplationis ita exponit: « *Tribus modis movetur anima in Deum. Primo* ascendendo ab imperfecto ad perfectum, et hic motus vocatur **rectus**. Nam per eum recte ascendit anima suo modo a creaturis ad Creatorem. *Secundus* est, quando anima ex

Dei contemplatione ad contemplandos effectus aut ad alia eius opera in ordine ad creaturas divertitur, et iterum ad ipsum Deum contemplandum redit, et hic dicitur **obliquus**. *Tertius* est, quando anima dimissa sua ratione cum sola fide tendit ad Deum non limitate, ut in creaturis, sed illimitate et in sua incomprehensibilitate, et quando relinquendo species creatas quiescit in illa infinita bonitate tamquam in centro et ibi prae admiratione et amore deficit et defluit a se ipsa et dulciter absorbetur, obdormit et quiescit in superdilectissimo Deo et Creatore suo. Et hic motus dicitur **circularis** » (Tr. 3, d. 1, s. 12).

941. — Et statim addit: « *Primus motus dicitur* **rectus**, quia est proprium animae rationalis, dum est in corpore, tendere ad Deum mediante cognitione sensibilium et creaturarum et discursu rationis. Et hic motus reperitur in contemplatione per ascensum superius descripta..... *Secundus motus dicitur* **obliquus**, quia cum intellectus attenderet ad suum proprium obiectum, quod est essentia universalis Dei, in qua habebat totum sui complementum, reflectitur ad consideranda alia obiecta particularia et limitata, sive sint divina attributa, sive res creatae, et postea iterum redit ad simplicem actum contemplationis divinae bonitatis.... *Tertius motus dicitur* **circularis**, qui est figura perfecta sine fine nec principio, quia per eum intellectus remotus a creaturis in sola fide essentiam Dei contemplatur. Et hic motus invenitur praesertim in contemplatione supernaturali, quae in statu unionis intimae conceditur ».

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Virgo Immaculata est: Officina immensorum bonorum atque omnem mentis captum et cogitationem

superantium; Officina medica gratuita omnibus vulneratis (S. Damascenus).

MARIAM INVOCA. — O dulcissima Mater mea, ora pro me Filium tuum, fratrem meum amabilissimum, quia iuxta B. Dionysium Carthusianum, tu es: Origo ex qua et per quam Deus noster factus est frater noster; Creator noster factus est noster Salvator; Iudex noster factus est noster advocatus; et Dominus scientiarum factus est magister noster ac legislator; et Dominus angelorum inter homines conversari dignatus est.

MARIAM LAETIFICA. — Mirabilia divinae pietatis opera ne obliviscaris; sed frequenti recogitatione innova in mente et corde tuo. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

Cap. VI. — OBIECTUM CONTEMPLATIONIS.

942. — Teste Angelico: « *Ad vitam contemplativam pertinet aliquid dupliciter: uno modo principaliter; alio modo secundario vel dispositive*... Principaliter quidem ad vitam contemplativam pertinet contemplatio divinae veritatis, quia eiusmodi contemplatio est finis totius humanae vitae... Sed quia per divinos effectus in Dei contemplationem manuducimur, secundum illud (Rom. I, 20): Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, inde est quod etiam contemplatio divinorum effectuum secundario ad vitam contemplativam pertinet, prout scilicet ex hoc manuducitur homo in Dei cognitionem » (22, q. 180, a. 4).

943. — Cui concordat Suarez, dicens: « Theologica vero contemplatio solum circa Deum per se primo versatur, et secundario circa res divinas vel opera aut beneficia Dei, vel effectus quatenus ad ipsius cognitionem conferunt » (De Relig. tr. 4, l. 2, c. 9, n. 6). Igitur:

944. — **Obiectum primarium contemplationis** est Deus eiusque attributa; **secundarium**, opera et beneficia divina seu divini effectus. De qua re ita scribit Morotius: « Obiectum, circa quod versatur contemplatio, multiplex est, nimirum Deus Optimus Maximus eiusque infinitae perfectiones; Christus Salvator noster et ea omnia, quae ad nostrae redemptionis mysterium spectant; gloria coelestis et omnis status Ecclesiae triumphantis, B. Virgo, Angeli et Sancti eorumque merita, dotes et felicitas; status Ecclesiae militantis, eius maiestas, eius notae, eius persecutiones et triumphi; mundus iste visibilis et omnes creaturae,

quatenus nos perducunt et elevant ad Dei cognitionem et amorem; nos ipsi, qui et quales simus et quid de benignitate Domini sperare debeamus; tandem ut in uno verbo omnia complectar, omnis materia meditationis est quoque materia contemplationis, nisi quod meditatio investigat, contemplatio degustat; illa mater amoris, haec filia est; illa singillatim et per partes obiecta considerat, quae nos moveant; haec simplici intuitu obiectum respicit et fortius movet » (p. 3, c. 2, § 2).

945. — **Mysterium SS. Trinitatis** *est primarium contemplationis obiectum.* Nam « etsi contemplatio supernaturalis ad omnia obiecta se diffundat ad quae contemplatio naturalis seipsam extendit, tam in creaturis quam in ipso Creatore, principalius tamen... mysterium sanctissimae Trinitatis quasi magis proprium ipsique proportionatum respicit obiectum, utpote prorsus supernaturale » (Philipp. a SS. Trinit. Sum. Theol. Myst. 2, tr. 3, a. 6).

946. — *Fructus huius contemplationis est uberrimus.* « In animabus contemplativis, dum mysterium SS. Trinitatis sub fidei umbra non sine adminiculo lucernae Theologiae vident, tunc illis aliquoties supervenit quaedam de hoc mysterio lux clara, calorifica, splendens, pacifica, et iucunda, supremum hoc arcanum multa cum vivacitate repraesentans: insuper in eo, veluti in speculo divino intuentur plurimas novas veritates, plura divina secreta, complura mysteria, plurimas perfectiones, utque isto simplici intuitu anima suspenditur, admiratur, delectatur, inflammatur, interius immutatur, elevatur, et perficitur. Testatur hoc de seipsa S. Theresia (*Vita* c. 39); et P. Godinez (l. 5, c. 3) refert, novisse se quosdam Theologos, qui aliquoties hac gratia contemplationis circa hoc mysterium donabantur, dicebantque lucem, quam circa

id in libris reperiebant, esse tenuem, cum contra lux contemplationis esset clara, et calorifica, intellectum sublimiter illuminans, et suaviter calefaciens voluntatem (Schram, § 267).

947. — **Attributa divina, opera divina** *magnum contemplationis obiectum;* de qua re scribit S. Bernardus: « Hi vero qui cum Maria soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in Angelis, quid in seipso, quid in reprobis, contemplantur quia Deus est mundi rector et gubernator, hominum liberator et adiutor, angelorum sapor et decor, in seipso principium et finis, reproborum terror et horror; in creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in angelis desiderabilis, in seipso incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis » (De divers. serm. 48. De Paupert., volunt.).

948. — *Fructus contemplationis de divinis attributis et operibus pariter uberrimus existit.* « Harum considerationum quaelibet, si mediocritatem non superat, erit meditatio. Si vero animam cum excessu elevat, unionem afferet cum avulsione a creatura, et amore Creatoris: et si ad sublimiorem ascendit gradum in cognitione fidei, et vivacitate amoris, poterit evadere contemplatio. Sic v. g. supposita fide immensitatis Dei, qua Deus est in omni loco intime praesens, ut causa universalis, essentiam cuiusvis creaturae conservans, interdum contemplativi tam clara, pura et sublimi luce donantur, ut istam immensitatem considerando, Deum in omnibus temporibus, locis, personis et occupationibus praesentissimum inveniant: cor item tam bene dispositum habent, ut ad levissimam cogitationem, vestigium, signum, aut relationem Creatoris subito anima in eum iaculatoriis precibus, anxietatibus, suspensione, affectu, aliisque actibus internis vel externis, etiam

suspiriis subsultet... Sic a conspectu pulchri floris ad dilecti pulchritudinem cogitatio salit, et creaturae omnes illi scala sunt, ut subito ad coelestia ascendat; porro hic orationis modus multis in se deliciis, teneritudine, devotione, compositione facili ad interiorem Dei praesentiam, cum orationibus iaculatoriis, suspiriis, et lacrymis abundat. Interior vero unio tales contemplativos facit exterius modestos, honestos, compositos, tacitos sine affectatione et hypocrisi, sed cum sinceritate et veritate. Ex hac oratione haurit anima ingens robur ad virtutes morales rite exercendas, illas praecipue, quae cum suo statu, instituto et obligatione magis connexae fuerint, sine quibus contemplatio vel amissioni, vel suspicioni obnoxia est; magis enim virtuosus sanctior est, quam magis contemplativus, nisi fuerit simul virtutibus, exemplisque illustrior. Ita Godinez c. 6 ». (Schram, § 272).

949. — **SS. Humanitas Christi.** — Materia contemplationi convenientissima, sicut et meditationi, sunt mysteria SS. Humanitatis Christi. Contrarium dicentibus respondet Ecclesia, illorum proscribens errorem qui tenere vel docere ausi sunt: « Quod in elevatione corporis Iesu Christ inon debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate et altitudine suae contemplationis tantum descenderent, quod circa ministerium seu sacramentum Eucharistiae, aut circa Passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent » (damn. prop. Clementin. l. 5, tit. 3, de haer. c. 3). Damnavit pariter Molinos dicentem: « Non debent elicere actus amoris erga B. Virginem, sanctos, aut humanitatem Christi, quia cum ista obiecta sensibilia sint, talis est amor erga illa » (Prop. Molinos, 35. damn. ab Innoc. XI, an. 1687).

950. — Contra tam impios errores, adversus Beguardos scribens, acriter quidem sed merito insurgit Alvarus seu Alvarez Pelagius dicens: « Quod dicunt isti (Beguardi) maledicti, quod caderent a perfectione suae contemplationis, si de carne Christi aut de passione eius aliquid cogitarent, insanum est manifeste et diabolicae arrogantiae, quia videndo corpus Christi, vident Deum per fidem et divinitatem eius, quae coniuncta est carni Christi... Et quae maior et purior contemplatio, quam cogitare Deum passum in carne, ad cuius memoriam est illud Sacramentum principaliter institutum?... Nihil enim sic hominem ad Deum trahit, et ad Deum allicit, sicut Deum hominem contemplando » (De Planctu Eccl. l. 2, c. 52, f. 175).

951. — Illis autem qui bona fide ex falso devotionis conceptu a contemplatione SS. Humanitatis Christi abstinent, plane quadrant haec verba Sanctae Theresiae vehementer dolentis quod aliquando ex quorumdam librorum lectione in eam cogitationem inciderit, ut a SS. Humanitate Christi voluntarie mentem averteret, ad inhaerendum Deo per contemplationem: « O Domine animae meae et bonum meum! Iesu Christe crucifixe! nunquam sum memor huius, quam incurri, opinionis, quin compungar poena, et putem patrasse, ignoranter tamen, magnam quamdam proditionem » (Vita, c. 22). Et in suo *Castell. int.* concludit: « Credo restare affatim declaratum, quantum intersit, quantumvis persona sit spiritualis, non ita fugere a rebus corporeis, ut putetur adhuc sacratissimam Humanitatem Christi damno esse posse ».

952. — Hisce praenotatis, facilius intelligi potest sensus huius doctrinae Ven. Bartholomaei a Martyribus, Comp. myst. doctrinae, c. 11, § 2: « Mul-

torum sententia fuit, hanc unionem, quamvis pura esset, a quibuscumque imaginibus posse impediri, licet essent imagines ipsae utiles, quae animam ipsam disposuerant, ut imagines mysteriorum humanitatis Christi et etiam divinorum attributorum: hoc tamen caute intelligendum est, ne erroris existat occasio. Si enim intelligamus has imagines, dum se offerunt intellectui animae immediate quiescentis, ac fruentis unione divina pura, non esse tenaciter recipiendas, nec morose eo temporis articulo illis vacandum, aut rebus quas illae repraesentant, sed revera claudendos esse ad eas mentis oculos, regulariter loquendo, verum hoc fateamur, necesse est; divertere enim ad eas morose impedit progressum immediatae unionis cum Deo. Si autem intelligamus has imagines, quotiescumque occurrunt pure contemplanti atque amanti Deum, impedire hebetareque vigorem ac perfectionem unionis, credo falsum esse: experientia enim constat hoc saepe evenire, dum homo in solum Deum toto mentis actu fertur. Fit enim, ut eo tempore raptim occurrat intellectui haec imago, videlicet: Hic Deus pro me homo factus est, aut crucifixus. Hae namque imagines, non solum non impediunt, verum etiam promovere et augere solent unionem amoris atque admirationis suspensivae ».

953. — Nota. — Monet Lopez Ezquerra, Lucerna mystica, Manuduct. n. 71: « Notandum est, quod cum istae memoriae (SS. Humanitatis) a bono spiritu procedunt, sunt pacificae, efficaces, simplices, suaves, et mirum in modum spiritum elevant, et conflagrant, et tunc anima in eis passive se habet. Si vero sint nimis materiales, inquietae, inefficaces, ponderosae, vel insuaves, et spiritum foras extrahant; tunc procedunt a malo spiritu, qui tentat animam per huiusmodi devotas memorias ab exercitio con-

templationis revocare, quamobrem omnino reiiciendae sunt, et puro suae contemplationis exercitio insistere ».

954. — Si sancti angeli et homines beati in coelo post contemplationem divinitatis Christi, eius etiam humanitatem contemplantur, multo magis id faciendum est ab hominibus viatoribus, ideoque adhuc imperfectioribus, quantumvis contemplativi existant. De qua re scribit Angelicus: « Illud ad quod primo attendunt sancti est ipse Deus et eum habent medium cuiuslibet cognitionis, et regulam cuiuslibet operationis; et sic prius contemplantur divinitatem Christi, quam eius humanitatem. In utraque tamen contemplanda delectationem inveniunt. Unde dicitur (Ioan. X, 9): *Ingredientur* scilicet Beati ad contemplandam divinitatem Christi, et *egredientur* ad contemplationem eius humanitatis et *utrobique pascua invenient*, id est delectationem » (Quodlib. 8, a. 20). Et merito ait Cassianus: « Contemplatio vero Dei multifarie concipitur. Nam Deus non sola incomprehensibilis illius substantiae suae admiratione cognoscitur, sed etiam... cum postremo dispensationem suae Incarnationis pro nostra salute suscepit, ac mirabilia mysteriorum suorum in cunctis gentibus dilatavit » (Collat. 1, c. 15). Et S. Bernardus: « Christus intellectum illuminat, Spiritus Sanctus affectum purgat. Venit enim Filius Dei, et tot et tanta mirabilia in mundo operatur, ut non immerito intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit, ut semper cogitemus et nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Vere latissimos nobis ad spatiendum intelligentiae campos dereliquit, et torrens cogitationum istarum profundissimus est, qui, iuxta Prophetam, non possit transvadari » (Serm. 3, In Asc. Dni. n. 2).

955. — Fructus contemplationis mysterii Incarnationis Verbi, ideoque veritatum et divinitatis et humanitatis Christi copiosissimus est: « His veritatibus fide creditis, et per meditationem cum congruis affectibus expensis, a Deo subinde lux contemplationis effunditur ardens et accensa in intellectu, cuius vis ad voluntatem transit, quae has veritates novo, admirabili et delectabili modo repraesentat, et cognitionem adeo vivam, celerem, acutam, claram et delicatam in anima causat, ut ita hic Deus-Homo cor ad se trahat atque suspendat, ex cuius contemplatione tenero et blando amore inflammatur: anima affectibus redundat, desiderat, ardet, amat, tacet, audit, odoratur modo divino. Tunc fides vivificatur, spes erigitur, charitas flammescit, omnesque virtutes morales novam excellentiam recipiunt. Aliquoties Christus Iesus, ut Infans, nunc ut praedicans, nunc ut crucifixus, vel alio modo repraesentatur, ut in nobis virtutum moralium affectus, scilicet compunctionis, patientiae, humilitatis, obedientiae, doloris, timoris, confusionis, ex infantia, vita, passione et morte Christi, eiusque imitatione excitentur » (Schram, § 268).

956. — *Ardentissimo etiam cordis affectu, praevia semper lucerna fidei,* **mysterium SS. Eucharistiae** *contemplari non omittant contemplativi, cuius contemplationis pariter uberrimi sunt fructus.* « Subinde Deus in contemplativis accendit lucem contemplationis, quae repraesentat modum ac rationem qua corpus Christi sub speciebus sacramentalibus existit, velut rex in throno suo, cortina interiecta ; velut sol formosus, nubibus accidentium coopertus ; velut fons Paridisi, frondibus specierum sacramentalium occultatus, ex quo quatuor flumina gratiae, misericordiae, charitatis, et pietatis emanant, pro irriganda, laetificanda, et fecundanda Ecclesia, cordibusque fidelium,

qui ex eo bibunt. Quaevis contemplatio in hunc modum repraesentativa solet interdum esse tantae virtutis, ut animam rapiat, et suavi quadam admiratione suspendat, ad conspectum harum divini amoris adinventionum. Tunc anima tripudiat, ac veluti redundans ardore igneo cuiusdam grati amoris tota quanta liquiescit, et in affectus gratitudinis dissolvitur. Quanta tunc facilitate credit, de quo antea quodammodo dubitabat? quanta cum certitudine amplectitur id quod non capiebat? quanta cum charitate intelligit veritates humano discursui impervias? Fides tam altas in ea radices agit, ut millies mori pro quolibet articulo revelato eligeret; et quantumvis homines et angeli contra id quod tum credit, exsurgerent, ne minimo quidem apice a veritatibus, quas ista firmitate credit, dimoveri posset. In hac intellectus perfectione voluntas non est otiosa, sed ardet amore, ac cum veneratione et timore adorat. Terret sua magnitudine illa maiestas, quam adorat, amat, colit, reveretur, admiratur, laudat, gratitudine prosequitur, et summa cum puritate magnificat. Tunc anima sese humiliat, ac velut attonita magnitudine doni huius, quo Deus semetipsum dat incarnatum, et sub sacramento in cibum animarum, tam intra, quam extra se verbis inops reperitur, affectibus et operibus quibus sufficiat, beneficio adeo ingenti referre gratias: proindeque in sapienti quodam silentio persistit, venerando tacens, cum decenter nequeat loquens gratias agere. His, aliisque secretis, et quibus explicandis imparem me profiteor, tenetur anima affectibus in ista specie contemplationis. Ita Godinez (in Prax. Theol. Myst. l. 5, c. 5) ». (Schram, § 271).

957. — **Immaculata Virgo Maria** est etiam obiectum iucundissimum et utilissimum contemplationis. Unde damnata fuit haec Molinos propositio: « Nulla

creatura, nec B. Virgo, nec sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare et possidere » (Prop. 36, Mich. Molinos., damn. ab. Innoc. XI).

958. — Unde merito scribit Blosius in Speculo spirituali, cap. 12: « Dulcissimam Christi Genitricem Virginem Mariam pure ama, seduloque venerare et invoca: quae non solum perfectorum sed etiam imperfectorum benignissima consolatrix atque advocata est. Haec enim nullum a se repellit: sed omnibus se prebet exorabilem. Peccatores ad se pie et humiliter confugientes blande suscipit, fovet, protegit, et Filio suo materna fiducia reconciliat. Citius coelum cum terra periret, quam ipsa aliquem serio se implorantem sua ope destituat. Gratias age Domino, qui illam tibi dedit in matrem et adiutricem ».

959. — Et in Canone vitae spir., cap. 18, addit: « Ad Beatam Mariam Virginem Deiparam frequenter te converte: eam invoca, eam dilige, eam lauda: omnium enim praeconiis dignissima est; et quantumcumque praedicetur, omnem commendationem semper superat. Eumdem habet cum Patre caelesti Filium: Deum in utero suo virgineo concepit, Deum peperit, Deum propriis uberibus lactavit, Deum gestavit in ulnis, et confovit gremio. Quid sublimius, quid magis honorificum, quam dici et esse matrem Dei? Quid hac dignitate celsius? Quid admirabilius? Plane sic est; nihil sub Deo cogitari potest divinius Dei Matre ».

960. — Caeterum a contemplativis viatoribus alienum non sit quod caelestes contemplatores incessanter et laetanter faciunt in patria; qua de causa dulcissima et immaculatissima Mater Dei et nostra merito dicta est a S. Ephrem: « Hymnos Angelorum, Canticum Cherubim ac Seraphim »; a S. Ioanne

Damasceno: « Materia ingens cantandi Apostolis, Martyribus, Prophetis et omnibus demum coelitibus ». Et dignissimum quidem obiectum contemplationis est, Illa quae supra omnes ascetas, supra omnes mysticos dicta est a S. Antonino: « Magistra contemplationis ».

961. — **Sancti Angeli ac Beati.** — Non solum B. V. Mariae, « quin et aliis Sanctis Dei devotum impende obsequium, prorsus credens, illos tui cordis pium affectum tuamque precationem agnoscere. Si libuerit aliquos deligere, quos peculiarius venereris, et quorum patrocinio te frequentius commendes, laudabiliter ommino facies » (Blosius, Can. vit. sp. c. 18). Ergo Sanctos Angelos et Beatos pia mente retine, et devota meditatione ac ferventissima contemplatione eorum merita gloriosa recole, eorumque immarcescibilem coronam gloriae in iubilatione, admiratione et dilectione celebra.

962. — **Patria coelestis.** — Post contemplationem sanctitatis et gloriae Immaculatae Virginis Deiparae, SS. Angelorum aliorumque Coelitum, ad coelestis patriae gaudia ascendere non omittat contemplativus. Hanc contemplationem, cum praecedentibus de felicissimis coelorum incolis cum Christo regnantibus intime coniunctam, in tertio ponit loco Alvarez de Paz dicens: « Tertio est perfecta contemplatio de patria coelesti et de bonis illis aeternis quae sanctis parata sunt. Hic anima Angelorum naturam, gratiam et gloriam, sanctorum labores pro Deo in hac vita susceptos, sanctitatem et felicitatem, Reginae sanctorum Mariae viscera erga genus humanum, altitudinem et opes Matre Dei dignas intuetur, et illam civitatem pacis et perpetuae claritatis admiratur. In ictu oculi plura et maiora per contemplationem de illo statu beatorum, perspicacius videt quam in multo

tempore meditationis antea cognoverat » (Alvarez de Paz, de nat. contempl. l. 5, p. 2, c. 2, t. 6).

963. — **Ecclesia catholica** multifariam contemplationis materiam praebet: « Quarta est contemplatio de statu militantis Ecclesiae. Proponitur enim animae, insolita quadam luce, sanctae huius matris nostrae dignitas et sanctitas. Quam ardenter a Deo sponso eius diligatur, quam potenter ab omni falsitate defendatur, et columna veritatis efficiatur, quam fideliter a tentationibus et persecutionibus tyrannorum et haereticorum liberetur, quam affluenter sanctis et perfectis viris impleatur, quam misericorditer in filiis rebellibus scilicet in peccatoribus sustineatur, quam infallibiliter in praedestinatis ad praemium vocetur... Alia est ergo facies Ecclesiae, cum inadvertenter aspicitur, aut cum per lucem contemplationis videtur » (Ibid.).

964. — **Ipse contemplativus** seipsum suamque miseriam, suum etiam finem agnoscere non omittens, in contritione, in humilitate, in gratiarum actione multum obtinet fructum. Haec « contemplatio est de nobismetipsis : in qua innotescit nobis qui et quales simus, quid operaturi simus, et quid de benignitate Domini sperare debeamus » (Ibid.).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Ipsa est: Terra lacte et melle manans, de qua fluxit, id est, natus est Christus, in quo est mel divinitatis et lac humanitatis (Hugo Carensis).

MARIAM INVOCA. — O Maria, quae a Seraphico merito dicta es: Terra a gloria Domini illuminata, Terra cuius latitudinem solus Deus dimensus est; ora pro me et doce me magnalia Filii tui et tua frequenter et pie recolere.

MARIAM LAETIFICA. — Assidua divinae maiestatis, marianae pietatis et aeternae felicitatis recollectione. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. VII. — DE DISPOSITIONIBUS AD CONTEMPLATIONEM.

965. — **Dispositiones ad contemplationem** multipliciter enumerantur et ponuntur a mysticis; quae etiam *causae ex parte hominis* dici solent, nam teste Le Gardier: « Causa eius (contemplationis) efficiens duplex est, Deus et homo, ita tamen ut Deus ipse [in contemplatione praesertim passiva] pene omnia hic efficiat » (De natura et statibus perfectionis, p. 1, sect. 3, c. 3).

966. — **Duplex modus perveniendi ad contemplationem**: primus, *per solam Dei gratiam;* secundus, *per Dei gratiam excitantem et adiuvantem hominis industriam.* « Duobus modis solet animus ad contemplationis gratiam pervenire: altero per solam Dei gratiam, altero per divinam gratiam excitantem et adiuvantem hominis propriam industriam. Qui primo illo modo perveniunt, dicuntur pertrahi vel rapi; qui secundo, dicuntur introduci... In illa, coelestis sponsus non aliter quam magnes animam abripit, et resistentem interdum ad divina sustollit; in hac, ut magister docet, et quid ipsa facere debeat, ut ascendat solerter praescribit. In illa non semel nullam ex parte animae praeparationem expectat, sed ad ostentationem potentiae et misericordiae prorsus imparatam et in oppositum conantem, ut constat in Paulo, immensa charitate nobilitat; in ista puritatem et non exiguam virtutem animae postulat, ut luce illa supernaturali divinae sapientiae perfundat. Illa prima ratione trahuntur pauci, imo et rari, non quidem ut in salebra suorum vitiorum haereant, sed ut brevius et efficacius atque felicius perfectionem con-

sequantur; hac ducuntur et vocantur multi, ut seipsos ex divina gratia praeparantes munere contemplandi donentur » (Alvarez de Paz, l. 5, p. 1, app. 1, c. 1).

967. — **Enumerantur septem dispositiones generatim requisitae** ad contemplationem sive *ordinariam seu acquisitam*, sive *extraordinariam seu infusam*, vitamque contemplativam: 1ª Cognitio ipsius contemplationis saltem confusa et generalis; 2ª Fortitudo animae seu animus fortis; 3ª Appetitus mortificatio indefessa; 4ª Virtutes morales; 5ª Austeritas vitae seu mortificatio etiam corporalis; 6ª Silentium et recessus; 7ª Praesentia Dei, adiectis iaculatoriis orationibus. Hisce septem dispositionibus aliae aliorum auctorum substantialiter continentur, vel compendioso vel fusiori modo enumeratae (1).

(1) **Conditiones seu dispositiones in subiecto, iuxta S. Dionysium et S. Thomam**, reducuntur ad *munditiam cordis*, ad *remotionem caliginis phantasmatum*, ad *ardorem charitatis*. Etenim D. Thomas, in lib. *de Div. Nom.*, c. 3, l. 1 ad verba S. Dionysii: « Oportet enim non orationibus primum ad ipsam « (Trinitatem) sicut boni principem produci, et magis ipsi pro- « pinquantes, in hoc doceri optima bona circa ipsam collocata. « Etenim ipsa quidem universis adest, non autem omnia ipsi « adsunt. Cum autem ipsam invocamus *castissimis* quidem *ora-* « *tionibus*, et *revelata mente*, et *ad divinam unionem aptitudine*, « tunc et nos ipsi adsumus », scribit: « Sed ad hoc quod oratio nos faciat ei propinquos, tria requiruntur. Primo, quod sensualitas sit munda ab omnibus carnalibus et mundanis affectionibus, quibus illecti retrahimur inferius; et hoc tangit cum dicit, *castissimis orationibus*. Secundo, ut intellectus noster non obumbretur caligine phantasmatum, quod accidit illis qui spiritualia non supra corporalia capere volunt, et qui posuerunt Deum effiguratum figura humani corporis, propter quod etiam impediunt ab ascensu ad Deum; et quantum ad hoc dicitur, *revelata mente*. Tertio, ut voluntas nostra per charitatem et

968. — **Prima dispositio est cognitio ipsius contemplationis saltem confusa et generalis.** « Et ratio est, ait Antonius a Spiritu Sancto, quia nihil volitum, quin praecognitum. Ergo ut quis libenter aggrediatur contemplationem, debet agnoscere contemplationis naturam, eius proprietates et effectus mirabiles, ut media ad eam proportionata possit assumere. Tum quia cognita eius excellentia, utilitate et necessitate difficultates in eius assecutione passim occurentes fortiter superabit » (Dir. Myst., tr. 3, d. 1, s. 3).

969. — Cui concordat Philippus a SS. Trinitate dicens: « Prima igitur dispositio ad vitam contemplativam est cognitio saltem confusa et generalis ipsius. Unde qui eam aggreditur debet eius naturam, proprietates et effectus mirabiles aliquo modo praecognoscere, tum ut absolute velit, tum quia nihil volitum quin praecognitum, etc. etc. » (Sum. th. myst., p. 2, tr. 1, d. 1, a. 3, t. 2).

970. — **Secunda dispositio est fortitudo animi seu animus fortis.** Requirit igitur certamen contentionem non contra veritatem contemplationis sed contra impedientia contemplationem, iuxta illud Angelici: « Non est autem in contemplatione contentio et certamen ex contrarietate veritatis quam contemplamur, sed ex defectu nostri intellectus et ex corruptibili corpore, quod nos ad inferiora retrahit... Et inde est quod quando homo pertingit ad contemplationem veritatis, ardentius eam amat; sed magis odit proprium defectum et gravitatem corruptibilis corporis » (2ª 2, q. 180, a. 7, ad 2).

devotionem sit ordinata ad Deum; et hoc est quod subdit, *et apti ad divinam unionem* ».

971. — Et in hoc sensu scribit Ant. a Sp. Sancto, ibidem: « Cum haec via sit admodum secura, et per eam breviter ad perfectionem accedatur, in ea multae daemonum tentationes occurrunt, multa pericula formidantur, multi labores tolerantur, siquidem daemones incipientes ab ea deterrere non desistunt, et ideo Iob (7, 1) dixit: *Militia est vita hominis super terram.* Hanc dispositionem experta N. M. S. Theresia requirit. Saepe namque in suis libris repetit, necessarium esse animum fortem ei, qui vitam contemplativam exercet. Plus enim laborat diabolus, ut similem ab incepta via deterreat, aut decipiat, et plus gaudet de eius ruina, quam si mille alios decipiendo perdat. Siquidem quando unus talis misere cadit, alii timore correpti viam virtutis et contemplationis derelinquunt quasi periculosam et noxiam ».

972. — **Tertia dispositio est appetitus mortificatio.** « Tertia dispositio est, ait Ant. a Sp. Sancto, ibidem, quod qui ad vitam contemplativam aggreditur, iam *appetitum mortificaverit*, et tam partem cognoscitivam omni notitia inutili, quam partem affectivam omni deordinato purgaverit affectu. Quia ut homo per contemplationem Deo suaviter adhaereat, oportet, quod prius in vita purgativa praecesserit totalis exclusio cuiuscumque notitiae, quae non est Dei, vel ad Deum ordinata. Et insuper requiritur, quod facta fuerit omnimoda peccatorum evacuatio, completa vitiorum eradicatio et perfecta passionum moderatio per rigorosam appetitus mortificationem, quae semper debet perdurare ».

973. — Ad quod necessaria est etiam **simplicitas cordis**, cum abiectione *doli* et *fraudis*. Unde scribit S. Greg. *In septem Ps. poen. Ps.* V, 3: « Cordis simplicitas dies est, quam fraus non obnubilat, non

obtenebrat mendacium.... quam lux veritatis illuminat, praesentiae divinae claritas illustrat. Scriptum est enim: *Cum simplicibus sermocinatio eius* (*Prov.* III, 32). Deo autem sermocinari, est per suae praesentiae illuminationem humanis mentibus voluntatis suae arcana revelare ». Et Angelicus, 2 2, q. 109, a. 2, ad 4: « Simplicitas dicitur per oppositum duplicitati, qua scilicet aliquis aliud habet in corde, et aliud ostendit exterius, et sic simplicitas ad hanc virtutem (veritatis) pertinet. Facit autem intentionem rectam, non quidem directe (quia hoc pertinet ad omnem virtutem), sed excludendo duplicitatem ». Et 2 2, q. 111, a. 3, ad 2, addit: « Executio astutiae est proprie per dolum in verbis, per fraudem autem in factis; et sicut astutia se habet ad prudentiam, ita dolus et fraus ad simplicitatem. Dolus autem vel fraus ordinatur ad decipiendum principaliter, et quandoque secundario ad nocendum ».

974. — *Unde necessaria est et* **munditia cordis.** Nam « contemplatio volatus est, et volatus in coelum; peccatum pondus est quo anima deprimitur et inclinatur ad terram. Abiiciendum est pondus ut mens tua ex societate corporis, satis ad terram prona, ad res coelestes efferatur. Nec putes haec de maioribus peccatis dici, quoniam minora quoque, quibus non resistimus, gratiae contemplationis obsistunt. Soli enim mundi et puri ad Dei amplexus admittuntur; qui vero habent quod lugeant, prius in inferiori loco collocantur, ut a suis plagis curentur » (Alvarez de Paz., l. 5, p. 1, app. 1, c. 3).

975. — Unde merito Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 3, disp. 3, a. 4, n. 2, scribit: « Ex parte animae requiritur munditia cordis. D. Th. 2 2, q. 8, a. 7, dicit: = Est enim duplex munditia: una quidem praeambula et dispositiva ad Dei vi-

sionem, quae est depuratio affectus ab inordinatis affectionibus; et haec quidem munditia cordis fit per virtutes et dona quae pertinent ad vim appetitivam. Alia vero munditia cordis est, quae est quasi completiva respectu visionis divinae; et haec quidem est munditia mentis depuratae a phantasmatibus et erroribus; ut scilicet ea quae de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantasmatum, nec secundum haereticas perversitates; et hanc munditiam facit donum intellectus ═. Omnis autem ista munditia requiritur ex parte animae, quae ad contemplationem supernaturalem Dei debet pervenire » (1).

976. — **Quarta dispositio sunt virtutes morales.** Earum acquisitio et perenne excercitium contemplativo necessaria est. « Quarta dispositio, ait Philippus a SS. Trinitate, partim praevia et antecedens, partim simultanea et concomitans, est quod vir contemplativus morales virtutes acquisierit et se earum exercitio semper occupet » (Sum. theol. myst., p. 20). « Et ratio est, scribit Ant. a Sp. Sancto, quia virtutes morales, licet essentialiter non perti-

(1) Caiet. in 2 2, q. 182, a. 2, opportune monet: « Notent qui alios in via Dei instruunt ad profectum spiritualem, et diligenter efficiant, ut prius in vita activa exerceri faciant quos edocent seu instruunt, quam ad contemplationis fastigium suadeant. Oportet siquidem prius passiones domare habitibus mansuetudinis, patientiae,... humilitatis, etc.... et sedare, quam ad contemplativam vitam ascendere. Et ob defectum huius, multi non ambulantes, sed saltantes in via Dei, postquam multum temporis vitae suae contemplationi dederunt, vacui virtutibus inveniuntur.... Et propterea tales, nec activam, nec contemplativam, nec ex utroque compositam habuerunt, sed super arenam fabricaverunt ».

neant ad vitam contemplativam, cum finis vitae contemplativae tantum sit consideratio veritatis, ad quam considerationem virtutes morales parvam potestatem habent, pertinent tamen dispositive ad vitam contemplativam, quatenus virtutes morales impediunt vehementiam passionum et sedant exteriorum occupationum tumultus, qui perturbant et impediunt actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa » (Dir. Myst. tr. 3, d. 1, s. 3).

977. — Confirmatur doctrina Angelici dicentis: « Dispositive autem virtutes morales pertinent ad vitam contemplativam. Impeditur enim actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa, et per vehementiam passionum per quam abstrahitur intentio animae ab intelligibilibus ad sensibilia, et per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum et sedant exteriorum occupationum tumultus. Et ideo virtutes morales dispositive ad vitam contemplativam pertinent » (2 2, q. 180, a. 2). Inter quas virtutes morales **humilitas** praesertim, quae facile earum princeps dicenda, necessaria est contemplativis (1).

978. — **Quinta dispositio est austeritas vitae et mortificatio** corporalis et in victu et in vestitu. De qua Philippus a SS. Trinitate scribit: « Quinta

(1) De qua Angelicus, 2 2, q. 161, a. 5 ad 2: « Per modum removentis prohibens... humilitas primum locum tenet, in quantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, et praebet hominem subditum et paratum ad suscipiendum influxum divinae gratiae.... Unde dicitur *Iac.* IV, 6, quod *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et secundum hoc humilitas dicitur spiritualis aedificii fundamentum ».

dispositio, ait, est continuata mortificatio et austeritas vitae tam in victu quam in vestitu: unde contemplatio et mortificatio quasi duae sunt sorores dilectissimae se mutuo concomitantes et se invicem adducentes.... Cuius ratio est quia pars superior non est sui perfecte compos ac divinis mysteriis contemplandis libera, nisi partem inferiorem sibi perfecte subiectam habeat » (Sum. theol. mysticae). Et Ant. a Sp. Sancto, ibidem, addit: « Unde contemplatio et mortificatio quasi duae sunt sorores se mutuo comitantes. Experientia enim constat, quod nullus vere est contemplativus, qui rigidam non colat mortificationem, nec ullus rigidam colit mortificationem, qui se contemplationi exercendae dispositum non censeat ».

979. — **Sexta dispositio est silentium et recessus**, ideoque amor solitudinis iuxta proprii status et officii conditionem. « Et ratio est, ait Ant. a Sp. Sancto, ibidem, quia difficile potest anima se ipsam interius colligere, si se turbis hominum miscens negotiis saecularibus implicet ». Unde merito ait Philippus a SS. Trinitate: « Difficile namque potest anima seipsam interius colligere, si, se turbis hominum miscens, negotiis saecularibus se implicet. Ad contemplationem autem interna collectio mentis necessario requiritur ut sic, ab omnibus aliis libera, soli Deo contemplando vacet in recessu » (Sum. theol. myst.) (1).

(1) « Oportet igitur, ait Th. a Kempis, omnem supertransire creaturam et seipsum perfecte deserere, ac in excessu mentis stare, et... cum creaturis nil commune habere. Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit libere intendere divinis. Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se a perituris et creaturis ad plenum sequestrare » (De Imit. Christi, l. 3, c. 31).

980. — **Septima dispositio est praesentia Dei, adiectis iaculatoriis orationibus**: « Suppositis his dispositionibus, ait Ant. a Sp. Sancto, ibidem, ad facile ac breviter acquirendam contemplationem opus est, ut qui ad eam aspirat, studio comparandae *praesentiae Dei* sedulo vacet, quibusdam adhibitis exterioribus signis, quae ad huiusmodi considerationem in die saepius habendam excitent, aliquando etiam iaculatoriis orationibus Dominum praesentem mentaliter salutet et amplectatur. Haec enim praesentia Dei, teste experientia, taliter hominem colligit, ut noverim multos religiosos in nostra religione, qui mediante illa facillime ad intimam contemplationem et Dei unionem ascenderint ». Eadem habet Philippus a SS. Trinitate, qui scribit: « Suppositis his conditionibus, ad facile ac breviter acquirendam contemplationem opus est ut qui ad eam aspirat studio comparandae praesentiae Dei sedulo vacet, et incipiens hoc studium Deum praesentem ubique, sibique unitum intime, mentali consideratione proponat » (Sum. th. mysticae). Quo in exercitio mirifice crescit in nobis amor Dei, contemplativis quasi connaturalis ex Dei gratia (1).

(1) Amor Dei ardens necessario requiritur ad contemplationem, ut habeatur quaedam connaturalitas ad res divinas, dicente Angelico, 2 2, q. 45, a. 2: « Sapientia importat quamdam rectitudinem iudicii secundum rationes divinas. Rectitudo autem iudicii potest contingere dupliciter: uno modo secundum perfectum usum rationis; alio modo propter connaturalitatem quamdam ad ea de quibus iam est iudicandum... Connaturalitas ad res divinas fit per charitatem, quae quidem unit nos Deo ».

Neque multam cognitionem requirit amor iste, ut notat idem Angelicus, 1 2, q. 27, a. 2 ad 2: « Dicendum quod

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Ipsa est: Thuribulum aureum, carbone divino refertum, cordis nostri foetorem in suavem fragrantiam mutans (S. Damascen.).

MARIAM INVOCA. — O Mater mea dulcissima, quae secundum S. Iosephum Hymnographum, es: Thymiaterium aureum, passionum nostrarum foedissimum odorem depellens; ora pro me, ut orationis et contemplationis amator efficiar, et omnium pravarum passionum contemptor et triumphator.

MARIAM LAETIFICA. — Passionum mortificatione, et iaculatoriarum orationum assiduo exercitio. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

aliquid requiritur ad perfectionem cognitionis, quod non requiritur ad perfectionem amoris... Ad perfectionem cognitionis requiritur quod homo cognoscat singillatim quidquid est in re, sicut partes, et virtutes, et proprietates. Sed amor est in vi appetitiva, quae respicit rem secundum quod in se est; unde ad perfectionem amoris sufficit quod res, prout in se apprehenditur, ametur. Ob hoc ergo contingit quod aliquid plus ametur quam cognoscatur, quia potest perfecte amari, etiamsi non perfecte cognoscatur ».

CAP. VIII. — DE ASPIRATIONE AD CONTEMPLATIONEM.

981. — Ipsa natura contemplationis eam appetibilem facit. Nam, ut ait Vallgornera, Myst. Theol. D. Th., q. 3, disp. 3, n. 3: « Contemplatio supernaturalis procedit ex rectitudine rationis et voluntatis; ergo habet rationem boni honesti. Contemplatio supernaturalis ex parte principii habet Spiritum Sanctum cum suis donis influentem; habet pro obiecto ipsum Deum in seipso consideratum, tam ut auctorem naturae, quam ut auctorem gratiae;... finem habet intimam animae cum Deo summe dilecto unionem fruitivam; subiectum habet intellectum hominis Spiritus Sancti donis illustratum; et ipsa propter se diligitur, cum sit actus vitae perfectissimus ». Et ibidem n. 4, addit: « Quid utilius contemplatione supernaturali? Tum animae contemplativae tum aliis? Animae contemplativae, quia per contemplationem plurima acquirit merita, quibus ad vitam aeternam et gloriae beatitudinem conducitur. Unde Gregorius Magnus, 6. Moralium, c. 28, ait: Magna sunt activae vitae merita, sed contemplativae potiora. Et Hom. 3. sup. Ezech. dicit: Contemplatio maior est merito quam activa (quod probat D. Th. 2 2, q. 182, a. 2), quia haec in usu praesentis operis laborat, illa vero sapore interno venturam iam requiem degustat ».

982. — Antonius a Sp. Sancto, Dir. Myst., tr. 3, d. 5, s. 4, praemittit: « Bonum dividi in honestum, utile et delectabile. Bonum honestum dicitur, quod propter se ipsum desideratur; utile, quod non habet in se, quatenus tale, aliquid ratione cuius desideretur, sed

desideratur propter aliud, sicut sumptio medicinae amarae; bonum delectabile est illud, quod ut tale nullam habet aliam rationem appetibilis, nisi delectationis, cum aliquando sit et noxium et inhonestum ». Et affirmat: « Contemplatio supernaturalis habet hanc triplicem rationem boni. *Est enim plurimum honesta, utilis et delectabilis.* Ergo omnes fideles debent ad illam aspirare tamquam ad optimam partem iuxta illud dictum Christi: *Maria optimam partem elegit* » (1).

(1) Quod probat dicens: « Antecedens patet, quia contemplatio tam ex parte principii, obiecti et finis, quam ex parte subiecti et sui ipsius *est honestissima*. Ergo maxime ab omnibus appetenda est. Probatur discurrendo per omnes partes antecedentis, quia contemplatio habet pro principio Spiritum Sanctum, pro obiecto Deum, pro fine habet cum Deo intimam unionem fruitivam, pro subiecto habet intellectum hominis elevatum Spiritus Sancti donis. Ipsa in se est actus perfectissimus. Sed nullum potest esse principium honestius, nec aliud potest esse obiectum honestius, quam Deus, nec honestior finis, quam illa intima unio animae cum Deo, nec honestius subiectum, quam intellectus. Ergo contemplatio ex omni parte est bonum summe honestum.

« Quod autem sit *bonum omnium utilius* etiam liquet, quia homo per contemplationem plurima acquirit merita, quibus ad aeternae gloriae beatitudinem conducitur. Tum quia merita vitae contemplativae maiora sunt, quam vitae activae. Et ideo Martha postulabat a Domino, ut mitteret Mariam, quae eam adiuvaret. Tum quia maiorem utilitatem affert Ecclesiae Dei. Tum quia viri contemplativi plus illam adiuvant suis orationibus, quam praedicatores sua praedicatione. Tum quia fulgent in Ecclesia sua laudabili vita et maiori copia miraculorum. Ergo.

« Quod autem *nihil sit delectabilius actu contemplationis*, etiam liquet, tum quia illius principium et obiectum est Deus, eius finis est unio cum Deo, eius subiectum est intellectus

983. — Eamdem conclusionem habet Philippus a SS. Trinitate, quoad omnes (ut patet) christianae perfectionis amatores. Ait enim: « Tantum bonum est contemplatio supernaturalis, tam eminentem continet honestatem, tam magnam affert utilitatem, et tam excessivam iis communicat delectationem qui se iugiter eius occupant exercitio, ut plane ridiculum foret negare quod teneantur omnes ad illam aspirare, qui secundum virtutem honeste volunt vivere, in via perfectionis utiliter proficere ac deliciis spiritus abundare... Quid utilius contemplatione supernaturali tum animae contemplativae, tum aliis, tum ipsi Ecclesiae? » (Phil. a SS. Trin., Sum. Th. M. p. 2, tract. 3, d. 1, a. 4).

984. — Idem tenet Schram, dicens: « Cum ergo contemplatio tantum bonum sit, sanctum et expediens est omnibus, cum spiritus prudentia ad eam aspirare » (§ 255).

985. — Obiectio autem deducta ex periculis deceptionis in vita contemplativa, facile solvitur ab Antonio a Spiritu Sancto, tr. 3, d. 3, s. 4: « Nec obstat, quod contemplatio supernaturalis sit maxime difficilis et periculosa, cum saepe diabolus se transformet in angelum lucis et plurimos decipiat. Respondetur namque, quod non est tam difficilis, quod non possit intendi ab hominibus, cum plurimos viderimus maxime contemplativos. Pericula autem plurima sunt in vita activa, quae enumerat S. Paulus (2, ad Corinth. 11): *Periculis fluminum* etc. Et

illustratus, et ipsa secundum se etiam est dulcissima, cum in quadam quiete et vacatione divina consistat, iuxta illud Psalm. 45: *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.* Ergo omnes debent aspirare ad contemplationem ut meliorem partem » (Ant. a Sp. Sancto, ibidem).

licet aliqui inveniantur decepti in hac via, plures sunt, qui decipiuntur in via activa. Sed isti propter suam raritatem ideo magis noti et admirabiles sunt, cum alias a daemone seducti in via activa multo plures sint. Debent igitur omnes ad hoc exercitium aspirare, nec debet quisque a sua imperfectione retardari, quin potius consideret, quod Deus imperfectis aliquando sublimem contemplationis gradum misericorditer ac libenter concedit, ut eos perficiat et alios ad tam sanctum, tam utile tamque iucundum contemplationis exercitium excitet et perducat ».

986. — Haec tamen de contemplatione in se, non autem de charismatibus quibus aliquando contemplativi a Deo donantur; quae quidem charismata et temerario desiderarentur et imprudenter peterentur. De qua re scribit Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 3, disp. 3, a. 3, n. 6: « Quamvis omnes ad supernaturalem contemplationem aspirare possint, non tamen ad extases, raptus, ad apparitiones corporeas, vel imaginarias, et ad caetera huiusmodi. Haec vero desiderare non licet, nec postulare, sed multo minus ad id conari, quod esset superbum, atque ridiculum; imo potius si talia inciderent, debet homo se prudenter et humiliter subtrahere, Dominumque rogare, ut via regia eum in coelum ducat ».

987. — Eamdem doctrinam habet Schram, Theol. Myst. § 246: « Licet ad contemplationem aspirare omnibus sancte expediat, curandum tamen, ut cum prudentia fiat ». — Et § 250: « Contemplatio *extraordinaria* cum suis favoribus raptuum, visionum etc., per se loquendo non est desideranda, nec a Deo petenda, sed ad summum *per accidens*, et raro, quando impulsus Dei extraordinarius ad hoc impellit. Ratio *primi* est, quia *gratiae gratis datae* per se non sanctificant, et sine illis potest dari tota sanctitatis per-

fectio... Ratio *secundi* est, quia *gratiae gratis datae* ex voluntate Dei, ad charitatem Dei et proximi conducere possunt ».

988. — Remque sapienter exponit Alvarez de Paz, opportuna facta distinctione: « Nunc de perfecta contemplatione dicamus. Hoc autem nomine duo possumus intelligere. Primo quidem illa singularia dona contemplationis nomine comprehensa, quibus solet Dominus aliquas pias animas cumulare, ut sunt extases, raptus, apparitiones corporeae vel imaginariae, et caetera huiusmodi. Haec vero desiderare non licet nec postulare, et multo minus ad ea conari, quod esset superbum atque ridiculum. Imo potius si talia inciderent, debet homo se prudenter et humiliter subtrahere, Dominumque rogare ut via regia eum in coelum ducat. — Secundo nomine perfectae contemplationis intelligitur illa simplex et discursu carens cognitio Dei, a dono sapientiae profecta, mentis elevationem, suspensionem, admirationem et delectationem inducens, et ardentissimum amorem accendens. Ad hanc autem animae perfectionem vocatae, et non mediocri usu mortificationis, et studio virtutis et communis orationis ornatae, deberent se per maiorem puritatem et per ea quae supra sunt scripta disponere; possunt item ipsam ardenter desiderare, et humiliter postulare, si sibi expedit, cur non? Haec est instrumentum efficacissimum assequendae perfectionis: huius vero possumus esse cupidi, quae finis est; cur non illius, quae medium est ad finem? » (l. 5, p. 2, c. 13).

989. — **Ingressus in contemplationem, etsi desiderabilis, non tamen est in nostra potestate.** — Unde merito monet Alvarez de Paz: « In negotio ergo perfectae contemplationis, bonum est eius desiderium et Deo grata eius postulatio, vana tamen

est ridicula intellectus et voluntatis applicatio, quasi tu velis intellectum in uno fixum tenere, et te ad modum contemplantium in illo uno suspendere. In quo hoc genus orationis a meditatione et ab aliis secernitur; quoad meditationem possumus quidem desiderare et ad eam habendam conatum adhibere: at in contemplatione, desiderium bonum est, conatus superfluus. — Duabus similitudinibus fiet id manifestum... Sic igitur meditatio veluti ambulatio est, aut cursus, aut etiam saltus, quo te parum a terra leves; est veluti aquae extractio ex puteo vel ex flumine: ad hoc vires habes gratiae tuam naturam iuvantes. Conatum adhibe, etc... At contemplatio perfecta, qua Deus intellectum sine discursu in imo fixum tenet, et elevatione suspensionis admiratione et delectatione sublevat, et amore non tam afficit quam succendit, volatus est, pluvia de coelo cadens est. Haec desiderabis, haec postulabis...; sed si ipse alas non dederit, si pluviam non miserit, in vanum conaberis perfecte contemplari » (l. 5, p. 2, c. 13, t. 6). Quare audiendi non sunt si qui reperiuntur qui dicant, pro transitu ad contemplationem sufficere quod quis meditationi per duos annos, aut quatuor, vel sex menses vacaverit (Schram § 255). Imo, teste S. Bernardo: « Multi tota vita ad hoc (i. e. ad contemplationem) tendunt, et nunquam pertendunt » (Serm. 3, de Circumc.). Nihilominus non timeant meditativi, nam monet idem S. Bernardus: « Verum est, ad hanc quidem perfectionem pauci, ni fallor, perveniunt in hac vita... Sed multi tota vita ad hoc tendunt et nunquam pertendunt; quibus tamen, si pie et perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatione est negatum » (Ibid.).

990. — Concludendum ergo cum Philippo a SS. Trinitate: « Cum igitur Deus imperfectis donum contemplationis concedit, misericorditer concedit; et cum illud denegat, etiam misericorditer denegat. Illis namque talis doni concessio, et istis eius denegatio prodest ad salutem; scit enim Dominus quid cuique conveniat, et unicuique concedit quod ei magis convenire, saltem in ordine ad maiorem sui ipsius gloriam, iudicat » (p. 2, tr. 3, l. 1, a. 6).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Immaculata Mater nostra Maria est: Procuratrix sola supernaturalium bonorum mortalibus (S. Damascen.).

MARIAM INVOCA. — O Maria, quae ab Idiota merito dicta es: Procuratrix negotiorum et petitionum nostrarum apud Patrem et Filium; ora pro me, ut opulentiam donorum Filii tui obtineam.

MARIAM LAETIFICA. — Continuo studio, desiderio et exercitio verae ac genuinae devotionis. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.)

CAP. IX. — DE CONDITIONE SUBIECTI CONTEMPLATIVI.

991. — **Naturaliter inquieti** et ad exteriora multum propensi, sunt minus habiles ad contemplationem. Non tamen inhabiles dicendi sunt. Unde scribit Angelicus, 2 2, q. 182, a. 4 ad 3: « Qui proni sunt ad passiones propter earum impetum ad agendum, sunt simpliciter magis apti ad vitam activam propter spiritus inquietudinem. Unde dicit Greg. in 6 Moral. c. 17, ante med. quod *nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent: quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat.* Quidam vero habent naturaliter animi puritatem et quietem, per quam ad contemplationem sunt apti; qui, si totaliter actionibus deputentur, detrimentum sustinebunt. Unde Gregorius dicit in 6 Moral. loc. cit., quod *quorumdam hominum ita otiosae mentes sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant* ».

992. — Et ibidem, a. 4, ad 3, subiungit idem Angelicus: « Sed, sicut ipse (Gregorius) postea subdit, ibidem, a medio, *saepe et pigras mentes amor ad opus excitat, et inquietas in contemplatione timor refrenat.* Unde et illi qui sunt magis apti ad activam vitam, possunt per exercitium activae ad contemplativam praeparari; et illi nihilominus qui sunt magis ad contemplativam apti, possunt exercitia vitae activae subire, et per hoc ad contemplationem paratiores reddantur » (1).

(1) Quamvis divina gratia superare possit quasi naturalem subiecti incapacitatem, ordinarie vero illi se accommodat, et

993. — En textus ipse S. Gregorii, in sua parte principali: « Sed inter haec magnopere sciendum est quia valde inter se diversae sunt conspersiones animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosae mentis sunt ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant; et nonnulli ita inquieti sunt ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Unde necesse est ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Saepe enim qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt; et saepe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suae quietis extincti sunt » (Moral. l. 6, c. 37).

994. — Generatim inquieti isti stent huic consilio Alvarez de Paz: « Qui enim sunt naturae inquietae et durae, et cordis ad exteriora propensi, ita orationi mentali vacent ut maiorem temporis partem in bonis activae vitae operibus impendant. At illi qui naturam quietam, et placidam, et mollem sortiti sunt, solent ab eo qui suaviter omnia disponit ad contemplationem admitti » (l. 5, p. 1, app. 1, c. 2).

995. — Notent tamen inquieti iam contemplativi, et pareant monito B. Dionysii Carthusiani dicentis: « Si qui naturaliter inquieti in statu perfectionis fuerunt constituti, non propter naturalem indebilitatem, debent totaliter a contemplatione cessare, sed per gratiam emendationis ac reformationis suorum defectuum Deum incessabiliter exorare, et sibi

idéo, in huiusmodi contemplationis usu, ratio etiam naturalis complexionis et capacitatis habenda est (Suarez, de Relig. l. 2, c. 11, n. 9).

ipsis bonam violentiam facere, intendendo solitudini et quieti, orationi et meditationi, donec naturalem ineptitudinem gratiae suppleat incrementum » (de Contempl. a. 23).

996. — **Divina vocatio** necessaria est ut quis a via meditativa ad contemplativam transitum faciat. De qua re scribit Ant. a Sp. Sancto, tr. 3, d. 3, s. 5: « Ut homo perveniat ad contemplationem supernaturalem, ex parte Dei requiritur, quod Deus animam vocet et excitet, dicens interius: *Surge, amica mea, et veni.* (Cant. 2, 10). *Omne* namque *datum optimum et omne donum perfectum,* maxime contemplationis spiritualis, *desursum est, descendens a patre luminum* (Iac. 1, 17). Unde quicumque aspiraverit ad hunc statum, certo sibi debet persuadere, quod propria non poterit ad illum industria ascendere, nisi a Domino vocante praeveniatur et ipso roborante adiuvetur et cooperante producatur. *Quis* enim *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* (Ps. 23, 3.) nisi a Domino ipso vocetur interius, iuxta illud: *Ego sum via, veritas et vita* (Ioan. 14, 6) ».

997. — Cui concordat Schram dicens: « Discerniculum fundamentale pro transitu rite faciendo a meditatione ad contemplationem sumendum est a speciali Dei vocatione et inspiratione » (§ 270).

998. — Et alibi addit: « Nisi interiori et exteriori mortificatione ac profectu in probationibus Dei purificata fuerit, pro peccatis satisfecerit..., vix inspiratio divina rapiens ad contemplationem supponi potest, nisi in casu raro et extraordinario » (§ 273).

999. — Et alibi: « Quando constat de hac vocatione speciali, illi obtemperandum est, et per viam contemplationis illi ut specialissimae gratiae coo-

perandum. Cum enim, per se loquendo, via orationis per contemplationem multo sit perfectior quam per meditationem, et Deus per illam spiritum movere velit, non humilitas, sed pusillanimitas et pigritia foret vocationi divinae, non sine magno lucro cessante et damno forsan emergente, repugnare » (§ 271).

1000 — **Meritum de condigno vel de congruo ad contemplationem.** Nemo *de condigno* contemplationem emereri potest; secus aliquando *de congruo*, si Deo placuerit. De qua re sapienter scribit Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 3, disp. 3, a. 6, n. 5: « Deus potius perfectis quam imperfectis sua dona communicat, et ideo illis ordinarie, istis raro, supernaturalis gratiam contemplationis concedit. Cuius ratio est, quia secundum viam ordinariam Deus sua dona magis dispositis solet concedere, quamvis via extraordinaria aliter contingat. Primum contingit ex quadam subiecti exigentia, dignus est enim, saltem *de congruo*, qui plus laboravit, maiorem percipere fructum, et qui fidelis fuerit erga Deum ab illo copiose praemiari. Sed secundum aliquando contingit, ut inde manifeste pateat, quod Deus dominus est in suorum distributione donorum, et quod nullus potest ei dicere: cur ita facis? Numquid, dicit Dominus uni de hoc murmuranti, oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? ».

1001. — Idem tenet Philippus a SS. Trinitate dicens: « Verumtamen est quod, ex quadam decentia et congruitate, Deus potius perfectis quam, imperfectis sua dona communicat, et ideo illis ordinarie, istis raro, supernaturalis gratiam contemplationis concedit: Cuius ratio est, quia secundum viam ordinariam, Deus sua dona magis dispositis solet con-

cedere, quamvis via extraordinaria aliter contingat », p. 2, tr. 3, d. 1, a. 6.

1002. — Similia habet Ant. a Spiritu Sancto, qui ait. « Ex quadam decentia et congruitate Deus potius perfectis, quam imperfectis sua dona communicat, quamvis istis raro, illis vero ordinarie gratiam contemplationis supernaturalis concedit. Et ratio est, quia secundum viam ordinariam Deus sua dona magis dispositis solet concedere. Dignus enim est saltem de congruo, qui plus laboravit, maiorem percipere fructum, quam ille, qui parum aut nihil laboravit. Contrarium tamen aliquando via extraordinaria accidit, ut inde manifestetur, quod Deus est Dominus in distributione suorum donorum, et quod nullus potest ei dicere: cur ita facis? ut ipse cuidam de hoc murmuranti dixit. Matth. 20: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* » (tr. 3, d. 3, s. 6).

1003. — Et Schram, § 248, addit: « Quemadmodum contemplationem desiderare, ac petere possumus, ita et illam, saltem ordinariam, mereri valemus, non de condigno, sed de congruo. Primum ex eo colligitur, tum quia contemplatio etiam ordinaria est gratia supra gratiam, qua fiunt reliqui actus meritorii qui ad contemplationem praeparare possunt... Secundum ex eo eruitur, quia meritum de congruo exceditur quidem a praemio nec debetur ex iustitia, licet quamdam proportionem, et congruentiam ob decentiam, et liberalitatem praemiantis cum praemio habeat ».

1004. — Unde auctor Scal. claustr. inter opera S. Bernardi ait: « Nec hoc peto, Domine, propter merita mea, sed pro tua misericordia, fateor enim, quia indigna et peccatrix sum: sed catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum ».

1005. — **Perfecti et imperfecti.** Ex dictis de merito respectu contemplationis iam patet, perfectis facilius et frequentius, imperfectis difficilius et rarius contemplationis donum a Deo concedi. Sed uberior explicatio, omissa quaestione de merito, opportuna videtur. Iuvat in primis audire Suarez dicentem: « Videtur sequi, contemplationem huius vitae solis viris in vita et sanctitate perfectis posse convenire. Quia contemplatio, aut est perfecta unio cum Deo per amorem, vel est perfectissima Dei intuitio quae in hac vita esse potest; utraque vero est propria perfectorum. Quamvis autem haec doctrina, per se spectata et moraliter intellecta, vera sit, nihilominus aliqua limitatione ac declaratione indiget; quia nec contemplatio ita est virorum perfectorum propria, ut in eis solis omnino inveniatur... Debet ergo divisio illa sumi secundum varia studia quae *ipsa charitas* in subiecto suo requirit, iuxta varias illius dispositiones; unde etiam contingere poterit ut *charitas ipsa* in re sit satis intensa quoad gradus, et nihilominus sit in statu incipientium... Incipientium status incipit *cum ipsa iustificatione...* » (De Rel. t. 4, l. 2, c. 11, n. 1). Et addit: « Denique addendum est non esse ita propriam contemplationem virorum perfectorum, quin magna ex parte degustari possit ab imperfectis, imo et ab incipientibus » (ibid. n. 10).

1006. — Et ad memoriam semper revocanda in hac re sapientissima haec doctrina S. Gregorii: « Notandum vero quod intra portam undique per circuitum fenestrae obliquae esse memorantur. Non enim contemplationis gratia summis datur et minimis non datur, sed saepe hanc summi, saepe minimi, saepius remoti, aliquando etiam coniugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium a quo possit gratia

contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest, quia intra portam undique per circuitum fenestrae obliquae constructae sunt, ut nemo ex hac gratia, quasi de singularitate glorietur... Postquam dixit fenestras in frontibus, adiungit fenestras in vestibulis per gyrum intrinsecus, quia non solum alta sanctae Ecclesiae membra quae praeeminent, habent contemplationis gratiam, sed plerumque hoc donum etiam illa membra percipiunt quae, etsi iam per desiderium ad summa emicant, tamen per officium in imo iacent. Nisi enim et his qui despecti videntur omnipotens Deus lumen contemplationis infunderet, fenestrae in vestibulis non fuissent » (lib. 2, hom. 6, in Ezechiel., n. 19 et 20).

1007. — Hisce praenotatis, stat hoc principium ab Alvarez de Paz datum: « Communiter et ut plurimum donum contemplationis perfectorum est..: Datur itaque contemplationis donum quasi ex habitu perfectis: illis nimirum qui primo a vitiis et a peccatis et pravis affectibus bene purgantur; qui per studium virtutum moralium et orationis exercitia bene illuminantur et idonei sunt ut tranquilla mente altissimam Dei cognitionem et amorem unientem accipiant » (l. 5, p. 3, c. 3).

1008. — Qui tamen iam dixit: « Ex his autem quibus donum contemplationis conceditur, quidam nondum perfecti sunt, sed per hanc viam suavissimam ad perfectionem paulatim subvehuntur » (Ibid.).

1009. — Concordat Ant. a Spiritu Sancto, qui ait: « Quando Deus tam perfectis quam imperfectis donum supernaturalis contemplationis concedit, misericorditer concedit, et quando illud perfectis denegat misericorditer negat. Illis namque talis doni concessio, et istis eius denegatio prodest ad salutem.

Scit enim Deus, quid unicuique conveniat, et unicuique concedit, quod ei magis convenire saltem ad maiorem sui ipsius gloriam iudicat. Concedit autem hanc gratiam aliquando imperfectis, ut suam liberalitatem hominibus ostendat, tum ut maioribus gratiis postmodum concedendis dignos efficiat, tum ut in illis repente fieret, quod alia via et longo tempore non posset efficere, tum ut malitia hominum ostendatur et sua mala correspondentia experiantur, quam vere dicat Dominus (Osee. 13): *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Perfectis autem eam aliquando negat, ut appareat eorum constantia et ut propriis, ut dicunt, expensis pro Domino militent; ut appareat eorum fidelitas; ut eorum corona sit gloriosior, et ut appareat omnipotentia Dei, qui humanam naturam corruptam sic roborat, ut nullo pene solatio sublevata viriliter pugnet ac mirabiliter triumphet » (tr. 3, d. 3, s. 6).

1010. — Item Philippus a SS. Trinitate, qui scribit: « Nonnunquam imperfectis et incipientibus statim a principio concedit, et perfectis etiam denegat, ut communiter docent, ex percepta diversorum experientia, tum doctores mystici, tum sancti Patres (p. 2, tr. 3, d. 1, a. 6).

1011. — Studiis vacantes dici nequeunt minus habiles contemplationi, ut voluit Molinos, excludens theologos a statu contemplativo; cuius doctrina damnata fuit ab Innocentio XI in hac propositione 64: « Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi: primo quia non habet fidem adeo puram, secundo quia non est adeo humilis, tertio quia non adeo curat propriam salutem, quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen ».

1012. — In praxi tamen studiosi aliique sublimia officia externa habentes minus facile ad montem sanctae contemplationis ascendunt, nisi omnia pro Deo et propter Deum et cum omnimoda subiectione divinae voluntati peragere studeant, iuxta illud Angelici, 2 2, q. 82, a. 3. ad 3 : « Scientia et quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est quod homo confidat de seipso, et ideo non totaliter se Deo tradat, et inde est quod huiusmodi quandoque occasionaliter devotionem impediunt, et in simplicibus et mulieribus devotio abundat, elationem comprimendo. Si tamen scientiam et quamcumque aliam perfectionem homo perfecte Deo subdat, ex hoc ipso devotio augetur » (1).

(1) Imo affirmat alius: « Divinam contemplationem sine supernaturali dono Dei nemini concedi; caeterum contingere nonnullis in peccato mortali iacentibus beata mater Theresia credidit; quod rationi consentaneum est » (Ioann. a Ies. Mar. Theol. myst., c. 3, t. 2).

Sed de hac ultima sententia potius dicendum cum Cardinali Laurentio Brancato (opusc. 4. *de orat*, c. 8): « Qui autem est in peccato mortali, ea (contemplatione) caret; ergo, ni poeniteat, capax non est. — Non omittam tamen referre, quod P. Ioannes a Iesu Maria refert de quadam S. Theresiae sententia, sed caute intelligenda. Is enim in tom. 2, de Myst. theol., c. 3, ait: *ex hoc efficitur*, etc. (1). Quod ego sano modo

(1) En verba Ioannis a Iesu Maria: « Meminisse oportet, quod superius asseruimus, contemplationem esse actum elicitum a sapientiae habitu... cuius est Deum contemplari non quovis modo, sed ex dilectione cum quodam experimento suavitatis in voluntate, quae profecto S. Thomae sententia est, quandoquidem, 1 p. q. 43, a. 5 ad 2, Dei cognitionem atque experimentalem perceptionem (quae est ipsissima contemplatio) sapientiam dici fatetur, iuxta quam Filii missionem fieri paulo ante asseruerat, per sapientiam vero donum Spiritus Sancti aperte intelligit. Ex hoc efficitur, divinam contemplationem, nisi ex dono Dei supernaturali nemini contingere: tametsi nonnullis in culpa mortali iacentibus ob infinitae bonitatis

1013. — **Simplices idiotae** *facti contemplativi.* Et in hoc sensu tantum intelligi debet, sequens Gersonii doctrina: « Stat simplices idiotas per fidem, spem et charitatem, citius et sublimius pervenire ad theologiam mysticam, quam eruditos in theologia scholastica et discursiva. Sunt ad haec multae rationes... Ita fides talium minus est inquieta per phantasias contrariarum opinionum quas nec audiunt, nec cogitant. Sunt insuper humiliores, quibus gratiam dat Deus, qui cum simplicibus graditur, omnium vero superborum et sublimium colla propria virtute calcavit » (De myst. Theol. et eius elucid. cons. 9.).

intelligendum existimo; vel quod intellexerit de peccatore contrito, vel quod per contemplationem velit Deus eum vocare, et ad poenitentiam convertere, vel quod de infructuosa contemplatione loquatur... At de fructuosa et religiosa acquisita contemplatione et quiete intelligi nequit ».

magnitudinem, contemplationem indulgeri B. M. Theresia crediderit, quod rationi consentaneum est, ut aversos a se animos eiusmodi coelesti munere ad se alliciat, ac per hoc hominibus clarius innotescat. — Verum assertum hoc posset accipi, ut ipso divinae contemplationis amorem spirantis, et ad Spiritus Sancti dona pertinentis actu, qui iacebat in culpa, iustus, et a Deo acceptus fiat. Si enim uno contritionis actu is homo fieret gratus Deo, cur non, uno divini amoris actu, qui in contemplatione divina potissimum fervet? Diximus vero assertum sic accipi posse, quod non prorsus id ita contingere astruamus. Nam cum non subsit efficax ratio ad omnino asserendum contemplationis actum, semper ad Spiritus Sancti dona gratiam gratum facientem individue comitantia pertinere, posita S. Thomae, 2 2, q. 172, a. 4, et omnium theologorum sententia, per gratiam scilicet prophetiae quae et peccatoribus indulgetur sublimem contemplationem exerceri censentium, certius et ad mentem B. Theresiae accomodatius videtur, ut accepto etiam insigni contemplationis dono possit peccator aliquantum emolliri, tametsi ad gratiae statum minime resurgat, quin etiam et tactum illum Dei supremum, quem diximus Theologiae mysticae partem esse, absque Dei gratia gratum faciente constare posse, quemadmodum et caetera dona, quae gratiae gratis datae a theologis nuncupantur, nonnullis videtur » (Theol. myst., c. 3).

1014. — **Mulieres** *in praxi frequentius fiunt contemplativae.* « Sciat (animarum director) e contrario... huiusmodi dona mulieribus reapse uberius impertiri quam viris. Talis est experientia omnium temporum, quae confirmatur etiam ratione... Mulieres ad contemplationem et omnes gratias vitae contemplationis magis sunt dispositae, vel, ut aptius loquar, minus sunt indispositae quam viri. Nam ex natura, iam ad amorem, qui est contemplationis principium et fundamentum, mulier propensior est viro... Primam istam dispositionem ad contemplationem comitatur in foeminis secunda, quae pretiosior est prima et eius moderatrix, inclinatio scilicet ad devotionem et pietatem. Iure foeminae a sancta matre Ecclesia titulo devoti sexus honorantur. Ex naturali ista dispositione ad pietatem et devotionem, nascitur amor solitudinis et praecipue innocentis vitae. Non raro inveniuntur puellae quae innocentiae suae stolam illibatam custodiunt: raro autem iuvenes qui innocentiam in baptismo acceptam nondum amiserunt. Sed ubi est innocentia, aliae etiam florent virtutes quae omnes ad recipiendas Dei gratias disponunt. Omnibus his rationibus ultima quaedam addi potest ex debilitate foeminae desumpta. Quum ex natura mulieres sint debiles, fragiles, timidae, inconstantes, phantasiam magis sequentes quam intellectum, et affectui magis consulentes quam rationi, necesse esse videtur, ut Deus si quamdam earum ad sanctitatem evehere velit, mediis extraordinariis utatur » (Compend. Scaramelli, p. 419).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Teste S. Bernardino, Maria merito vocatur: Ierusalem, quae interpretatur visio pacis; nam ipsa extitit tota pacifica, et Dei visione mirabiliter illustrata.

Mariam invoca. — O Maria Immaculata, quae teste S. Anselmo, es: Ianua coelestis regni, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum; ora pro me, ut pro Deo et propter Deum et iuxta voluntatem Dei vivens, ad visionem beatificam perveniam.

Mariam laetifica. — Omnia hilari corde et fideli operatione ad maiorem Dei gloriam faciendo. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. X. — DE DURATIONE ET SUBTRACTIONE CONTEMPLATIONIS.

1015. — **Duratio contemplationis.** — Damnata fuit ab Innocentio XII, sub n. 16, sequens Fenelonis propositio: « Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectae, ut fiat habitualis: ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem eiusque actus methodicos ».

1016. — Et fundamentum proscriptionis huius doctrinae iam posuerat Angelicus, 2 2, q. 180, a. 8, ad 2, dicens: « Nulla actio potest diu durare in summo. Summum autem contemplationis est ut attingat ad uniformitatem divinae contemplationis, ut dicit Dionysius ».

1017. — Unde merito scribit Richardus a S. Victore: « Rarum valde in hunc montem (contemplationis) ascendere; sed multo rarius in eius vertice stare et ibi moram facere; rarissimum autem ibi habitare et mente requiescere... O felicem qui potuit in hunc montem ascendere et mente requiescere! O quam magnum! O quam rarum!... Et quidem magnum est ascendere et stare; maius tamen est posse habitare, posse requiescere. Ascendere et stare est virtutis; inhabitare et requiescere est felicitatis » (Beni. mai., c. 76).

1018. — **Distingue tamen contemplationem in genere a perfecta contemplatione** — « Aliud est, ait Suarez, loqui de vita contemplativa cum omnibus actionibus mentis, quas includit, aliud de propriissima contemplatione, quae consistit in illo uniformi et simplici intuitu quem Dionysius circularem

motum appellavit. Priori modo recte intelligitur vitam contemplativam esse diuturnam... At vero de proprio actu contemplationis, non est possibile homini in hac vita diu in illa actione durare » (De Relig., l. 2, c. 10, n. 10 et 11).

1019. — Et addit: « Quia ad hanc contemplationem necesse est sensus relinquere et omnia quae sub sensus cadunt, imo et discursum omnem suspendere, et in simplici intuitu mentis circa rem altissimam et summe spiritualem occupari, quod non fit sine magna violentia corporis et sensuum omnium et elevando se supra se; ideoque difficillimum est in huiusmodi actione durare » (Ibid., n. 12) (1).

(1) Ad rem facit hic textus S. Gregorii Magni: « Ita nimirum [sicut locustae, de quibus Iob, 39, 20] sunt sancti viri, qui, dum superna appetunt, primum quidem activae vitae bonis operibus innituntur, et tunc demum se ad sublimia per contemplationis saltum volando suspendunt. Crura figunt, et alas exerunt, quia recte agendo se stabiliunt, et ad alta vivendo sublevantur. Qui in hac vita positi diu in divina contemplatione manere non possunt, sed, quasi locustarum more, a saltu quem dederant in pedibus suis se excipiunt, dum post contemplationum sublimia ad necessaria activae vitae revertuntur ». (Moral. l. 31, c. 25, n. 49).

Et alibi dixerat: « Sed cum mens in contemplatione suspenditur, cum carnis angustias superans, per speculationis vim de libertate aliquid intimae securitatis rimatur, stare diu super semetipsam non potest; quia etsi hanc spiritus ad summa evehit, caro tamen ipso adhuc corruptionis suae pondere deorsum premit. Unde et subditur: Et cum Spiritus, me praesente transiret; inhorruerunt pili carnis meae (Iob, IV, 15). Nobis praesentibus, spiritus transit quando invisibilia cognoscimus; et tamen haec non solide, sed raptius videmus. Neque enim in suavitate contemplationis intimae diu mens figitur, quia ad semetipsam ipsa immensitate luminis reverberata re-

1020. — Et in hoc etiam sensu rem exponit Alvarez de Paz, dicens: « Verum tamen est quod contemplatio non potest diu in suo summo durare pro statu mortalis vitae, quia praesentis vitae necessitates et occupationes mentem inquietant, et ab intimo sui recessu ad exteriora revocant; unde quamvis in tam perfecto actu, saltem ordinarie, vix per horam perseveret, et potest tamen in aliis actibus contemplationis perseverare » (Theol. myst. p. 2, tr. 1, d. 1, a. 6, t. 5).

1021. — **Actus ille perfectissimae contemplationis brevissimus ordinario existit.** — « Coelum quippe est anima iusti... Cum ergo quies contemplativae vitae agitur in mente, silentium fit in coelo, id est in anima; quia strepitus terrenarum rerum atque operationum cessat in cogitatione. Sed quia contemplativa vita in hoc mundo non potest esse perfecta, nequaquam hora integra factum silentium dicitur in coelo, sed quasi hora media » (S. Bernardus vel auctor, lib. ad Sororem, De modo bene vivendi, 53, n. 129).

1022. — Et Bossuet, auctoritatem Sanctae There-

vocatur. Cumque internam dulcedinem degustat, amore aestuat, ire super semetipsam nititur; sed ad infirmitatis suae tenebras fracta relabitur, etc. ». (Moral. l. 5, c. 32, n. 57, et c. 33, n. 58).

Ubi merito notat Suarez: « Est autem considerandum non negare Gregorium absolute vitam contemplativam esse posse diuturnam aut diuturniorem activam, sed docere non posse esse semper uniformem et puram, ut sic dicam, sed necessario interrumpendam esse propter corporis infirmitatem et gravitatem, ideoque necessarium esse bonam actionem intermiscere, ne inutili otio et negligentia torpeamus ». (De Relig. l. 2, c. 10, n. 11).

siae de maxima brevitate actus perfectissimae contemplationis adducens, addit: « Quo loco sua experimenta tradit (Sancta Theresia): nobis vero sufficit eos actus esse rapidos et celeres; quod sanctus quoque Augustinus, Gregorius, Bernardus, Thomas, aliique semper inculcant. Argumento sunt divinae extraordinariae operationis illa momenta brevissima » (Bossuet, Mystici in tuto, p. 1, c. 7, n. 14).

1023. — **Distingue tamen in tota hac materia diuturnitatem cum communibus divinae gratiae auxiliis, a diuturnitate cum extraordinariis auxiliis.** — De qua re idem Alvarez de Paz scribit: « Sed ad perfectam contemplationem redeamus. Et in ea quidem, si solum iuvemur communibus auxiliis quibus orantes iuvari solent, certum est mentem multo tempore durare non posse... Haec communia sunt: sed si anima extraordinariis auxiliis sublevetur, non minus certum est diu posse in contemplatione perfectissima perdurare et una simplici intuitione unoque amoris divini actu suspendi. Id relatione aliquorum virorum probatissimae virtutis agnovimus, qui constanter aiunt per unam aut plures diei aut noctis horas se in perfecta Dei unione, et invariabili Dei notione, et amore, cum indicibili suavitate persistere. Id in sanctorum historiis legimus, nam aliquorum contemplatio ita describitur ut hoc sonare videatur. Talis erat illa magni Antonii, etc... Id tandem de divina erga suos carissimos benignitate praesumimus, qui potest et vult intelligentias eorum, non quidem contra naturam movere, sed supra naturam perficere... Quod ergo, natura denegat, gratia donat; et quod homo communi subsidio non obtinet, singularibus auxiliis assequitur » (De Grad. Contempl. l. 5, p. 2, c. 11).

1024. — Ant. a Spiritu Sancto, de *diuturnitate* contemplationis agens, illam quidem vocat primam eiusdem contemplationis proprietatem, sed in suo actu perfecto ad horam reducit. » Prima proprietas contemplationis est, quod sit *diuturna* tam ex parte obiecti quam ex parte subiecti simpliciter loquendo. Ex parte obiecti, quia versatur circa incommutabilia. Obiectum enim contemplationis sunt virtutes divinae. Ex parte vero subiecti, quia convenit homini secundum actionem incorruptibilis partis animae, scilicet secundum intellectum. Unde post hanc mortalem vitam perseverat, immo perficitur, ut ait D. Gregorius (homil. 14, in Ezechielem). Verum quidem est, quod contemplatio in suo summo non potest diu durare pro hoc statu mortalis vitae, quia praesentis vitae necessitates mentem inquietant et ab intimo sui recessu ad exteriora revocant. Unde ad summum potest durare per horam in suo perfecto actu, ut notavit Dionysius (cap. 3, de coelesti Hierarchia), bene tamen quoad alios actus » (tr. 3, d. 1, s. 4).

1025 — Et Suarez, de eadem re, haec habet: « Ut ergo illa operatio fiat aliquo modo diuturna, necesse est ut imprimis illi intentioni adiungatur amor. Existimoque rarissimum esse ut in uno simplici actu amoris continuato sine aliqua mutatione mens diu quiescat, quia varietate et mutatione naturaliter delectatur. Nam si invariata maneat operatio, vix percipitur ab ipso operante, et ita nec quietat, nec delectat animum. Semper ergo vel amor ipse accenditur aut renovatur, aut per novos actus exercetur.... Possuntque hi actus in voluntate variari, fixo manente eodem intuitu intellectus, si circa illud idem obiectum affectus ipsi versentur diversis modis ac rationibus. Interdum vero ac saepius circa illam

veritatem quam mens contemplatur, simul per dona Spiritus Sancti negotiatur: sibimet illam illustrando, confirmando; amabilemque reddendo. Ad quod maxime iuvare solet experientia ipsorum affectuum qui in ipsamet contemplatione sentiuntur. Atque hoc modo existimo contemplationem saepe diuturnam; perdurationem autem in uno simplici actu esse raram » (de Orat, c. 10, n. 13).

1026. — *Concludendum* tamen cum eodem Suarez: « Verum est tamen totum hoc negotium ex divina gratia maxime pendere, cui nihil impossibile est; nos autem explicamus id quod videtur esse naturae consentaneum, ac proinde ordinarium; quia gratia se accommodat naturae, quod etiam experientia videtur comprobatum. Qui autem aliquid altius expertus fuerit secundum illam experientiam loqui poterit, nam in hoc negotio plurimum valet » (Ibid.).

1027. — **Gratia igitur contemplationis et datur et subtrahitur,** et quidem non solum in actu perfecto, de quo supra, sed et in aliis actibus et conditionibus inferioribus. Caeterum dicendum in genere cum Antonio a Spiritu Sancto: « Gratia contemplationis multoties subtrahitur. Accedit et recedit Deus. Nam ait Paulus (1, ad Corinth. 12): *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult. Spiritus enim, ubi vult, spirat,* ut ait Ioannes, cap. 3. Accedit Deus et accedendo nos illustrat. Recedit et recedendo obscuritate et moerore nos discruciat. Anima itaque vicissitudinibus istis ascendit usque ad coelos et descendit usque ad abyssos. Ascendit usque ad coelum, cum luce sapientiae perfunditur, ut divina contempletur. Descendit usque ad abyssos, cum quasi caligine involvitur et dono, quo gaudebat, subito spoliatur.

Totum hoc videtur in Ezechia, qui dixit: *Praecisa est velut a texente vita mea. Dum adhuc ordirer, succidit me.* (Is. 38, 12). Vitam putabat, qua Deum praesentem sibi habebat, sed haec ut tela praescinditur et in initio consopitur, cum interna consolatio, antequam reficiamur, ablactatur. *Sed bonum mihi Domine, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas,* » (Ps. 118, 71) ut sciam, quia non in sola luce et fervore, sed etiam in caligine et tempore erit perfectio mea. *Cogitavi enim*, inquit Bernardus, *quia de mane usque ad vesperam finies me, id est consummabis me non in solo mane visitationis, aut tantum in vespere tentationis, sed in utroque simul erit perfectio mea. Stultus ego, qui tantum sperabam usque ad mane, cum David dicat: A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.* Anima primo visitatur luce, postea vero obscuritate desolationis obruitur, et etiam e contrario aliquando accidit » (tr. 3, d. 3, s. 7).

1028. — **Causae subtractionis contemplationis,** etiam in genere, plurimae enumerantur : « Principales fines cur Deus aliquoties contemplationem tam acquisitam quam infusam animae subtrahit, sunt: primo, ut amplius purget animam et ad sublimiorem disponat contemplationem; secundo, ut puniat eam ob levem quemdam defectum; tertio, ut fidelitatis et constantiae experimentum sumat; quarto, ut eam humilem servet et demissam ; quinto, ut conservet salutem corporis ex nimis frequentibus contemplationibus laborantis; sexto, ut eam ad charitatis opera aptam faciat: septimo, ut contemplationem pretiosiorem et cariorem reddat » (Compend. Scaramelli, p. 1, l. 1, c. 3).

1029. — Antonius a Spiritu Sancto quatuor ad-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ducit causas, dicens: « Causae, ob quas Deus cum anima sibi dilecta sic se gerit subtrahendo ab ea saepe lucem contemplationis, sunt primo, ut defectus etiam leves castiget, quia amator contemplationis peccata etiam minima fugere debet. Secunda causa, ob quam Deus se abscondit, est, ut quaeratur, iuxta illud Psalm. 104: *Quaerite faciem eius semper*. Tertio absconditur, ne vir spiritualis otiosus sedeat tempore orationis, sed tempore consuetae orationis, in quo consueverat donum contemplationis experiri communi gratia adiutus, quod in se est, faciat, divina mysteria considerans et ex consideratione in seipsum reflectens, sancta proposita concipiat, affectus virtutum et amoris eliciat et horam destinatam orationi utiliter insumat. Tandem aufert Dominus donum lucis suae, ut postmodum, cum illud restituerit, dulcius et praestantius habeatur, ut ait D. Gregorius (9, Moralium, cap 11) » (1).

1030. — Quapropter, in praxi: « Tamdiu in hoc amoris tripudio, scilicet contemplatione, immorandum est, quamdiu perseverat affectus; quo deficiente aut tepescente, ad interposita meditationis studia redeundum est » (S. Laur. Iustin. De Discipl. et perf. vit. monast. c. 18).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Maria merito a S. Antonino vocatur: Margarita pretiosa a negotiatore caelesti, id est, Dei Filio iuventa.

(1) Abscondit enim se Dominus et lucem contemplationis subtrahit, vel ut defectus leves castiget... vel ut infirmitati corporis condescendat (Alvarez de Paz, l. 5, p. 2, c. 12).

MARIAM INVOCA. — O Maria Immaculata, quae a S. Methodio merito dicta es: Margarita pretiosissima regni caelestis, et a S. Andreae Cretensi: Margarita qua Ecclesia more sponsarum ornatur; ora pro me, ut per imitationem virtutum tuarum ad immortalis gloriae coronam perveniam.

MARIAM LAETIFICA. — Assidua virtutum et sanctae orationis cultura. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. XI. — DE EXCELLENTIA ET EFFECTIBUS CONTEMPLATIONIS.

1031. — **Vita contemplativa praestat activae,** ut constat ex natura ipsius contemplationis alibi exposita. Nam intuitus simplex Dei rerumque divinarum, Deum quaerens, in amorem desinens et ab amore procedens, habet optimum quod est charitas, et quidem charitas ardens, fervens, ignita; unde et praegustatio quaedam patriae dicitur.

1032. — **Differentia magna inter vitam activam et contemplativam.** — « Vita activa et contemplativa distinguuntur secundum diversa studia hominum intendentium ad diversos fines, quorum unum est consideratio veritatis quae est finis vitae contemplativae, aliud autem est exterior operatio ad quam ordinatur vita activa. Manifestum est autem quod in virtutibus moralibus non principaliter quaeritur contemplatio veritatis, sed ordinantur ad operandum... Unde manifestum est quod virtutes morales pertinent essentialiter ad vitam activam » (S. Th., 2 2, q. 181, a. 1).

1033. — **Vitae contemplativae et activae concordia in viris perfectis.** — « Viri sancti, sicut aliquando egrediuntur a secreto contemplationis ad vitam activam, ita rursus ab activa vita revertuntur ad secretum intimae contemplationis, ut intus Deum laudent ubi acceperunt unde foris ad eius gloriam operentur. Sicut Deus vult aliquando ut contemplativi egrediantur ad vitam activam ut aliis proficiant, ita aliquando vult ut nemo eos inquietet, sed ut quiescant in secreto contemplationis suavissimae » (Lib. de modo bene vivendi, lib. 53, n. 127, inter op. S. Bernardi).

1034. — *Vitam activam Lia, contemplativam Rachel* designant, iuxta illud S. Augustini: « Cum duae virtutes sint animae humanae, una activa, altera contemplativa... Hae duae virtutes in duabus uxoribus Iacob figuratae intelliguntur » (De consensu Evang., l. 1, c. 5).

1035. — « Lia interpretatur Laborans, Rachel autem Visum principium, sive Verbum ex quo videtur principium. Actio ergo humanae mortalisque vitae in qua vivimus ex fide, multa laboriosa opera facientes, incerti quo exitu proveniant ad utilitatem eorum quibus consulere volumus, ipsa est Lia prior uxor Iacob; ac per hoc et infirmis oculis fuisse commemoratur... Spes vero aeternae contemplationis Dei, habens certam et delectabilem intelligentiam veritatis, ipsa est Rachel: unde etiam dicitur bona facie et pulchra specie » (S. Aug. contra Faust. Manich., l. 22, c. 52).

1036. — Vita activa Marthae, contemplativa Mariae comparatur, dicente S. Gregorio: « Quid enim per Mariam quae verba Domini, residens, audiebat, nisi contemplativa vita, exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam nisi activa vita signatur? Sed Marthae cura non reprehenditur, Mariae vero etiam laudatur, quia magna sunt activae vitae merita, sed contemplativae potiora. Unde nec auferri unquam Mariae pars dicitur, quia activae vitae opera cum corpore transeunt, contemplativae autem gaudia melius ex fine convalescunt » (Moral., l. 6, n. 61).

1037. — *Contemplatio, quatenus actu respicit, aspicit, diligit Summum Bonum, omnem aliam occupationem dignitate superat;* imo omnes aliae sanctae occupationes, data occasione, ut scalae ad contemplationem accipiendae. « Una sola contemplatio Dei est, ait

S. Augustinus, cui merito omnia iustificationum merita et universa virtutum studia postponuntur » (Serm. 43, de Tempore). Idque salvis propriis officiis intelligendum, salvaque dignitate sacramentorum, etc. Et in hoc sensu intelligenda sunt verba S. Augustini et hoc commentarium Augustini per Cassianum: « Una ergo et sola est theoria, id est contemplatio Dei, cui merito omnia iustificationum merita, universa virtutum studia postponuntur... Sed sicut, verbi gratia, stanni metallum quod alicuius utilitatis et gratiae putabatur, fit, argenti comparatione, vilissimum; et rursum, auri comparatione, meritum evanescit argenti; aurum quoque ipsum gemmarum collatione contemnitur, et ipsarum nihilominus quamvis insignium multitudo gemmarum, unius margaritae candore superatur; ita et illa omnia merita sanctitatis, quamvis non solum ad praesens bona et utilia sint, verum etiam donum aeternitatis acquirant, tamen si divinae contemplationis meritis conferantur, vilia, atque, ut ita dixerim, vendibilia censebuntur » (Cassian., coll. 23, c. 3).

1038. — Hisce praenotatis, facile intelligitur quonam sensu intelligi debent textus mysticorum de incompossibilitate vitae contemplativae cum activa. Loquuntur enim de ipso *actu contemplativo*, qui et *vita* dici solet *contemplativa*. Et cum hac intelligentia scribit Ant. a Spiritu Sancto: « *Vita activa quantumcumque perfecta omnino impedit otium contemplationis*. Ita D. Thomas (2 2, q. 182, art. 3). Ratio est, quia impossibile est, quod aliquis simul occupetur circa exteriores actiones, et divinae contemplationi vacet. Hoc tamen procedit ex defectu nostro, quo ex corporis gravitate retrahamur ab altitudine contemplationis. Nam Angeli et ascendunt et descendunt. Ascendunt per contemplationem, et descen-

dunt per administrationem, quod pertinet ad vitam activam, quin priventur internis contemplationis gaudiis, ut ait D. Gregorius (2 Moralium) et D. Thomas (2 2, q. 181, art. 4 ad 2). Et ideo in eis non distinguitur vita activa a contemplativa, sicut in nobis, qui per opera activae impedimur a contemplatione » (tr. 4, d. 4, s. 14).

1039. — **Effectus contemplationes** multi sunt et saluberrimi. Ant. a Spiritu Sancto octo numerat, dicens : « Plures habet contemplatio effectus. Primus est *pax et tranquillitas animae.* Ita D. Thomas (2 2, q. 180, art. 2 ad 2), iuxta illud Psalmi 147: *Qui posuit fines tuos pacem.* — Secundus effectus contemplationis est *contemptus temporalium.* Qui enim contemplationis suavitate fruitur, mentem ab omnibus temporalibus bonis, tamquam inferioribus et indignis avertit. — Tertius contemplationis effectus est *desiderium aeternorum,* ut habetur Eccl. 24: *Qui edunt me, adhuc esurient.* — Quartus effectus est mira *laborum et omnium afflictionum huius vitae tolerantia.* Qui enim per contemplationem novit, haec omnia brevi fore transitura, et generosi ac fortis esse animi, haec patienter tolerare, vix eorum occursu movetur. Sed hunc effectum principaliter habet contemplatio christiana, quae non solum percipit, haec breviter transitura, sed etiam novit, esse media ad aeternam beatitudinem consequendam : ergo. — Quintus effectus est *libertas spiritus.* Cum enim per contemplationem homo super omnia temporalia sublimetur, ab earum captivitate liberatur. — Sextus effectus est *mira suavitas*, qua viri contemplativi perfruuntur. — Septimus effectus est *amor Dei* iuxta conditionem contemplationis ipsius. — Octavus est *beatitudo,* quae inchoatur in hac vita et complebitur in patria » (tr. 3, d. 1, s. 4).

1040. — **Pax et tranquillitas animae** (imperfecta tamen in hac vita) est et effectus et via contemplationis. De qua re Angelicus, 2 2, q. 29, a. 2, ad 4, ait: « Duplex pax vera. Una quidem perfecta, quae consistit in perfecta fruitione summi boni, per quam omnes appetitus uniuntur quietati in uno; et hic est ultimus finis creaturae rationalis... Alia vero est pax imperfecta, quae habetur in hoc mundo; quia etsi principalis animae motus quiescat in Deo, sunt tamen aliqua repugnantia, et intus, et extra, quae perturbant hanc pacem ». — Et in 3, dist. 34, q. 1, a. 4, addit: « In statu autem viae magis operatur in removendo impedimenta, quae praedictam ordinationem perturbare possunt, quam eam assequatur: et ideo *pacificatio* ponitur in septima beatitudine quantum ad statum viae, per quam perturbantia pacem, quae est ordinationis praedictae terminus, quietare conatur ».

1041. — Idem Angelicus monet, hanc tranquillitatem a passionum rebellis stimulis contemplativum haud liberum facere, scribens, q. unica de Virtut. in communi, a. 4, ad 7: « Tota rebellio irascibilis et concupiscibilis ad rationem tolli non potest per virtutem; cum ex ipsa sui natura irascibilis et concupiscibilis in id quod est bonum secundum sensum, quandoque rationi repugnet; licet hoc possit fieri divina virtute, quae potens est etiam naturas immutare. Nihilominus tamen per virtutem minuitur illa rebellio, in quantum praedictae vires assuefiunt ut rationi subdantur ». — Et ibidem, a. 10, ad 14: « Passiones ad malum inclinantes non totaliter tolluntur neque per virtutem acquisitam, nisi forte miraculose... Sed per virtutem tam acquisitam quam infusam huiusmodi passiones modificantur, ut ab his homo non effrenate moveatur »

1042. — Et ratio est, teste eodem S. Thoma, 2 2, q. 184, a. 2, ad 2: « Illi qui sunt in hac vita perfecti, in multis dicuntur offendere secundum peccata venialia, quae consequuntur ex infirmitate praesentis vitae ». — Et addit, 3 p. q. 79, a. 4, ad 2: « Illud verbum (I. *Ioan.*, 1, 8: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus)* non est intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis; sed quia vitam istam sancti non ducunt sine peccatis venialibus ».

1043. — Et in sensu huius doctrinae rite scribit Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 2. disp. 1, a. 4, n. 6: « Multis et perfectis hominibus in carne viventibus hoc concessum est, ut post conversionem suam, et gustatam Spiritus Sancti dulcedinem, nunquam aut rarissime peccata venialia scienter, et ex industria, et cum plena deliberatione committant. Ita scilicet ut advertentes ipsi: hoc verbum est peccatum veniale, ob reverentiam divinae Maiestatis, quam unice venerantur et diligunt, illud verbum nec pro salute totius mundi proferre constituant. Viri autem perfecti, aut fervide proficientes, scientia illuminati, qua aliquod peccatum leve esse cognoscunt, et gratia ampliori roborati, et dulcedine divini amoris allecti, non est cur non facile carnis infirmitatem superent, et motus eius ad illicita tendentes cohibeant ».

1044. — Idem Vallgornera, ibidem, q. 4. disp. 2, a. 10, n. 6, exemptionem a veniali soli tempori actus contemplativi per se concedit, dicens: « Ista doctrina intelligenda est quod in illa hora, quam brevem moram vocabat Bernardus, non ingreditur animam uniti contemplantis subreptio venialis et in sensu composito peccare non datur, potest idem tamen in sensu diviso cum enim interrumpitur unio illa habent etiam illi contemplativi quid plangant, et in con-

fessione se purgent, nam ea quoque peccata, si non sint materia necessaria, possunt voluntarie assumi etiam illa, quae voluntarie seu studio commissa non sunt... Non est possibile ex D. Thom. 1 2, q. 74, a. 3, ut homo cohibeat omnes motus sensualitatis, dum enim circa unum vigilat negligens est circa alium, nec semper attentus est, ut consulat leges aeternas, per quas debet iudicare de inferioribus ».

1045. — **Contemptus temporalium.** — « Qui enim contemplationis suavitate fruitur, mentem ab omnibus temporalibus bonis, tamquam inferioribus et indignis, avertit, maxime, dum eadem contemplatione illustratus advertit ea interiori mentis collectioni totaliter esse incompossibilia » (Philipp. a SS. Trinit. p. 1, tract. 1, d. 1, a. 6).

1046. — Idem docet S. Bernardus, dicens: « Nil tamen in hac vita dulcius sentitur, nil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi separat, nil sic animam contra tentationem roborat, nil hominem ita excitat, et adiuvat ad omne opus bonum et ad omnem laborem quam gratia contemplationis » (Medit. c. 7, ad fin.).

1047. — **Desiderium aeternorum.** — « Sequitur enim necessario quod qui Deum cognoscit et amat, ad eius visionem, possessionem, ac fruitionem vehementi et iugi desiderio anhelet » (Ph. a SS. Trin. p. 1, d. 8, a. 6, t. 2).

1048. — **Magna patientia in afflictionibus,** seu mira laborum et afflictionum huius mundi tolerantia coniuncta cum vera humilitate. « Ipsa autem contemplatio tribulationes et quaeque adversa libenter sustinet. Gratum, quippe est pro amato et magna facere et adversa perferre. Pro magno quoque habetur aliquas sustinere molestias ut suavitas illa ex Dei aspectu et amore percepta concrescat. Et anima

quae summopere munditiam, ut pulchrior et gratior sit quaerit, non potest non tribulationem amare qua magis ac magis mundatur » (Alvarez de Paz, de Nat. cont. l. 5, c. 6).

1049. — Dixi *coniuncta cum vera humilitate.* « Cum enim anima post divinum istud commercium ad se revertitur, coelesti luce illuminata, clare cognoscit suum nihilum, suas miserias, imperfectiones et debilitates; et quanto magis Deo per contemplationem appropinquat, tanto seipsam minorem et miserabiliorem cognoscit. Quae cognitio meditatione et ratiocinationibus non acquiritur, sed luce divinae contemplationis tantum procreatur » (Voss, Comp. Scaramelli, p. 133). — Et haec impossibilia sunt sine *abnegatione.* « Contemplatio proprium iudicium et propriam voluntatem abnegat » (Alvar. de Paz, l. 5, p. 2, c. 6).

1050. — **Libertas spiritus.** — Angelicus, opusc. 4. De duobus praeceptis charitatis, cap. 2, scribit: « Sciendum est quod duplex est servitus. Prima est timoris, et haec est poenosa, et non meritoria... Secunda est amoris. Si quis enim operatur non timore iustitiae sed amore divino, non sicut servus operatur sed sicut liber, quia voluntarie ».

1051. — **Mira suavitas seu delectatio, amor Dei,** iuxta conditionem contemplationis ipsius, et **beatitudo,** inchoata in hoc mundo, complenda in patria, sunt pariter effectus contemplationis. Sed de *mira suavitate* tantum speciatim agemus, quia haec requirit, includit, nutrit suo modo et *amorem Dei* et *beatitudinem.*

1052. — **Suavitas autem seu delectabilitas** tria directe supponit: **elevationem,** non laboriosam sed facilem, planam, promptam; **suspensionem** mentis, seu attentionem perfectissimam cum oblivione re-

rum inferiorum; **admirationem,** videlicet Divinae Maiestatis et rei de qua est contemplatio. De singulis aliquid cum mysticis dicendum.

1053. — **Elevatio** duplex est: alia orationis, alia contemplationis propria; hic ergo de secunda res est. De qua scribit Alvarez de Paz: « Omnis oratio diffinitur quod sit elevatio mentis in Deum; sed *in modo huius elevationis inter communem orationem et contemplationem magnum discrimen est.* Nam *in communi oratione,* mens cum labore se elevat; *in contemplatione* cum mira suavitate se efferri sinit. In illa discursibus quasi gressibus quibusdam quasi per climum rerum spiritualium ascendit; in ista, brevissime et quasi in ictu oculi supra verticem montis se positam videt.... In illa, anima quasi in terra manet et oculos in coelum attollit, in ista, veluti in coelum admittitur et in eo suum nidum ac mansionem ponit » (l. 5, part. 2, c. 7).

1054. — **Suspensio mentis.** — « Elevationem hanc sequitur in contemplatione mentis suspensio: quae nihil aliud est quam quaedam perfectissima ad id quod contemplamur attentio, et rerum omnium inferiorum oblivio » (Alvarez de Paz, l. 5, p. 2, c. 8).

1055. — Lux divina et amor sunt causae suspensionis. « Causae istius suspensionis sunt lux divina, quae obiectum cum claritate repraesentans mentem non solum in eo defigit, sed et immobilem servat, et amor qui omnes animae vires ita circa obiectum amatum colligit ut tota in illo immergatur » (Voss, Compend. Scaramelli, p. 130).

1056. — **Admiratio,** de qua S. Bernardus, de Consid., lib. 5, a. 14, n. 32: « Prima et maxima contemplatio est admiratio Maiestatis ». Ex suspensione mentis seu ex perfectissima attentione ad rem de qua est contemplatio, fit admiratio; de qua An-

gelicus ait: « Admiratio est species timoris consequens apprehensionem alicuius rei excedentis nostram facultatem. Unde admiratio est actus consequens contemplationem sublimis veritatis » (2 2, q. 180, a. 3, ad 3).

1057. — Idque confirmat Alvarez de Paz dicens: « Sicut suspensio sequitur elevationem mentis, ita et admiratio, ut mihi quidem videtur, suspensionem sequitur » (de Nat. cont. l. 5, c. 9).

1058. — Qui ibidem addit: « Illam autem ortam ex magnitudine rerum quae ostenduntur, et ex perfectione lucis immissae, omnes, etiam in contemplatione nimis exercitati, habent. Tanta est enim magnitudo rerum coelestium, ut, si perfecte cognoscantur, non possunt aliter quam excellentissima et admiratione dignissima cogitari ».

1059. — Quae quidem admiratio effectus habet excellentissimos, de quibus idem Alvarez de Paz scribit: « Sunt autem admirationis effectus mirabiles. Interdum enim stupor progreditur in gratiarum actionem..., aliquando in effectum amoris et intimae devotionis... Media autem admiratione solet contemplatio suavissimam voluptatem secum involvere » (Alvarez de Paz, de Nat. cont., l. 5, c. 9).

1060. — Ex *elevatione* sequitur *suspensio;* ex suspensione, *admiratio;* ex admiratione autem, *mira suavitas seu delectatio.* « Admiratio, ait Angelicus, est causa delectationis in quantum habet adiunctam spem consequendi cognitionem eius quod scire desiderat. Et propter hoc omnia desiderabilia sunt delectabilia » (1 2, q. 32, a. 8). Et addit: « Admiratio non est delectabilis in quantum habet ignorantiam, sed in quantum habet desiderium addiscendi causam, et in quantum admirans aliquid novum addiscit » (Ibid., ad 1).

1061. — **Mira suavitas seu delectatio.** — Praemittenda haec doctrina Angelici: « Dicendum quod aliqua contemplatio potest esse delectabilis dupliciter. Uno modo ratione ipsius operationis quia unicuique delectabilis est operatio sibi conveniens secundum propriam naturam vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini secundum suam naturam, prout est animal rationale... Alio modo contemplatio redditur delectabilis ex parte obiecti, in quantum scilicet aliquis rem amatam contemplatur..... Quia ergo ita contemplativa praecipue consistit in contemplatione Dei ad quam movet charitas, inde est quod in vita contemplativa non solum est delectatio ratione ipsius contemplationis, sed ratione ipsius divini amoris. Et quantum ad utrumque eius delectatio omnem delectationem humanam excedit » (2 2, q. 180, a. 7).

1062. — *Duplex datur suavitas seu delectatio ex contemplatione;* una *mere spiritualis,* alia *sensibilis.* « Sed haec delectatio ex contemplatione proveniens, ut cum aliis docet Dionysius Richelius (1, de Contempl., art. 12), duplex est. Altera mere spiritualis et in anima se continens, altera sensibilis et in corpus se diffundens. Illam primam voluntas gustat, licet interdum portio inferior ariditatem, aut dolorem, aut inquietudinem sentiat...; secundam vero delectationem ex illa prima manantem sensus et appetitus corporeus percipit secundum illud (Ps. LXXXIII, 3): Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Certum est enim quia fortes actiones animae redundant in corpus » (Alvarez de Paz, c. 10).

1063. — Contemplatio igitur est maxime delectabilis. « Ratio est, ait Ant. a Sp. Sancto, quia delectatio spiritualis summe excedit omnem delectationem carnalem. Sed contemplatio Dei maximam

affert homini delectationem spiritualem tum ex parte sui, tum ex parte obiecti, tum ratione actus dilectionis Dei eam comitantis. Ergo contemplatio maximam affert homini delectationem. Maior est certa, minor probatur. Quia contemplatio ratione sui est operatio conveniens homini secundum propriam ipsius naturam rationalem. Sed operatio naturalis valde est delectabilis : ergo. Ex parte vero obiecti etiam constat, quia obiectum contemplationis est Deus. Ex parte vero actus dilectionis contemplationem comitantis etiam liquet, quia dilectio magnam diligenti suavitatem affert, praecipue si est dilectio Dei, iuxta illud : *O quam suavis es, Domine, diligentibus te!* Ergo delectatio maxima est proprietas contemplationis ».

1064. — In contemplatione anima « transcendit ad veritatem eo altius quo intuetur clarius suaviusque degustat. Magna tunc mens potitur pace et gaudio iucundissimo ; nam quod sitibundo quaerebat affectu invenit, eoque requiescit » (S. Laur. Iustinian., Inst. de Casto conn., c. 25).

1065. — Pace quae exuperat omnem sensum fruitur anima in contemplatione : « Pace itaque sua tunc veraciter mens humana perfruitur, quando in id quod interius de divina dulcedine sentit, tota resolvitur. Haec autem pax, ut plena sit, in duobus consistit : in contemplatione videlicet veritatis, et satietate internae suavitatis. Ab uno inchoatur et ex alio perficitur » (Rich. a S. Vict., Annot. in Ps. xxx).

1066. — Unde « Contemplatio quidem praegustatio quaedam est et participatio illius summae beatitudinis quam in coelesti patria anima sperat » (Alvarez de Paz, l. 5, p. 2, c. 3).

1067. — *Concludendum* cum Richardo a S. Victore : « Haec est pars quae electis et perfectis nun-

quam aufertur. Hoc sane negotium quod nullo fine terminatur. Nam veritatis contemplatio in hac vita inchoatur, sed in futura iugi perpetuitate celebratur. Per veritatis sane contemplationem, homo et eruditur ad iustitiam et consummatur ad gloriam... O quam singularis gratia ! O singulariter praeferenda per quam in praesenti sanctificamur et in futuro beatificamur » (Beniamin maior, l. 1, c. 1).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Ipsa, iuxta Idiotam, est: Mare amarum, amaricando in nobis noxias mundi delicias.

MARIAM INVOCA. — O Maria, quae a S. Andrea Cretensi merito dicta es: Manifestatio abyssi divinae incomprehensionis occultae; ora pro me, ut magnalia Divinae Maiestatis sedula consideratione recolere non cessem.

MARIAM LAETIFICA. — Coelestium desiderio, terrestrium contemptu. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

TRACTATUS DE CONTEMPLATIONE IN SPECIE SEU DE GRADIBUS CONTEMPLATIONIS

CAP. I. — DE CONTEMPLATIONIS GRADIBUS IN GENERE.

1068. — **Notio gradus contemplationis.** — « Gradus contemplationis sunt quidam progressus et profectus intellectualis cognitionis et saporosae dilectionis ad contemplandum Deum sub ratione veri et boni », ait S. Bonaventura.

1069. — **Gradus contemplationis difficulter numerantur.** — « Magna vis dilectionis, ait Richardus a S. Victore, miranda virtus charitatis. Multi gradus in ea, et in ipsis magna differentia. Et quis eos digne distinguere vel saltem dinumerare sufficiat? » De quatuor gradibus viol. charitatis (1). Idem tenet

(1) Aliquam tamen graduum charitatis enumerationem proferre intentans, ibidem ait: « Attendo ad opera violentae charitatis et invenio quae sit vehementia perfectae aemulationis. Ecce video alios vulneratos, alios ligatos, alios languentes, alios deficientes, non tamen a charitate. Charitas vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum adducit. Quid horum non mirum, quid horum non violentum?

Alvarez de Paz, dicens: « Contemplationis una est natura, multi vero gradus, quos non est facile numerare. Sicut enim Deus innumerabilibus modis animae contemplanti se communicat, ita innumerabiles possunt distingui huius altissimae communicationis gradus » (l. 5, p. 3, introd.).

1070. — Unde merito monet Schram, § 304, ex doctrina Godinez: « Notandum cum P. Godinez (Pr. Th. myst., l. 6, c. 7) quod contemplatio omnino differat a scientiis humanis, quae nituntur primis principiis, ex quibus conclusiones eliciuntur: nam contemplatio nullo nititur principio, ex quo fixae eiusmodi consequentiae fiant, neque post unum gradum contemplationis alter gradus certo succedit, ita ut qui hanc vel illam diligentiam adhibuerit, immediate a Deo donum devotionis, lacrymarum, dulcedinis spiritualis, etc. accipiat: quin imo tota contemplatio magis a contingentibus et inopinatis eventibus, quam a necessariis consequentiis dependet: ideoque nemo putet, quod ascensiones, quas in via contemplationis anima perfecta, disponendo se, aliquoties obtinet, sint quasi gradus scalae arte mechanica constructi: tum quia versamur in materia mo-

Hi sunt gradus ardentis charitatis, gradus quibus interius toti intendimus... In primo gradu fit desponsatio, in secundo nuptiae, in tertio copula, in quarto puerperium. In primo itaque gradu, dilecta frequenter visitatur, in secundo ducitur, in tertio dilecto copulatur, in quarto fecundatur ». Et infra: « In primo itaque gradu Deus intrat ad animum, et animus redit ad seipsum. In secundo gradu, ascendit supra seipsum et elevatur ad Deum. In tertio gradu, animus elevatus ad Deum, totus transit in ipsum. In quarto animus exit propter Deum et descendit sub semetipsum... In primo intrat meditatione, in secundo ascendit contemplatione, in tertio retroducitur in iubilatione, in quarto egreditur ex compassione ».

rali, et ad summum ex his, quae ut plurimum contingunt, prudentia quadam coniecturali regularum capaci; tum quia versamur in materia gratiae ut plurimum gratis datae, etiam meritis quibuscumque ex viribus gratiae praemissis indebitae; tum quia hic maxime tenet illud (Ioan., 3, 8): *Spiritus, ubi vult spirat* ».

1071. — Gradatio autem ipsa in genere iam admittitur a S. Augustino, qui ait: « Sed numquid mox ut nascitur perfecta est charitas? Ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est; et mori lucrum » (In I Ep. Ioann. tract. 5, n. 4).

1072. — De qua re scribit S. Gregorius: « Sed inter haec sciendum est quia cum eiusdem sacri Eloquii praecepta cogitamus, cumque mentem a vitae corruptibilis amore divertimus, quasi quibusdam cordis passibus ad interiora properamus. Nemo autem infirma deserens repente fit summus; quia ad obtinendum perfectionis meritum, dum quotidie mens in altum ducitur, ad hoc, procul dubio, velut ascensionis quibusdam gradibus pervenitur » (Moral. l. 22, c. 19, n. 45).

1073. — **S. Bonaventura**, seu auctor libri De septem gradibus contemplationis, ait: « Septem gradus eo gloriosissimos quo scientia experientia probatissimos, in medium censui deducendos... Primum igitur dicamus ignem; secundum motionem, tertium extasim, quartum speculationem, quintum gustum, sextum quietem, septimum gloriam. Primo enim anima ignitur, ignita ungitur, uncta rapitur, rapta speculatur vel contemplatur, contemplans gustat, gustans quiescit. Haec in via possunt acquiri, non tamen subito sed gradatim. Citius autem haec

experitur qui frequentius spiritualibus se exercet. Septimus in patria confertur abundantius iis qui se in praecedentibus gradibus exercuerunt ».

1074. — **Gersonius** aliquam enumerationem habet in sequentibus verbis: « Rationalis spiritus, tamquam nauta per theologiam mysticam doctus, non nisi vocante Domino et secretis afflatibus velum mentis impellente a mari sensualitatis ad litus aeternitatis, hoc est, a carnalibus ad spiritualia pervenit... Illud quoque clarius elucescit ex proprietatibus amoris, quarum tres ad praesens attingere satis erit. Amor enim rapit, unit, satisfacit. Primo quidem amor rapit ad amatum et inde extasim facit. Secundo amor iungit cum amato et quasi unum efficit. Tertio sibi sufficit, nec aliud praeter amare quaerit... Proprietates et conditiones amoris ac theologiae mysticae quae supra dictae sunt, etiam orationi perfectae convenienter adscribi possunt. Huius ratio est quia in anima contemplativa, amor, et mystica theologia, et oratio perfecta, aut idem sunt, aut se invicem praesupponunt » (Myst. theol. specul. p. 7, consid., 35, 43).

1075. — **Philippus a SS. Trinitate** gradus contemplationis sic enumerat: « Primus igitur gradus est in oratione recollectionis; secundus in oratione quietis; tertius in oratione unionis ordinariae; quartus in oratione impulsus; quintus in oratione raptus; sextus et supremus in oratione unionis specialis quae fit in matrimonio spirituali; quamvis non eodem prorsus ordine de illis dictum sit, sed paululum mutato, iuxta exigentiam materiae ». — Et addit: « Solent alii gradus orationis assignari, qui tamen potius sunt quaedam praedictorum concomitantes circumstantiae... Deus alloquitur aliquando animam in aliquo ex praedictis gradibus orationis

constitutam... Communicat se etiam Deus in oratione per varias visiones » (Sum. Theol. myst., p. 3, tr. 3, d. 3, a. 5).

1076. — **S. Alphonsus Maria de Ligorio** varios proponit gradus contemplationis hisce verbis: « Advertere etiam oportet quod Deus, antequam concedat animabus donum contemplationis, solet eas introducere in orationem recollectionis, vulgo dictam otii contemplativi (sic illam vocant mystici), quae non est adhuc contemplatio infusa, quoniam anima est adhuc in statu activo... Insuper advertendum est quod Deus, antequam introducat animam in orationem contemplationis, solet eam purgare ponendo in ariditate supernaturali quae appellatur Purgatio spiritualis, etc... Sed transeamus ad primos contemplationis gradus; hi sunt: recollectio interior spiritus, et quies; de unione loquemur postea.... Tres dantur species unionis: Unio simplex, desponsatio, et unio consummata quae vocatur unio matrimonii spiritualis... In hac vero unione desponsationis tres sunt alii gradus diversi scilicet extasis, raptus et elevationis spiritus » (Praxis confess., c. 9, § 2, n. 127, 128, 132, 137).

1077. — **Scaramelli** dividit contemplationem in **contemplationem per actus indistinctos**, quae divinum suum obiectum generatim et in luminosa quadam obscuritate repraesentat; et **contemplationem per actus distinctos**, quae fit quando Deus veritates quasdam absconditas tam clare manifestat, ut in specie intelligantur, et in obiectis praesentibus perspiciantur, prout accidit in visionibus, locutionibus et revelationibus, quaeque improprie contemplatio dicitur, quia est simplex tantum rerum divinarum intuitus, quin sit saepe amorosus et ex cha-

ritate profluens, ideoque peccatores etiam aliquando visionibus visitantur.

1078. — **Contemplatio per actus indistinctos, iuxta Voss-Scaramelli, duodecim gradus habet:** Primus gradus est, *oratio recollectionis;* secundus, *silentium spirituale;* tertius, *oratio quietis;* quartus, *ebrietas amoris;* quintus, *somnus spiritualis;* sextus, *angores et sitis amoris;* septimus, *unio mystica et simplex amoris;* octavus, *unio extatica;* nonus, *raptus animae in Deum;* decimus, *unio perfecta seu matrimonium spirituale.* Cum nonnullis subdivisionibus.

1079. — **Contemplatio per actus distinctos, iuxta idem Voss-Scaramelli,** complectitur: primo, *visiones;* secundo, *locutiones;* tertio, *revelationes.* Cum subdivisionibus *visionis, locutionis,* et *revelationis.*

1080. — Schram dividit in primis *unionem animae cum Deo* in quatuor formas « Unio alia est **obscura**, arida et insipida, seu tristis quaedam rerum divinarum cognitio cum amore quodam poenali sociata; quae etiam unio dispositiva ad contemplationem dici potest, et fit per derelictionem seu purgationem passivam... Alia est unio **suavis**, quae fit vel per *contemplationem*, vel per *illapsum*, vel per *transformationem* » (§ 163). Ad rem nostram facit triplex haec unio suavis.

1081. — **De prima unione** seu obscura, nihil hic dicendum occurrit, sed ubi de purgationibus passivis.

1082. — **De secunda unione** seu **prima suavi**, seu de **contemplatione** generatim, affirmat Schram duplicem esse, videlicet, contemplationem **cherubicam** et **seraphicam**. — **Contemplatio cherubica** multiplex est: 1° Contemplatio mystica SS. Trinitatis; 2° Incarnationis; 3° Eucharistiae; 4° Attributorum Dei; 5° Symbolicae locutiones internae; 6° Silentium et quies. — **Contemplatio seraphica** *pariter*

multiplex est: 1° Ignea; 2° Flammea; 3° Conformativa et resignativa; 4° Nuditas contemplativa; 5° Solitudo affectiva; 6° Soliloquia affectivae animae; 7° Nebula spiritualis; 8° Libertas spiritus, sic dicta quia in ea pars superior scilicet intellectus et voluntas, quasi libera est et independens a sensibus tum internis tum externis; 9° Contemplatio obscura; 10° Amor vulnerans, seu plaga vel languor amoris.

1083. — **De tertia unione** seu **secunda suavi**, seu de **Illapsu**, quae et **contemplatio passiva** dicitur a Schram, qui eam dividit in *mortem mysticam*, *annihilationem mysticam*, et *illapsum passivum*. — Sed **illapsus passivus** vocatur etiam *sponsalitium*, *osculum*, et *castus amplexus*.

1084. — **De quarta unione** seu **tertia suavi** seu de **transformatione** mystica passiva, scribit idem Schram: « quarta unio animae cum Deo consistit in supremo gradu contemplationis per transformationem mysticam passivam.... Transformatio mystica passiva a mysticis etiam dicitur matrimonium spirituale » (§ 321, 322). (Cfr. Schram in locis ubi de singulis gradibus agit).

1085. — **Alvarez de Paz**, qui supra realem difficultatem enumerationis agnovit, post accuratum mysticorum studium, quindecim gradus contemplationis proponit, dicens: « Nam quae de hac materia ex Patribus et viris spiritualibus indefesso studio decerpsi, iterum intensissime legam et nunquam ante praeviam orationem aliquid scribam... Quindecim ergo nomina ad contemplationem pertinentia in asceticis invenio, quae mihi videntur totidem contemplationis gradus designare. — Haec autem sunt: 1° intuitio veritatis; 2° secessus virium animae ad interiora; 3° silentium; 4° quies; 5° unio; 6° auditio loquelae Dei; 7° somnus spiritualis; 8° extasis;

9° raptus; 10° apparitio corporalis; 11° apparitio imaginaria; 12° inspectio spiritualis; 13° divina caligo; 14° manifestatio Dei; 15° visio intuitiva Dei. Ac tandem agendum est de suavitate sensibili quae his omnibus gradibus aut pluribus eorum solet adiungi » (de Grad. contempl. l. 5, p. 3. Introd.).

1086. — **Morotius** eosdem quindecim gradus habet, eosque p. 3, c. 2, § 3, brevi commentario exponit, ut sequitur: « Quamvis difficile sit, omnes gradus contemplationis ad certum numerum contrahere, cum soleat Deus innumerabilibus modis sese animae communicare; quidam tamen recentiores quindecim dumtaxat enumerant, ad quos referri posse videntur quaecumque de hac re vel docuit experientia, vel sancti Patres tradiderunt.

1087. — *Primus* itaque *gradus* est **intuitio veritatis.** In hoc gradu extollit Deus animam supra omnem discursum velut in quamdam speculam et ibi faculam splendidissimam sapientiae accendit et perfectiones suas, vel mysteria humanitatis Christi, aut veritatem aliquam, ad maiorem cordis puritatem pertinentem, inspiciendam proponit. Hic recipit intellectus altissimam rerum divinarum cognitionem non discursibus suis elaboratam, sed a Deo potenter immissam. Hic memoriae imprimitur simplex quaedam et iucunda serenitas, qua omnia extranea reiicit et in solo Deo quiescit. Hic voluntas purissimo Dei amore inflammatur, qui aliquando in vires inferiores diffunditur et ad corpus ipsum transit. Hic anima a se expellit omnes affectiones, omnia exercitia, omnia studia, quae ad Deum non pertinent, nihil cupiens, nihil volens nisi amorem. Fit autem actus contemplationis, ut hic obiter praenotemus ad hunc et sequentes gradus intelligendos, sicut et omnis alia cognitio per similitudines rerum, quas philosophi

species vocant; idque tripliciter. *Primo* per species a rebus sensibilibus acceptas, quo pacto Deum intuemur quasi lucem vel ignem splendidissimum per speciem lucis creatae et ignis materialis, et hoc est, quod dicit Aristoteles: Oportet intelligentem phantasmata speculari; et Dionysiûs Areopagita: Impossibile est lucere nobis divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum. *Secundo* per species non quidem immediate a rebus sensibilibus acceptas, sed ex his elicitas, vel compositas; sic cogitamus montem aureum, eo quod aurum et montem prius separatim perspeximus. *Tertio* per species a Deo infusas, qui modus supernaturalis est et iis solis cognitus, qui ad illum elevari merentur.

1088. — *Secundus gradus* contemplationis est **secessus animae ad interiora**, quum omnibus suis viribus ad interiora recipitur et ab exterioribus elongatur. Solet Dominus animam contemplatricem in momento vocare et ad interiora colligere et ante illam mensam lucis et amoris, quibus reficiatur, apponere. Tunc ipsa a Deo tracta deserit exteriora et quasi naturaliter ipsos corporis oculos claudit et omnes reliquos sensus ad interiora convertit. Hic autem animae ingressus ad intimum cordis sui opus Dei est; ipsa enim se ita colligere nequit et in hac quieta solitudine permanere. In hoc secessu facit Deus animam secessum, in quo habitet, hortum in quo flores colligat et virtutum semina spargat. Vellet quidem anima in hac quiete iugiter permanere, sed Domino disponente dimittitur et statim egreditur nesciens, quo pacto secretum illud penetrale disparuerit. Non tamen egreditur vacua, nam omnia exteriora longe aliter ac antea illi sapiunt, spemque iterum redeundi in illud secretum pluris aestimat, quam certitudinem, omnia terrena possidendi. Deinde propria industria

ad seipsam intrare conatur sicque disponitur, ut iterum trahatur a Deo et ad altiora sublevetur. Deficit interim prae desiderio et clamat cum Propheta (Psal. 26, 4): *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.*

1089. — *Tertius gradus* est **spirituale silentium.** Ad interius enim cubiculum introducta anima aliquando quidem loquitur, cum sentiens intra se praesentiam Domini aperit illi desideria sua; frequentius autem silet, cum, luce et amore crescentibus, intelligentiae actus suspenditur; et a verbis cessat nesciens prae admiratione quid proferat. Tunc quasi ferrum a magnete tactum ipsi summo bono inspiciendo inhaeret. Tunc voluntas ad amorem ardentissimum internas locutiones impedientem elevatur. Tunc omnia in homine tacent, sensus non perstrepunt, quiescunt desideria, dum interim anima praestolatur cum silentio salutare Dei, audiens quid Deus loquatur intra se, donec occidat illa lux, ob cuius admirationem tacebat. Illa enim luce abscedente ad dulcia redit colloquia et solito ferventior ad exteriora regreditur.

1090. — *Quartus gradus*, **quies.** Sicut lapis in centro, sic quaelibet res in ultimo suo fine iam adepto quiescit. Animae rationalis finis ultimus et summum bonum est Deus; videns igitur anima se iuxta Deum quiescit in amore eius tamquam in complemento sui desiderii et dicit cum Sponsa (2, 3): *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* In hac quiete omnes animae vires satiantur; rationalis, quia adhaeret summae veritati; concupiscibilis, quia summae bonitati coniungitur; irascibilis, quia summa fruitur gloria, potentia et dignitate, ad quam aspirabat. Hic omnium virtutum amor excitatur in anima, omnia pietatis exercitia fiunt illi,

facillima, et vehementius in illa accenditur desiderium, serviendi Deo carnemque spiritui subiiciendi novis modis atque inusitatis.

1091. — *Quintus,* **unio.** Quies enim transit in unionem. Non fit autem haec unio in substantia animae, ita ut suum esse amittat et convertatur in Deum, ut quidam haeretici somniarunt; sed fit, cum Deus in intimo et fundo animae clarissima luce se illi praesentem exhibet seque ostendit eam intuentem ac tenerrime diligentem. In hoc gradu posita anima tenacissime adhaeret Deo, novo splendore gratiae vestitur et nescio quid coeleste ac divinum in ea apparet. Roboratur ad difficilia, profundissima humilitate perficitur, zelo salutis animarum succenditur cupitque dissolvi et esse cum Christo. Sed de unione fusius infra capite postremo, in ea enim summa perfectio vitae spiritualis sita est; caeteri gradus, qui sequuntur, effectus potius unionis sunt quam distincti gradus contemplationi.

1092. — *Sextus,* **auditio loquelae Dei.** Multifariam Deus animam alloqui solet per Scripturam et praelatos, per praedicatores et per flagella ac per internam inspirationem. Hae autem locutiones omnibus communes sunt; sed animae contemplanti loquitur per seipsum et per Angelos, vel voce exteriori, quae aure corporis percipiatur, vel voce interiori, quae imaginatione concipiatur, vel pure spiritualiter imprimendo in intellectu veritatem, quae locutio propria est Angelorum. Hoc modo Deus nonnunquam per seipsum animam sibi unitam erudire dignatur, atque huiusmodi locutione eam illuminat et inflammat ac sanctis desideriis complet.

1093. — *Septimus,* **somnus spiritualis.** Amor scilicet adeo vehemens, ut omnem excludat operationem intellectus, vel eam saltem minime advertat. Sicut

enim somnus corporalis, omnes sensus exteriores claudit et eorum officium aufert; ita hic somnus exsuperans omnem sensum omnes animae facultates absorbet, dum anima in sinu Sponsi felicissime requiescit, sibique dormiens ac saeculo, Deo vigilanter intendit dicens cum Sponsa (Cant. 5, 2): *Ego dormio et cor meum vigilat.*

1094. — *Octavus*, **extasis.** Est autem extasis elevatio mentis in Deum cum abstractione a sensibus exterioribus ex magnitudine ipsius elevationis procedens. Cum enim anima limitatam virtutem et capacitatem habeat, quanto efficacius uni functioni incumbit, tanto minus aliis attendit. Quare potest agente Deo tanta intentione divinis rebus inspiciendis et diligendis incumbere, ut nec praesentia videat, nec verba prope loquentium audiat, nec etiam ferrum, aut ignem corpori admotum percipiat; et tunc dicitur exstasin pati.

1095. — *Nonus*, **raptus.** Hic addit aliquid supra exstasin, nam exstasis est mentis excessus, quo mens suaviter intra se colligitur et ab usu sensuum abducitur; raptus vero idem excessus est, quo per violentiam quamdam a sensibilibus avellitur et ad divinorum inspectionem et amorem elevatur. In hoc autem posita est essentia raptus, quod contra modum suae naturae, nesciens quo pacto, celerrime et potentissime a sensibus abscindatur et ad superiora feratur. In hoc statu mens se ipsam penitus exuit, divinum quemdam affectum induit et inspectae pulchritudini configurata tota transit in sublimem gloriam. Eius autem, qui rapitur, corpus vel manet frigidum, rigidum et immotum, cum fere ab anima deseratur; vel spiritus vehementia in aërem levatur; vel aliis insuetis modis vim interioris motionis ostendit; ita ut qui haec patitur, interdum a

malo spiritu agitatus, aut temulentus ab ignaris existimetur.

1096. — *Decimus*, **Christi et Sanctorum apparitio corporea.** Cum in duobus superioribus gradibus deserat anima omnes terrenos amicos, aequum est, ut visione coelestium potiatur. Fit autem visibilis, seu sensibilis apparitio extra raptum et exstasin, cum anima sensibus exterioribus uti potest, idque ministerio Angelorum in corpore aëreo et assumpto. Non est tamen appetenda huiusmodi apparitio, quia maxime exposita est diabolicis illusionibus.

1097. — *Undecimus*, **eorumdem apparitio imaginaria.** Haec priore perfectior est fitque per species et imagines rerum, quas iam habemus et sensibus exterioribus hausimus, vel per novas species a Deo vel Angelis immissas. Accidere solet tam in somno, quam in vigilia, sive homo sit sui compos, sive ab usu sensuum exteriorum avulsus.

1098. — *Duodecimus*, **visio intellectualis.** Haec mere spiritualis est et a solo Deo in intellectu perficitur, adiuncto sibi aliquando angelico ministerio. Dicitur haec visio recipi in fundo, vel apice mentis, videlicet in intellectu, non prout ratiocinatur, sed quatenus simpliciter intuetur. Fit autem ut plurimum per species inditas, addito lumine quodam supernaturali.

1099. — *Decimus tertius*, **visio Dei in caligine.** Hic est primus modus visionis intellectualis, qua transcursis omnibus creaturis et relictis omnibus similitudinibus mysteriorum etiam supernaturalium in Deum ut incomprehensibilem et nobis incogitabilem et in intelligibilem ferimus et eo quasi pelago infinitae essentiae, quam ignoramus, penitus absorbemur. Est autem caligo mystica lux, ad quam aditus non patet, in qua Deus habitare dicitur; quae nec cerni,

nec adiri potest prae excellenti claritate et propter singularem divini luminis effusionem. In hac versatur omnis, qui dignus habitus est videre et nosse Deum non videndo, neque cognoscendo, qui Deum videt non videndo et cognoscit ignorando dicitque cum Propheta (Psal. 138, 6): *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est et non potero ad eam.*

1100. — *Decimus quartus*, **admirabilis manifestatio Dei.** Alter scilicet modus visionis intellectualis, quando caligo dispicitur et obscuritas dissipatur et Deus gloriosus non quidem in sua maiestate et claritate, sed in gustu quodam experimentali sentitur et magis attrectatione quadam, ut vocant, ineffabili et inexplicabili, quam inspectione videtur. Haec visio sicut perfectissima, ita et maxime spiritualis est; apparet enim Deus in ipso intimo animae quasi in quodam coelo et regno suo, sicut scriptum est (Luc., 17, 21): *Regnum Dei intra vos est.* In aliquibus iustis durare solet per multum tempus, quamvis non semper in eadem intensione; imo et quibusdam per modum habitus datur, ut anima, quoties voluerit, se colligat ad Deum ipsique visione et affectione iuncta permaneat; quare a nonnullis hic gradus spirituale coniugium Dei et animae nuncupatur.

1101. — *Decimus quintus* et postremus gradus, tertius modus visionis intellectualis, licet non pertineat ad hanc vitam, sed ad futuram et beatam, ad quam suspiramus, est **visio clara et intuitiva Dei.** Haec est merces nostra magna nimis, haec suprema beatitudo animae nostrae omnium bonorum aggregatione perfecta. Quia vero iuxta probabilem quorumdam Theologorum sententiam nonnullis viris sanctissimis, beatissimae nimirum Virgini Mariae, Moysi, Paulo Apostolo et Divo Benedicto concessum fuit etiam in hac vita clare videre divinam essen-

tiam; ideo non immerito supremus contemplationis ad hanc quoque vitam pertinentis gradus in clara Dei visione constitutus est. Sic perficitur ascensus per hanc mysticam scalam. Incipit anima studio orationis a terrenis ad coelestia elevari; tum a meditatione ad contemplationem gressum mentis promovens intellectu et affectu quasi duobus pedibus sursum ascendit, vires tribuente Deo, qui conatum ascendentis e summitate scalae inspicit et prae carnis infirmitate deficienti alacritatem et vires subministrat. Sicut autem in scala Iacob nullus Angelus subsistere visus est, omnes enim vel ascendebant vel descendebant; ita et in hoc studio non proficere, deficere est, et qui non ascendit, descendit; quia inter profectum et defectum nullus status medius reperitur. — Haec Morotius.

1102. — Cum autem tanta sit enumerationum graduum contemplationis varietas, cumque multi ex gradibus qui ponuntur in amplioribus enumerationibus sub gradibus praecipuis comprehendantur, agemus de praecipuis huiusmodi gradibus.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Ipsa, teste S. Damasceno, est: Fons aurifluus, vitae aeternae nectar coeleste profundens, Fons gratiarum, Fons laetitiae.

MARIAM INVOCA. — O Maria, quae rite dicta es ab Idiota: Flumen cuius impetus laetificat civitatem Dei, id est, utramque Ecclesiam et fidelem animam; ora pro me, et laetifica cor meum abundantia pietatis tuae.

MARIAM LAETIFICA. — Prompto ac hilari corde Deo et SS. Matri Dei serviens. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. II.
DE PRIMO GRADU CONTEMPLATIONIS SEU DE ORATIONE RECOLLECTIONIS.

1103. — **Definitio. — Recollectio seu oratio recollectionis** est quidam secessus animae cum omnibus suis potentiis ad interiora, ut Deo unice vacet. Importat simplicem seu amatorium affectuosumque aspectum, seu simplicem affectuosamque attentionem ad Deum. Unde eam definit Antonius a Spiritu Sancto: « Secessum, quo anima cum omnibus suis viribus ad interiora recipitur, et ab exterioribus elongatur ». Et a Vallgornera eodem modo definitur, id est: « Secessus, quo anima cum omnibus suis viribus ad interiora recipitur, et ab exterioribus elongatur.

1104. — **Divisio. — Recollectio duplex est:** Alia **activa seu acquisita,** alia **passiva seu infusa.** Prima, propria industria cum ordinariis auxiliis divinae gratiae, altera ex sola gratia pendet, ut dictum est de contemplatione catholica in genere.

1105. — Quam divisionem expressis verbis admittit Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 4, disp. 2, a. 15, n. 1, dicens: « Duo sunt huius recollectionis modi, primus quidem activus, secundus autem passivus. Primus industria nostra, et cum auxiliis divinae gratiae solet acquiri; secundus ex pura liberalitate Dei supernaturaliter communicatur ».

1106. — Item Comp. Scaramelli, lib. 1, p. 1, c. 1: « Recollectio duplicis est generis: una propriis acquiri potest industriis, quatenus anima Deum intra se praesentem sibi praefigurat, et interiores suas potentias in eo defigit. Altera recollectio non a propriis pendet

industriis, sed a gratia, modo extraordinario infusa qua Deus potentias animae, circa exteriora dispersas, recolligit. Haec recollectio, quae contemplationis infusae primus est gradus, definitur: « Suavis et subitaneus omnium interiorum potentiarum ad animae intima receptus, in quo Deus viva fide se manifestat ».

1107. — Idem tenet Antonius a Spiritu Sancto, qui tr. 4, d. 1, s. 10, scribit: « Duo sunt huius recollectionis modi: primus quidem *activus*, secundus autem *passivus*. Primus industria nostra, sed cum auxiliis divinae gratiae, solet acquiri; secundus ex pura liberalitate Dei supernaturaliter communicatur ». Quae verba et verba Vallgornera concordant.

Art. I. — De recollectione activa seu acquisita.

1108. — **Recollectio activa promiscue vocatur** a nonnullis *recollectio potentiarum;* oratio *simplicis intuitus;* oratio *purae fidei;* oratio *simplicis praesentiae Dei*, oratio *contemplationis*: item *solitudo interior; oratio silentii*, sed minus stricte, ut patet ex auctorum modo loquendi in genere. Sic Lopez Ezquerra, Lucerna myst. tr. 1, c. 3, n. 21, ait: « Lumen, et amor, sive unio, vel contemplatio, dum activa est, vocari solet a mysticis (in animabus incipientibus et proficientibus) praesentia Dei intellectualis, recollectio potentiarum, elevatio mentis ad Deum, silentium, aut interior solitudo. In perfectis autem, dum est activa, vocatur contemplatio sive unio activa, oratio fidei, simplex et amatorius Divinae veritatis intuitus, cognitio indistincta et universalis, oratio quietis, otiumque sanctum ».

1109. — **Vera notio recollectionis activae** et propriam industriam et Dei gratiam importat, ut patet ex definitionibus et divisione recollectionis. Unde merito scribit Antonius a Spiritu Sancto: « *Iste modus recollectionis non est oratio supernaturalis [i. e. infusa] quamvis haberi non possit absque speciali Dei auxilio.* Potest tamen cum illo a nobis acquiri; sed necesse est, ut ab omni re exteriori nos liberemus, et interius Deo adhaereamus. Et si necessaria instet occupatio, saltem per momentum identidem nos colligere debemus in intimo cordis, recordati, quod ibi habemus societatem valde utilem. Ad hanc recollectionem valde conducit, assuescere intellectum, quietare, ut attendat his, quae dicit illi Deus, cum quo loquitur. Ad hoc enim necesse est, sensus externos colligere intra se ibique eos occupare. Tandem necesse est, credere, quod ad loquendum Deo non est necesse clamare, cum Deus ipse praesens habeatur. Sufficit igitur, scire, illum intra nos esse et velle concedere, quae petimus, nec a nobis exigere verba composita. Multum doleamus, quod saepe Deum existentem intra nos solum relinquamus, et in posterum saepius in die nos ad eum interius colligamus » (tr. 4, d. 1, s. 10).

1110. — **Monita circa recollectionem activam.** — Circa modum practicum huius recollectionis, bene monet Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 4, dist. 2, a. 15, n. 2: « Ad istum modum orationis sufficit considerare Deum intra nos ipsos, et quod ad alloquendum Deum non opus est coelum ascendere, vel alta voce clamare; certum est enim quod ubicumque voluerit anima Deum alloqui, quantumcumque submisse loquatur, certe audietur; et si bene loquatur, infallibiliter exaudietur: non indiget alis, ut ad eum

inquirendum volet, sed sufficit quod manens in solitudine et recollecta consideret eum intra se ».

1111. — Iuvant quae supra dixit Antonius a Spiritu Sancto, et haec eiusdem verba: « Sufficit considerare Deum intra nos ipsos et quod ad alloquendum Deum non est necesse, coelos ascendere, nec in alio loco illum quaerere, quam intra nosmetipsos. Nec indiget voce, ut audiat; sed si oratio in corde prolata bona sit, infallibiliter a Deo audietur. Ita D. Augustinus et N. M. S. Theresia (in via perfectionis, cap. 28). Vocatur autem iste modus recollectionis, quia suas potentias colligit anima et se ipsam intrat, ibique divinus Magister illam instruit et orationem recollectionis concedit. Ibi anima collecta potest passionem Christi considerare et illum sibi repraesentatum Deo offerre. Qui hoc modo in centro suae animae se recolligit, credat, quod per viam bonam incedat, et sine dubio in brevi ad fontem aquae vivae perveniet » (tr. 4, d. 1, s. 10).

1112. — Et opportune monet B. Albertus Magnus: « Quanto ferventius ab inferiorum memoria, affectu et intellectu, ad superiora sensus colligitur, tanto perfectior erit oratio, et purior contemplatio... Quippe qui Deo adhaeret, versatur in lumine, qui vero mundo adhaeret, in tenebris est. Qua ex re, est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita Deo uniri ut tota anima cum omnibus potentiis suis et viribus in Dominum Deum suum sit collecta, ut unus fiat spiritus cum eo, et nihil meminerit, nisi Deum, nihil sentiat vel intelligat, nisi Deum, et omnes affectiones in amoris gaudio unitae, in sola Conditoris fruitione suaviter quiescant » De adhaerendo Deo, c. 3).

1113. — Et alibi addit: « Verus Iesu Christi amator sic debet esse unitus intellectu per bonam

voluntatem, divinae voluntati et bonitati, et nudus ab omnibus phantasmatibus et passionibus, ut non advertat si derideatur, diligatur, vel quidquid sibi inferatur. Voluntas iamque bona omnia complet, super omnia est. Unde si voluntas adsit bona, et Deo in intellectu pure conformis et unita fuerit, non nocet si caro et sensualitas et exterior homo moveatur ad malum et torpeat ad bonum: aut etiam si interior homo torpet devotionem affectare, sed tantum fide, et bona voluntate adhaerere debet Deo in intellectu nude » (Ibid., c. 6).

1114. — Et semper mente retinendum, quod recollectio, teste Vallgornera, « non est silentium potentiarum, sed tamtummodo collectio ipsarum in seipsis ». Importat praesertim recessum ab exterioribus et inhaerentiam Deo. Siquidem addit idem auctor, ista recollectio « potest diversis acquiri mediis, sed opus est ut ab omni re exteriori nos liberemus, ut interius Deo inhaereamus » (Theol. myst. D. Th., q. 4, d. 2, a. 15, n. 2).

1115. — Utilitatem specialem habent practica haec consilia S. Alphonsi Mariae de Ligorio: Advertere etiam oportet, quod Deus, antequam concedat animabus donum contemplationis, solet eas introducere in orationem recollectionis, vulgo dicta di *Raccoglimento*, vel *otii contemplativi*, quae non est adhuc contemplatio infusa, quoniam anima adhuc est in statu activo. Haec recollectio (loquar hic de naturali, quoniam de supernaturali et infusa inferius loquemur n. 1120), est quando intellectui opus non est cum labore quasi extra animam exire ad considerandum mysterium aliquod, aut aeternam veritatem, sed avulsus a rebus externis, et collectus quasi intra animam ipsam, absque labore, immo cum ma-

gna suavitate attendit illi veritati, aut mysterio, quodcumque sit.

1116. — *Otium contemplativum* est fere idem, nisi quod in collectione anima attendit alicui devotae cogitationi particulari; in otio vero cum generali quadam Dei notitia sentit se in seipsa collectam, et suaviter Deo attractam. In hac collectione, sive otio contemplativo, dicunt quidam mystici, quod et si haec oratio sit naturalis, nihilominus anima cessare debet non solum a meditatione, sed etiam ab actibus voluntatis, scilicet amoris, oblationis, resignationis, etc., et tantum manere debet in quadam amoris vigilantia, et attentione ad Deum, absque eo quod actum aliquem faciat. Veruntamen huiusmodi incantationibus ego prorsus acquiescere non valeo. Nulli dubium, quod quando anima collectam se cernit, non debet se applicare meditationi, quia iam invenit sine ullo labore quidquid ipsa postulabat; praeterquam quod ipsa ordinaria meditatio, ut ait P. Segneri in suo aureo opusculo de *Concordia inter laborem et quietem* (pr. 1, c. 1, n. 1), producit post aliquod tempus contemplationem quae dicitur *acquisita,* nempe illam quae unico intuitu cognoscit veritates, quas ante nonnisi longo discursu et labore cognoverat. Sed his non obstantibus, nescio cur anima cessare debeat a bonis actibus voluntatis; et quodnam tempus opportunius his faciendis actibus esse poterit, quam tempus quo anima se collectam sentit?

1117. — Verum quidem est, quod S. Franciscus Salesius consilium dedit D. Ioannae de Chantal, ut in sua oratione, cum se Deo unitam sentiret, non repeteret novos actus, sed quare? Quia scilicet beata iam pervenerat ad contemplationem passivam. Unde quando anima adhuc est in statu activo, non est

ratio cur actus boni impedire debeant gratiae operationem. Idem S. Franciscus Salesius praefigebat animabus devotis a se directis determinatum quemdam numerum aspirationum amoris, faciendum intra certum temporis spatium.

1118. — Quando anima pervenit ad statum passivum contemplationis, tunc anima etsi non mereatur, quia eo tempore non operatur, sed tantum *patitur*, nihilominus acquirit magnum quemdam vigorem ad operandum postea cum maiori perfectione. Sed quando anima adhuc est in statu activo, ut mereatur, operari debet, actus bonos faciendo; atque haec sunt opera, quibus anima meretur gratiam divinam. Unde recte concludit idem P. Segneri, quod quando Deus loquitur et operatur, oportet ut anima taceat, et cesset a suis operationibus, nihil aliud ponendo ex parte sua circa principium, quam attentionem quamdam amoris ad divinas operationes; ed quando Deus non loquitur, necesse est, ut anima, se adiuvet eo modo quo potest ad coniungendum se Deo, scilicet meditationibus (quando hae sunt necessariae), affectibus, precibus, et determinationibus, dummodo actus isti non eliciantur inviti: unde illi tantummodo sunt faciendi, quibus se anima sentit suaviter inclinatam ». — Haec S. Ligor. Praxis, app. 1. n. 7.

Art. II. — **De recollectione passiva seu infusa.**

1119. — **Recollectio passiva seu infusa promiscue vocatur** a nonnullis Doctoribus: *Recollectio supernaturalis, oratio passiva recollectionis, recollectio contemplativa*, etc.

1120. — **Vera notio recollectionis passivae.** — Eam sic describit S. Alphonsus, Praxis, app. 1, n. 13: « Primus igitur gradus contemplationis est *recollectio supernaturalis*. De naturali iam diximus supra n. 7, quae tunc habentur, quando animae potentiae colliguntur ad considerandum Deum intra se; et dicitur *naturalis*, non quia anima ex se valeat illam operari; omnis enim actio virtutis, ut possit aeternum praemium promereri, indiget auxilio gratiae; unde generatim loquendo est etiam supernaturalis: sed *naturalis* dicitur, quia anima tunc est in statu activo, et beneficio gratiae ordinariae operatur. Recollectio vero *supernaturalis* est illa, quam operatur Deus ministerio cuiusdam gratiae extraordinariae, et per quam Deus collocat animam in statu passivo: ita ut recollectio supernaturalis, seu infusa tunc proprie habeatur, quando collectio potentiarum non evenit opera ipsius animae, sed beneficio lucis quam Deus infundit, et per quam excitatur in anima magnus et sensibilis amor divinus ».

1121. — **Eius modus** ita exponitur a Vallgornera, Theol. myst. D. Th. q, 4, d. 2, a. 15, n. 3: « Solet Dominus animam contemplatricem exterioribus vacantem, aut vocaliter orantem, vel aliquid utile considerantem, in momento vocare per sanctam inspirationem, et intellectum, et affectum, et cogitationem, ipsa quasi nihil faciente, ad interiora colligere, et ante illam mensam lucis et amoris, quibus abunde reficiatur, apponere. Tunc ipsa non gravate, sed lubenter, imo quasi tracta ab alio (et revera tracta est) exteriora deserit, et quasi naturaliter ipsos corporis oculos claudit et visum, et auditum, et reliquos sensus ad interiora convertit ».

1122. — Item ab Antonio a Spiritu Sancto, tr. 4, d. 1, s. 10: « Saepe accidit, quod, antequam quis

de Deo cogitet, potentiae interius colliguntur, quasi voce divini Pastoris collectae. Et quamvis haec interna collectio multum suavis percipiatur, non tamen facile concipitur, quomodo contingat. Hunc favorem solet Deus concedere illis, qui se a mundanis negotiis expediunt, et maxime postquam diutius priori modo recollectionis propria industria vacaverint. Ibi non suspenduntur potentiae, nec liguntur, sed liberae manent, ut in Domino suaviter occupentur ».

1123. — Item a Voss-Scaramelli, l. 2, p. 1, c. 1 : « Recollectio ista ex improviso solet accidere, ita ut anima, prout docet S. Theresia, potentias suas iam in Deo collectas sentiat, priusquam de Deo cogitaverit. Hinc patet hanc orationem esse infusam et non acquisitam. Nondum autem perfecta contemplatio appellari potest, sed eius initium, vel potius divina vocatio ad infusam contemplationem. Unde in hac oratione non sunt intermittendae meditatio et operationes intellectus ».

1124. — Haec passiva recollectio rite comparatur a Doctoribus voci pastoris ad colligendas oves : oves sunt animae potentiae, pastor est Deus. Unde merito notat Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 4, disp. 2, a. 14, n. 5 : « De hac recollectione loquitur D. Th. explicans illud Ioan., 10, 3 : *Oves vocem eius audiunt*. Ex similitudine naturalis pastoris attenditur, quia sicut ovis ex consueta imaginatione recognoscit vocem pastoris, sic fideles vocem Christi. — Et in Iob, 4, 16, *Vocem quasi aurae lenis audivi*, consolationem quamdam sedantem pavorem demonstrat ».

1125. — Comparatur etiam magneti acum trahenti : magnes est Deus, acus potentiae animae. Hinc utramque admittens comparationem, scribit Voss-Scaramelli, l. 2, p. 1, c. 1 : « Sicut oves, audita

voce pastoris, ad eum recurrunt; sicut acus ad magnetem se convertit et ei adhaeret: sic omnes animae potentiae, a Deo suam praesentiam manifestanti, vocatae, ad eum recurrunt et in eo absorptae haerent ».

1126. — **Effectus recollectionis passivae** (et etiam activae, ex parte) sunt: maior declinatio a rebus mundanis; verus et ardens amor solitudinis, salvis proprii status officiis; ardens orationis desiderium, item salvis propriis officiis. Exinde sic recollectus etiam corporaliter recollectionem quodammodo manifestat. Nec tamen liber est a stimulis vanitatis et superbiae, sed si fidelis sit Deo vocanti et oret, facile victor evadit.

1127. — Unde merito scripsit Antonius a Spiritu Sancto, tr. 4, d. 1, s. 10: « Signum et simul effectus huius recollectionis est, quod anima sic intra se collecta et Deo adhaerens *res omnes mundanas et caducas ut tales aestimet* et ut nihil eas despiciat, quantumcumque prius eas aestimaret, immo eas abhorreat. Solet qui est in hoc statu, clausis orare oculis. Internam animae fortitudinem experietur, quamvis corpus ipsum debilitetur. Et quamvis non statim a principio haec omnia percipiantur, cum in hac recollectione sit magis et minus, brevi tamen percipiuntur, si talis recollectio a Domino animae concedatur. Non tamen inde aestimationis propriae vel superbiae exsurget sensus, immo maioris humilitatis occasio nascetur. Hoc enim proprium habet lux divina in hoc sublimi statu communicata, licet aliquando ex defectibilitate animae occasio superbiae ex huiusmodi gratiis accidere possit ».

1128. — **Monita circa recollectionem passivam.** « Quando quis se hoc modo sentit intra se collectum, si Dominum praesentem, inspicientem et auscultantem percipiat, cum suavi potentiarum silentio et

interna mentis quiete ipsi adhaereat et amoroso potius intuitu, quam formato discursu cum eo colloquatur. Immo si vellet intellectualem discursum formare, suam quietem et intimam Dei communicationem turbaret. Debet igitur anima sic intra se ad Deum collecta se totam ipsi Domino dirigendam relinquere, nec de quovis alio curare. Quaelibet namque eius operatio vel particularis advertentia sacrum hoc otium impedire potest et imaginationem ad operationes distractivas excitare. Quando enim suspendit Dominus intellectum a sua connaturali operatione, in alio solet occupare, superiorem ei communicans lucem, et tunc brevi tempore plus discit, quam longo disceret industria sua » (Ant. a Sp. Sancto, ibid.).

1129. — Unde opportune monet S. Ligorius: « In hoc statu non est cogenda anima ad suspendendum tranquillum eum discursum, quem forte ei lux ipsa suaviter insinuaret: quemadmodum nec debet incumbere considerationi rerum particularium, aut determinationibus, quas valet efficere. Nec debet curiosius investigare quidnam sit interior ea spiritus recollectio: sed sinat se dirigi a Deo ad considerandas res illas, illosque actus faciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit » (Praxis, app. 1, n. 13).

1130. — Item Compendiator Scaramelli: « In supernaturali hac recollectione neutiquam suspenduntur animae potentiae, sed libere intellectus reflectere ac ratiocinari, et voluntas amare, gratias agere et sese humiliare potest, et debet. Magna tamen cum quiete debet intellectus suam propriam vilitatem et Dei magnitudinem considerare, sicut et voluntas magna cum tranquillitate suos prodere affectus » (l. 2, p. 1, c. 1).

1131. — Qui addit: « Si quis a Deo ad interiorem hanc recollectionem vocetur, dum precibus vacat vocalibus; aut omnino eas suspendat, aut cum quiete et pace prosequatur. Primum est faciendum, quando preces vocales nulla lege praescriptae, sed sponte susceptae, impediunt operationem Dei, et dissipant mentem. Secunda autem observanda est regula, quando preces vocales lege aliqua aut praecepto sunt praescriptae » (ibid.).

1132. — **Notet Director**: « Quum haec interior recollectio, praecipue si frequens, iudicium sit vocationis divinae ad contemplationem infusam: director huiusmodi animae maiori cum sollicitudine curam gerere debet. Inducat eam, ut tempus orationis augeat, a distractionibus et evagationibus saeculi remota in solitudine maneat, et generose in solidarum virtutum, mortificationis et humilitatis, exercitia progrediatur ». — Item: « Animabus istis, peculiari modo a Deo ad recollectionem vocatis, etiam necessarium est ut propriis industriis internae recollectioni studeant » (Id. ibid.).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Ipsa, teste S. Damasceno, est: Donatrix bonorum et opum, Donatio gratiarum coelestium et munerum terrestrium.

Mariam invoca. — O Maria, quae a B. de Busto recte vocaris: Dispensatio charismatum Dei, Dispensatrix melliflua et largiflua coelestium thesaurorum pro tuae complacentia voluntatis; ora pro me, et uberrimis benedictionibus conforta me.

Mariam laetifica. — Filiali, fideli et assidua marianae misericordiae invocatione. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. III.

DE SECUNDO GRADU CONTEMPLATIONIS SEU DE SILENTIO SPIRITUALI.

1133. — **Definitio. — Silentium spirituale, seu oratio silentii** est: Oratio qua anima ex magnitudine lucis, amoris ac devotionis fervoris, quasi attonita in suis potentiis, et in admiratione manens, Deo inhaeret. Unde importat divinam lucem et amorem ardentem. Et phantasia fit quasi stupefacta; intellectus in admiratione magnalium Dei defixus, fit quasi mutus; voluntas tota in ardore divinae charitatis posita, laeta quiescit. Unde merito dicitur delectabile silentium.

1134. — **Distinctio.** — Haec oratio silentii a multis non distinguitur ab oratione recollectionis, de qua supra; neque ab oratione quietis, de qua infra. Sed Alvarez de Paz et Scaramelli probant orationem silentii et superiorem oratione recollectionis, et inferiorem oratione quietis existere. De qua re scribit Compendiator Scaramelli: « In oratione recollectionis neque intellectus a meditando et ratiocinando, neque voluntas ab affectionibus petitionis, gratiarum actionis, laudis, oblationis abstrahitur; sed utraque potestas, quin sibi vim faciat, ad huiusmodi actus procedere potest... In oratione silentii phantasia haeret stupefacta, non importunis imaginibus suis animam turbat... Intellectus in admiratione... non sermocinatur nec ratiocinatur. Voluntas tota contenta in suo amore quiescit. Sensitivus appetitus, quin rationalium potentiarum turbet tranquillitatem, plena gaudet malacia seu pace ».

1135. — **Quomodo silet anima** in hac oratione, ita exponit Alvarez de Paz: « Silet autem cum luce et amore crescente, desideriorum patefactio cessat, et ad quandam suspensionem intelligentiae transfertur, et ad ardentissimum amorem locutiones illas internas impedientem elevatur. Tunc intellectus, prae admiratione eius veritatis aut pulchritudinis quam videt, tacet, nec discursibus aut ratiocinationibus procedere vel loqui libet. Tunc imaginatio a Deo ligata et veluti attonita effecta, mutire non audet nec per varia divagari praesumit... Breviter omnia in homine tacent, sensus non perstrepunt, desideria quiescunt, et intellectum atque affectum in sua tranquillitate relinquunt » (l. 5, p. 3, c. 3). — Ergo *causa silentii* est lux divina et amor ardens; *effectus* autem iidem ac effectus orationis recollectionis, sed excellentiores, quia excellentior est lux, excellentiorque amor.

1136. — Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 4, disp. 2, a. 15, n. 7-9, ait: « Tunc omnia in homine tacent, sensus non perstrepunt, desideria quiescunt, et intellectum atque affectum in sua tranquillitate relinquunt. Advertendum tamen est in hoc silentio animae contemplativae divinam laudem non deesse... Nam suprema laus est ad admirationem inspectae magnitudinis verba supprimere, et tacendo se ad depromendas laudes imparem confiteri... De ista recollectione seu de hoc sacro silentio loquitur D. Th., q. 13, *De veritate*, a. 2, ad 9, his verbis: Quandoque enim intelligitur abstractio ab exterioribus quantum ad intentionem tantum, ut scilicet cum quis exterioribus sensibus et rebus utitur, sed tota sua intentio divinis inspiciendis et diligendis vacat... Ex quo sequitur, quod causa silentii est magnitudo lucis,... magnitudo amoris ac fervor devotionis ». — Anima

igitur in ea oratione modo videt, modo audit, nec otiosa manet.

1137. — Unde opportune monet Ant. a Spiritu Sancto, tr. 1, d. 1, s. 4: « Hoc sacrum silentium et otium contemplationis non importare suspensionem intellectus, quasi nihil omnino tunc operetur, ut aliqui attribuunt Taulero, sed excludere actus incitatos intellectus, quibus circa plurima turbatur et includit tantum actus suavissimos, quibus potius anima Deum loquentem auscultatur, quam ei loquatur, et quibus potius in ipso possesso quiescit, quam ad eum inquirendum laboret; revera tamen intellectus semper operatur etiam in ipsa quiete, quia contemplari operari est. Quorum omnium ratio est, quia animae contemplativorum in ipsa contemplatione cum Deo loquuntur, et a Deo etiam audiunt; locutio autem et auditio non possunt fieri sine actu, tum quia ex tali cessatione et suspensione actuum intellectus et voluntatis anima omnino esset otiosa et non mereretur, nec ex ea haberet aliquam utilitatem; nam charitas actibus augetur et non habitibus, vel cessatione ab actibus charitatis ».

1138. — Ideoque merito scribit S. Augustinus (l. 19, *de Civ.* c. 19): « Nec sic debet esse otiosus contemplator, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi... In otio non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio, aut inventio veritatis... Itaque a studio cognoscendae veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium ». Et S. Gregorius (l. 5, Mor. c. 26): « Tunc ergo verum est, quod de Deo cognoscimus, cum plene nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus ».

1139. — S. Dionysius, l. 2, Th. Myst. c. 1, in summo quodam mystico apice modum agnoscit, quo anima a SS. Trinitate edocetur, « praefulgente si-

lentii, obscura docentis, caligine ». Cuius rationem dat c. 3. « Quo enim ad superiora contendimus, eo magis verba aspectu rerum, quae sub mentem cadunt, contrahuntur : quemadmodum etiam hoc tempore in caliginem, quae mentem superat, introeuntes, non brevem orationem, sed silentium, et intelligentiae privationem reperiemus ».

1140. — S. Augustinus, l. 9, Conf. c. 10, ait: « Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasiae terrae, et aquarum, et aëris, sileant et populi, et sibi anima sileat, et transeat se, non se cogitando. Si iam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, qui fecit ea, et loquatur ipse sōlus ».

1141. — S. Gregorius, l. 30, Mor. c. 11, hisce verbis animas contemplativas adhortatur : « Quoddam sibi cum Domino intra se secretum quaerant, ubi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquantur... Coelum quippe Ecclesia vocatur electorum, quae ad aeterna sublimia, dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab intimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit ».

1142. - Notat Schram, § 275 : « Non ingreditur anima in caliginem, ut prorsus non videat, sed ut cognoscat, se intueri lumen inassequibile ; nec vacat otio, ut otietur, sed negotietur : nec tota dormit, sed corde vigilat ; nec moritur morte, quae omnem vitam excludat, sed in ipso sepulchro gaudet, adeoque actus intelligendi et amandi non omnino suspenduntur ».

1143. — **Concludendum** cum eodem : « Datur in aliquo vero sensu in contemplatione divina aliquis orandi modus, qui merito dicitur oratio silentii et quietis. Probatur 1° ex S. Scriptura (Ps. LXIV, 1) : Te decet hymnus (Hebr. cum S. Hieronymo),

tibi silentium, laus, Deus in Sion. Id est, iuxta Bellarminum, « tibi, Deus, primum convenit tacita admiratio magnitudinis tuae : deinde constituto corde in hoc silentio, debetur tibi laus in Sion ». Item (Thren. III, 26): Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei. Et (v. 28): Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se » (§ 274).

1144. — **Monita practica.** — Sedulo distinguenda pia et sana oratio silentii a falsa. In vera oratione silentii spiritualis, anima Deum audire debet; in ea enim Deus animae loquitur: et anima Deo sibi loquenti respondere debet, saltem per affectus amoris et alios: secus talis oratio non datur.

1145. — Hisce praenotatis, facile intelligitur sensus et intentio istius moniti Comp. Scaramelli, l. 2, p. 1, c. 2: « Sicut director animam in oratione recollectionis positam monere debet, ut tam intellectu quam voluntate (licet cum tranquillitate et pace) operari pergat; sic in hac oratione silentii positam, ut *non* operetur, sed in admiratione et amore, quibus Deus eam suspensam tenet, firmiter persistat. Si praeterea Deus animae, in hoc silentio suspensae, attentionem quamdam ingerat, qua se ad cor loqui velle insinuat, monenda est, ut nullum ponat impedimentum, sed attente verba Dei audiat ». Caveat tamen ne ex affectatione et propria industria hanc viam ingrediatur.

1146. — Et istius: « Si post modicum temporis lucis vivacitas et amoris ardor cessat, et cum iis omnis potentiarum suspensio; anima ad reflexiones, colloquia, preces, oblationes et alios huiusmodi actus redire debet ».

1147. Et istius: « Notet insuper director, silentii huius suspensionem per modicum tantum temporis

spatium eodem modo durare, sicut omnes supernaturales suspensiones. Difficulter, ut docent S. Bernardus, S. Gregorius et Hugo a S. Victore, excedunt dimidiam horam ».

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Immaculata Mater nostra, teste S. Bernardino, est: Luna amicis, id est, spiritualibus et devotis suis dispensans divinae sapientiae lucem et coelestis gratiae rorem.

MARIAM INVOCA. — O Maria, quae a S. Antonino merito vocaris: Luna in coelo Ecclesiae, Luna spiritualiter illuminans viatores, qui sunt in nocte huius mundi tenebrosi; ora pro me, illumina me, protege me, custodi me.

MARIAM LAETIFICA. — Solitudinis et recollectionis, salvis officiis proprii status, amore et cultura. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. IV.
DE TERTIO GRADU CONTEMPLATIONIS SEU DE ORATIONE QUIETIS

1148. — **Definitio.** — Quoad ipsum nomen, rite notat Ant. a Sp. Sancto, t. 4, d. 1, s. 11: « *Quies*, prout ad praesens attinet institutum, *nihil aliud est, quam iucunditas quaedam voluntatis nihil quaerentis, nisi sic in Deo perseverare.* Videt se anima iuxta Deum, videt se ab eo amatum et magno pretio habitam et singulari eius providentia protectam. Et in hoc amore voluntas quiescit tamquam in complemento sui desiderii, quod iam consecuta est ».

1149. — Schram, § 273, orationem quietis cum oratione silentii coniungens, ait: « Quinta species contemplationis cherubicae est oratio silentii et quietis, qua mens absorpta, imbuta et immersa est in prima veritate, summaque bonitate, cum quadam simplici et attenta obiecti apprehensione, quin ultra discurrat, aut aliam veritatem attingat, nisi quam habet praesentem; et contemplando speciali modo fruitur veritate, quam meditando inquirebat ».

1150. — Comp. Scaramelli hanc orationem ita describit: « Oratio quietis est certa quies pax et suavitas interna, ex intimis ac profundo animae proveniens, ac in sensus et potentias corporales quandoque redundans, quae oritur ex eo, quod anima non solum Deo appropinquet, sed eius praesentiam etiam sentiat ».

1151. — Vallgornera, item quoad ipsum nomen, similia habet iis quae scribit Ant. a Sp. Sancto, et ait: « Quies, prout in praesens attinet institutum, nihil

aliud est quam iucunditas quaedam voluntatis, nihil quaerentis, nisi sic in Deo permanere. Videt se anima *iuxta Deum*, videt se ab eo amatam, et in magno pretio habitam, et non aliter quam filiam charissimam, singulari eius providentia protectam atque circumdatam: et in hoc voluntas amore quiescit, tamquam in complemento sui desiderii, quod iam consecuta est. Alii dicunt (quod idem sub diversis verbis), quod ex interiori recollectione nascitur aliquando in anima quies et pax interna multum deliciosa, tamque suavis, ut sibi nihil ultra desiderandum appareat, quia Dominus *prope* se collocat, secum unit, et tantam concedit potentiarum quietem, ut praegustandum aliqualiter ei concedat cuius sit saporis bonum illud, quod electis suis in regno coelorum communicat ».

1152. — **Divisio.** — Oratio quietis, quamvis generatim sit tantum *passiva seu infusa*, aliquoties tamen **activa seu acquisita** esse potest; sed haec toto coelo differt ab illa, et vix orationis quietis nomen sibi meretur.

1153. — De hac contemplatione activa seu acquisita dicendum quod de contemplatione rerum sive naturalium sive supernaturalium scribit Angelicus, 2 2, q. 179, a. 1, ad 3: « Contemplatio habet quidem quietem ab exterioribus motibus: nihilominus tamen ipsum contemplari est quidam motus intellectus ». — Et in 3. dist. 35, q. 1, a. 2, quaest. 3, addit: « Felicitas contemplativa, de qua philosophi tractaverunt, in contemplatione Dei consistit ». — Rem tangit et Vallgornera. Myst. Theol. q. 4, disp. 2, a. 15, n. 2, dicens: Iste modus vocatur recollectionis *(activae)*, quia suas omnes potentias colligit anima et seipsam intrat, ibique Magister divinus illam instruit, et *orationem quietis* concedit... Ad hanc autem recol-

lectionem plurimum conducit assuescere, intellectum *quietare* ».

1154. — **Quies naturalis**, et **quies causata a daemone** seu falsa suavitas, sedulo distinguendae sunt a vera et genuina *oratione quietis*. — **Quietas naturalis**, teste Ant. a Sp. Sancto, tr. 4, d. 1, s. 11, « tunc accidit, quando quis denudat sensus tam internos quam externos ab omnibus suis obiectis et operationibus, et otiosus quiescit absque ulla operatione, ut accidit illis, qui dormiunt. Et de hac quiete loquitur N. M. S. Theresia (in vita sua, cap. 15), quando dicit, quod haec quies incipit in devotione et finit in quiete a nobis ipsis procurata. — **Quies autem causata a daemone**, « tunc habetur, quando daemon, ut aliquos decipiat, se transformat in angelum lucis, causando in contemplativis quamdam falsam suavitatem, similem illi, quam Deus causat in anima contemplativa et devota. — Sed hae quietes cum sint a talibus principiis causatae et naturae ipsi rationali nocivae et oppositae, statim per effectus, quos in anima causant, dignoscuntur a viris expertis, ut asserto sequenti dicemus ».

1155. — **Vera quies.** — Hugo Victorinus l. 2, de Anima c. 20, rem tangens, ait: « Cum coeperit mens per puram intelligentiam semetipsam excedere, et illam incorporeae lucis claritatem tota intrare... purior animae pars in illud intimae quietis secretum, et summae tranquillitatis arcanum felici iucunditate introducitur ».

1156. — Et S. Bonaventura, de oratione quietis, ait: « Quies est totius animae mira quaedam, et suavis tranquillitas, per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata ».

1157. — **Differentia inter orationem quietis et orationem silentii**, iuxta varios mysticos nulla

vel fere nulla est, ut supra notavimus, sed iuxta alios positiva est ac realis. De qua re Comp. Scaramelli ait: « Haec a luce intellectuali, animam suspendente originem trahit; illa autem nascitur ex quadam experientia amoris, qua voluntas Deum sibi praesentem et sentit et gustat ».

1158. — **Differentia inter orationem quietis et orationem unionis** certa est et solido fundamento innixa; quod quadruplici argumento probat Ant. a Sp. Sancto, tr. 4, d. 1, s. 11, dicens: « Differt haec oratio quietis ab oratione unionis: « Primo, quia in oratione unionis habet se anima velut passive. In hac autem oratione quietis aliquantulum laborat, quamvis tam suaviter, quod laborem non sentiat. — Secundo in oratione unionis omnes animae potentiae saepius a suo connaturali operatione suspenduntur, ut internis deliciis plene Deo unitae perfruantur. In oratione vero quietis intellectus et imaginatio saepe hinc inde discurrunt, licet facilius revocentur, quam in oratione recollectionis. — Tertio in hac oratione quietis anima quasi somnians dubitat, an ea, quae percepit vera sint. In oratione vero unionis nec imaginatio, nec memoria vel intellectus possunt tantum bonum impedire, vel daemon immisceri vel damnum afferri. — Quarto in oratione quietis laborat anima in cibo deglutiendo, quem Deus illi praebet. In oratione vero unionis invenit in stomacho veluti cibum communicatum, nesciens, qua via id acciderit, quia tunc Deus est in intimo eius centro, ubi maximas ei gratias infundit, nec aliud, quam consensum ab ea petit ».

1159. — **Effectus verae orationis quietis,** ita describit idem Ant. a Sp. Sancto, ibidem: « Effectus verae orationis quietis sunt: pax interna, remanens etiam transacta illa quiete; profunda humilitas et

dispositio ad exercitia spiritualia; lux coelestis in intellectu, et in voluntate firmitas ad bonum et omnes virtutes, quas Dominus ipse multo excellentiores concedit, quam propria possent industria acquiri; desiderium proficiendi in oratione, nec ipsius exercitium dimittendi, licet in eo continuando plurimum foret laborandum; quaedam certitudo moralis propriae salutis, sed humilitati coniuncta, quae servilem excludens damnationis timorem includit filialem amorem Dei absque propriae utilitatis aut mercedis intuitu; desiderium solitudinis, ut ibi abundantius tanto bono frui possit, quaedam moralis certitudo, quod huiusmodi quieta communicatio sit Dei secum familiariter agentis gustus et mira suavitas, quam Deus ponit in anima, quae est multo maior illa, quae habetur meditationibus et virtutibus nostro labore acquisitis. Nam gustus nostro labore acquisitus non dilatat cor nostrum, licet terminetur ad Deum. Gustus tamen in oratione quietis a Deo communicatus cor mirabiliter dilatat et expellit timorem amittendi salutem in poenitentiis et exercitio virtutum; mundi gaudia despicit et tandem in omni virtute animam perfectam reddit, licet anima non omnes hos effectus in principio percipiat, sed successu temporis ex diuturna perseverantia illos consequatur ».

1160. — Unde merito addit Comp. Scaramelli: « Fructus huius quietis orationis est ante omnia, sicut omnium gratiarum supernaturalium, cognitio propriarum miseriarum et profunda humilitas... In hac quietis oratione succenditur, ut dicit S. Theresia, prima amoris puri scintilla, quae in aliis sublimioribus orationis gradibus in tam vivas charitatis flammas excrescit, ut anima tota quasi in cineres redigatur, ac sibi ipsi penitus moriatur. Quae scin-

tilla statim omnem eiicit foras timorem servilem, et introducit amorem filialem. Tunc anima non amplius timet mortem, infernum vel aeternam damnationem, sed sicut amica et filia, timet tantum Deo displicere. Magna animatur salutis suae spe et fiducia, quamquam suae infirmitatis causa semper timeat ».

1161. — **Effectus falsae vel fictae orationis quietis.** — Praenotandum cum Comp. Scaramelli: « Multae existere possunt circa hanc orationem fraudes et illusiones: scilicet ex parte daemonis, ex parte naturae, et ex parte ipsius animae. — *Daemon*, humores et vitales corporis spiritus commovens, potest in sensitivo appetitu dulcem ac suavem affectionem et sensibilem satietatem excitare, ita ut anima se totam Deo immersam credat. — *Natura* quoque, praecipue si tenera, placida et ad affectiones prona sit, potest per impertitae sibi a Deo devotionis principium in sensu interiori excitare placidum, gratum et delectabilem affectum, quo anima sese multa cum quiete Deo unitam credit ». Si director cognoscat animam industrias et media adhibuisse ad hanc quietem obtinendam, intelliget, quietem et suavitatem non esse infusam a Deo, sed artificiosam et falsam. Vera quies a Deo animae infunditur quasi ex improviso et saepissime quando minime de ea cogitat. — *Denique ex ipsius animae malitia* illusiones proficisci possunt, siquidem ad orationem quietis obtinendam quietistarum sequatur principia ».

1162. — Qui addit: « Si anima a daemone per fallaces dulcedines seducatur, praecipiat ei director, iuxta doctrinam S. Bonaventura (Stim. div. amor. p. 2, cap. 8), ut fide pura mentem in Deum erigat et, quantum potest, fixa in eo haereat; per voluntatem eliciat actus quos fides suggerit, nulla prorsus

habita ratione dulcedinum, quae in parte inferiori persentiuntur. Sic dulcedines quae sunt a daemone minuuntur, quae autem sunt a Deo augentur. Si vero deceptio ab ipsa natura gustuum avida nascatur, director poenitenti iniungat, ut sensibilia solatia in oratione nunquam sectetur; sed de divinis mysteriis meditetur, quin ullam habeat rationem actuum sensibilium ».

1163. — Concordat Ant. a Sp. Sancto, ibibem, dicens: « *Effectus, qui sequuntur ad falsam vel fictam quietem* ab imaginatione vel a daemone causatam sunt: quod quies a nobis ipsis procurata, quae nullum causat effectum in intellectu nec aliquem affectum in voluntate, et statim deest, et relinquit quamdam ariditatem, ut ait N. M. S. Theresia (in vita sua, cap. 15), ut supra diximus. Effectus vero quietis causatae a daemone sunt perturbatio, defectus humilitatis, inhabilitas ad exercitia spiritualia, defectus lucis in intellectu et firmitatis in voluntate. Sed anima in his experta facile causam horum effectuum dignoscet, et quamvis ex illis inferat, esse daemonem, non tamen multum affligi debet. Si namque gustum et suavitatem in quiete perceptum ad Deum dirigat et in ipso sua desideria collocet ac simpliciter et cum recta procedat intentione, parum vel nihil damni daemon ei poterit affere ».

1164. — **Monita**. — Cautissime agendum cum personis languidae valetudinis, ne in eis naturalia et ex infirmitate provenientia, supernaturalia iudicentur. « Director, ait Comp. Scaramelli, valde attendat ad personas languidae valetudinis, sive a natura sic sint constitutae, sive orationibus, ieiuniis, mortificationibus et poenitentiae operibus suas exhauserint vires. Si tales personae a Deo in quamdam quietis orationem eleventur, contingit, ut in omnibus exte-

rioribus sensibus certum defectum ac speciem quamdam deliquii experiantur cum magna interna suavitate, quod extasim aut raptum esse facillime putant... Status enim ille nequaquam est raptus aut extasis, sed naturalis effectus et orationis quietis et infirmitatis corporis ».

1165. — Unde merito monet Ant. a Sp. Sancto, ibidem: « Qui sunt in hoc gradu orationis, *considerent propriam complexionem*, et iuxta dictum prudentis directoris favoribus communicatis utantur. Potest enim accidere, ut qui sunt debilioris complexionis, viribus corporis exhaustis, paulatim consummantur et capite laeso desipiant, si plus nimio internae quietis gustibus adhaereant. Et tunc raptus hanc orationem quietis consequentes potius sunt animae deliquia mere naturalia vel orta ex humore melancholico, quam veri raptus, cuius signum erit, si anima in tali raptu nihil videt, advertit vel audit. Nam in supernaturali raptu haec omnia habet anima, ut advertunt communiter Doctores mystici. Quod magis periculosum erit, si huiusmodi favores desiderent. Desiderium namque imaginationem ad eos fingendos excitabit. Quodsi superbia moventur, possent alios fictis imaginationibus decipere. Unde qui sic male sunt affecti, non debent ultra vires internis occupari orationis huius exercitiis ».

1166. — Philippus a SS. Trinitate cum S. Theresia, advertit: « quod licet ordinarie gradus hic orationis non communicetur nisi his qui mentalis orationis exercitium diu tenuerunt, aliquando tamen statim a principio conceditur; Dominus enim sua concedit dona cui vult, quando vult, quomodo vult. Ad hunc quietis internae statum multae pertingunt animae, praesertim religiosae; sed paucae sunt quae

superius ascendant » (Theol. myst. p. 3, tr. 1, d. 3, a. 2, t. 3).

1167. — Et Ant. a Sp. Sancto ait, ibidem: « Haec autem quies ordinarie oritur ex interiori recollectione. Unde ordinarie non communicatur nisi his, qui mentalis orationis exercitium diu tenuerunt; quamvis etiam aliquando a principio concedatur. Nam Dominus sua dona concedit quando, cui et quomodo vult. Est autem iste gradus orationis effectus doni sapientiae. Non est tamen commune omnibus habentibus gratiam gratum facientem, sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus tribuit, prout vult ».

1168. — Et addit: « Dum anima in hoc gradu orationis constituta quiete fruitur interna pace, si discurrentem hinc inde et distractum advertat intellectum aut imaginationem, *non multum in eis coercendis laboret*, quia vix poterit tunc illas potentias continere, et se ipsam videndo labore perperam assumpto perturbans internae suae quieti nocebit. Et sic nihil proficeret et multum perderet. Sciat, quod absque intellectus diligentia, sed suavi communicatione divina talibus deliciis fruitur. Unde tunc anima fruatur pace illi communicata, et parum curet de inordinatis intellectus et imaginationis discursibus. Contingit hic aliquando, quod anima simul cum voluntate manens pacifica permittat alias potentias vacare his, quae sunt divini obsequii et utilitatis proximi. Et sic anima simul Mariam in vita contemplativa et Martham in activa repraesentat ».

1169. — Et in hoc sensu intelligenda sunt haec verba Comp. Scaramelli: « Intellectus, phantasia et memoria neque Deo uniuntur, neque suspenduntur, sed operandi servant libertatem... Quod si e contra anima istas potentias cum sollicitudine colligere vellet, inu-

tiliter laboraret, et orationis quietem perderet. Operatio enim Dei tam pacifica est, ut etiam modicissima anxietate turbetur. Valde mirandum est, ut notat S. Theresia, quod, voluntate dies quandoque integros hac quiete et Dei praesentia fruente, intellectus et phantasia cum aliis potentiis in exterioribus servitii et gloriae divinae operibus possint occupari, quin turbetur anima vel a quiete ac interiori ad Deum attentione abstrahatur ».

1170. — **Numerus animarum orationi quietis donatarum.** — Comp. Scaramelli affirmat: « Multae ad hunc gradum perveniunt, sed paucae ultra progrediuntur, quia paucae omnem quem possunt fructum ex hac oratione hauriunt ». Cui concordat Ant. a Sp. Sancto dicens, ibidem: « *Ad hunc quietis statum multae pertingunt animae, praesertim religiosae.* Unde necesse est, quod anima in hoc statu cognoscat dignitatem suam et cum reverentia gratiam sibi concessam aestimet. Sic evitabit pericula, illam amittendi. Et credat, quod Deus eam ad magnum aliquid patrandum elegit. Non debet tunc, qui est in hoc statu, procurare sua industria gustus et suavitates internas sibi communicatas conservare, sed debet illis frui cum resignatione, si Deus aliter non disposuerit. Non debet tamen sua incuria tales communicationes amittere, sed se Dei dispositioni totaliter committere, quae tunc ipsum in omnibus diriget, sive in recipiendo, sive in sperando ».

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Ipsa enim, teste S. Antonino, est: Inventrix gratiae specialis et generalis; Arca in qua thesaurus est misericordiae, virginitatis et sapientiae.

MARIAM INVOCA. — O Maria Immaculata, quae a B. de Busto merito dicta es: Magnitudo incomprehensibilis omnium virtutum, donorum et gratiarum; ora pro me, et fac me virtutibus opulentem.

MARIAM LAETIFICA. — Quotidiana assiduaque cultura alicuius virtutis speciatim. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. V. — DE QUARTO GRADU CONTEMPLATIONIS SEU DE EBRIETATE AMORIS.

1171. — **Definitio.** — **Ebrietas amoris** est: Praeclarum spirituale poculum inebrians quosdam devotos; seu singularis devotio amoris et gaudii, ex qua anima, quasi ex vini ardore et suavitate capta, fervore Spiritus Sancti excitata, ita exultat et hilarescit, ut quasi ebria intra se non amplius continere possit. — Vocatur etiam *crapula spiritualis ebrietatis.*

1172. — *Existentiam ebrietatis amoris seu spiritualis ebrietatis agnoscunt Patres et Doctores.* Ex quibus S. Ambrosius ait: « Ebrietatis itaque species gemina est: una quae titubationem corpori afferat, atque eius supplantet vestigia sensumque perturbet; altera quae mentem virtutis vaporet gratia et omnem infirmitatem videatur avertere... Est enim praeclarum poculum inebrians iustos » (De Noe et arca, c. 29).

1173. — Et Richardus a S. Victore scribit: « Attende nunc animum aliquem nimium amantem et nimio amore ferventem. Attende quid sentiat, quid secum loquatur de eo quem multum amat, quem valde miratur. Quid ergo dicit? quid secum tacitus loquitur? O, inquit, quam bonus, quam benignus, o quam suavis, quam dulcis, o quam amandus, quantum amplectendus, quam totus admirabilis, quam totus desiderabilis! O beatum quem amat! O felicem quem suo amore dignum iudicat! Me felicem si eo frui liceat; me beatum, si eum possidere contingat! Haec, nisi fallor, est illa vox exsultationis et confessionis quae semper ex ore Iudae resonat in

auribus divinae pietatis » (Rich. a S. Vict. Beniam. minor, c. 12).

1174. — **Divisio.** — Duplex est: *imperfecta,* vel *perfecta.* **Ebrietas amoris imperfecta** est illa quae quieta quidem est in mente, sed cum quadam iubilatoria inquietudine corporali, seu cum sensibili manifestatione gaudii in motibus corporis. — **Ebrietas amoris perfecta** est illa quae fit cum quiete mentis et corporis.

1175. — De qua re scribit Lopez Ezquerra, Lucerna mystica, tr. 5, cap. 23 : « Duplex est spiritualis ebrietas; una quae absque turbatione mentis corporaliter tantum est inquieta, quae iubilatione, exultatione corporis, vocibus, motibus et gestibus insolitis demonstratur, et regulariter contingit incipientibus, vel proficientibus: Alia est quae quiete gaudet mentis, et corporis, quae propria est perfectorum ».

1176. — **Ebrietas amoris falsa** saepe existit, praesertim in mulieribus. Unde merito scribit idem auctor, ibidem : « Potest contingere quod aliquos huius divini amoris ebrios videat Magister, quos bene examinare debet, et considerare praecipue foeminas; quae prae earum facili, atque affectuosa natura, plusquam viri amore sensibili inardescunt; nam sicut non est odium super odium mulieris, ita non est amor super amorem ipsius, utpote quia difficile consistere sciunt in medio, sed assidue extremum amplectuntur ».

1177. — Et addit: « Propterea si foeminae sint, in quibus haec ebrietas divini amoris ceciderit, cautissime procedat, atque externarum actionum causas diligenter observet, et per rigidam mortificationem et conversationem multum probet; quia hae actiones praecipites possunt interdum procedere, vel a spiritu

lunatico, vel ab indole, et genio facili, et hilari, vel a nimia fatuitate, vel denique (et hoc frequentius) ex hypocrisi, et simulatione, quae aliquae falsae Beatae suae virtutis quaestum portare volentes, dum superbia et avaritia tument, credi appetunt divini amoris incendio crepare ».

1178. — Et concludit: « Ingenue fatemur, quod omnes insolitas, et exteriores gesticulationes, motus, iaculatorias, suspiria, et his similia, quibus aliqui in conspectu hominum utuntur: praeter modestiam hilarem, circumspectam gravitatem et inaffectatam devotionem, immortali odio prosequimur ».

1179. — **Monita.** — Idem Lopez Ezquerra, ibidem, sequentia monita habet confessariis et magistris vitae spiritualis utilissima: « Primo considerare debet magister subiecti naturam, an scilicet aliquando laboraverit spiritu lunatico, vel si habeat fatuitatem, aut mentis hebetudinem, vel genium hilarem, arrogantem, dissolutum, et ad motum cuiuslibet passionis facilem; quia in his ebrietas divini amoris est valde suspecta, vel potius amentia, dissolutio, facilitas, vel arrogantia: si vero habeant naturam modestam, humilem, gravem, et quietam; in his praedictae actiones poterunt provenire ex vera crapula divini amoris.

1180. — « Secundo, debet ponderare statum animae ebriae, an scilicet in exercitio virtutum fervide incedat, et proficiat, atque frequenter amoris impulsibus tangatur, ita ut interdum in impetus ex abundantia divini amoris prorumpat; ex huiusmodi enim frequenti affluentia haec spiritualis ebrietas generatur: unde erit valde suspecta, quae licet aliquando impetus patiatur, non tamen continue, et ex statu, et multo magis in his animabus, quae adhuc divini amoris impetus ignorant.

1181. — « Tertio, exteriores motus diligenter observet, quia regulariter bonus spiritus fugit publicitatem, infundit modestiam, infert sobrietatem, et decentiam status conservat, maxime in foeminis quae sui debilis sexus causa, maioribus periculis sunt obnoxiae : et licet divinus amor exuberante spiritu insolitos motus causare possit, regulariter tamen est in abscondito, et non in publico ; quod si interdum palam fiat, motus illius, et actiones, erunt modestae, decentes, et potius ad devotionem, quam ad risum provocantes.

1182. — « Denique, licet per omnia requisita fiat securus de bono spiritu, et de legitima ebrietate, curet semper (quamvis extraordinariis utatur remediis) quod huiusmodi, crapulosi exteriora hominum consortia vitent, et praecipites illas actiones in quantum eis libuerit, reprimant. Quodsi eis impossibile sit, in secreto cubiculo respirent ».

1183. — Compend. Scaramelli similia monet, et ait : « Si magnae perfectionis animae Deus impertitur ebrietatem perfectam amoris, directori non multum agendum incumbit. Ex una parte, oratio huius gradus valde est secura ; quia nec daemon nec natura tantam dulcedinem et tantum gaudium producere valet ; ex altera parte, non sunt timendi excessus vituperatione digni ; quia spiritus divinus cum prudentia et moderatione operatur. Si ergo director securus sit animam perfecta frui ebrietate, nihil timeat, et non impediat quin anima tota communicationibus divinis se committat, inter Dei brachia se coniiciat. Si eam velit in coelum elevare, vadat ; si in infernum deducere, non affligatur, dummodo Deo summo bono suo inhaereat ».

1184. — Denique Vallgornera, Myst. Th. D. Th. q. 4, disp. 2, a. 16, n. 10, animadvertit : « Qui sunt

in hoc gradu contemplationis, propriam corporis complexionem considerent, et iuxta ductum prudentis sui directoris, favoribus sibi communicatis utantur, vel abundantius vel sobrie. Posset enim fieri quod qui sunt debilioris complexionis, viribus corporis exhaustis, paulatim consumantur, et capite laeso desipiant, si plus nimio internae quietis gustibus adhaereant: imo tunc raptus supernaturales hanc orationem quietis aliquando consequentes credentur, quae sunt deliquia mere naturalia. Sed experti et prudentes directores facile discernent, quia in deliquiis naturalibus sic anima cum potentiis deficit, ut nihil tunc agat nec advertat, sed in raptibus semper anima videt, advertit, vel audit aliquid. Similiter si sint humoris nimium melancholici, facile sibi communicationes internas fingent, praedominante in eis imaginatione; unde fictos non veros favores, puta visiones et locutiones desiderent, desiderium namque imaginationem ad eos fingendos excitabit; quod si interna superbia moventur, periculosissimum erit, ex professo quippe possent alios fictis imaginationibus decipere. Unde qui sic male naturaliter sunt affecti, non debent ultra vires internis occupari orationis huius exercitiis ».

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Ipsa merito dicta est a S. Andrea Cretensi: Margarita qua Ecclesia more sponsarum ornatur; et a S. Methodio: Margarita pretiosissima regni coelestis.

MARIAM INVOCA. — O Maria Immaculata, quae, teste S. Germano, es: Arca votis annuens, preces nostras nullius licet pretii et valoris admittens; ora pro me et miserere mei, ut

margarita coronae misericordiae tuae efficiar, et misericordias tuas in aeternum decantem.

MARIAM LAETIFICA. — Terrestrium deliciarum et mundanae vanitatis contemptu. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. VI. — DE QUINTO GRADU CONTEMPLATIONIS SEU DE SOMNO SPIRITUALI.

1185. — **Definitio. — Somnus spiritualis seu mysticus** est oratio ferventissimi amoris, in qua anima perfecte spiritualiterque ebria, absorptas habet in divino amore internas potentias, et amoris sopore premitur. Somnus iste invadit animam in oratione constitutam, et non alio tempore.

1186. — De qua re scribit Richardus a S. Victore: « Cogita quid faciat somnus exterior circa hominem exteriorem; hoc facit somnus huiusmodi circa hominem interiorem. Somnus corporeus exsuperat sensum corporeum; aufert enim officium oculorum officium aurium, ceterorumque sensuum atque membrorum. Sicut autem per somnum exteriorem sopiuntur omnes sensus corporis, sic per hunc de quo loquimur interioris hominis somnum, exsuperantur omnes sensus mentis. Simul enim absorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, ut constat quod Apostolus scribit, quia exsuperat omnem sensum. Huiusmodi somnum anima, inter veri sponsi amplexus, capit, cum in eius sinu requiescit » (Annot. in Ps. 4).

1187. — **Modus huius somni.** — Habet diversos gradus: in primo gradu, anima incipit dormire; in secundo, sensus suspensos habet, ut in somno naturali, sed haud difficulter a somno revocatur; in tertio, fit quasi insensibilis et quasi exanimis, ut in extasi. « Anima enim contemplatrix (ait Alvarez de Paz, de primo gradu), prae admiratione et suspensione intuitionis, solet aliquando sensus externos,

licet non plene, relinquere et, ad modum eorum qui dormire incipiunt, circa sensibilia se habere (1). Et in genere addit: « Hic somnus sicut corporalis, ex ebrietate provenit, non quidem ex ebrietate corporis, sed ex ebrietate mentis » (Lib. 5, p. 3, c. 7).

1188. — Et ibidem notionem somni mystici explanat, dicens: « Quod externum est, soporatur, et omnis attentio ad inquirendum et cognoscendum abiicitur, et soli amori et amplexibus castissimis inhaeretur. In hoc gradu, Dominus ipse, qui vinum ad ebrietatem praebet, somnum ad quietem et exultationem immittit. Inebriat animam amoris vino, charitatis potu et inde facit ut omnium obliviscatur, et dormiat, et in sinu sponsi requiescat ».

1189. — Iuxta eumdem Alvarez de Paz, ibidem, et alios, somnus iste vocatur etiam **mors mystica**: « Post haec sequitur dormitio aut somnus quem tractamus. Et cum somnus sit quaedam imago mortis, in eo homo perfectius quam antea mundo moritur, et omnium visibilium obliviscitur ».

1190. — De qua **morte mystica** scribit Lopez Ezquerra, Luc. Myst. tr. 5, cap. 22: « Resurgit ad meliorem vitam, utpote quia de terrena fit coelestis,

(1) Rem illustrat Seraphicus dicens: « Est enim talis iste somnus sicut illorum qui incipiunt dormitare, etc..... Amor enim Dei cum pura intelligentia conditus inebriat mentem et ab exterioribus abstractam sua virtute Deo conglutinat et coniungit; et quanto amor vehementior et intelligentior et lucidior, tanto validius mentem in se rapit, quousque tandem, omnium quae sub Deo sunt plene oblita, in solo divinae contemplationis radio libere figatur, licet breviter, velut in quodam corusco luminis coelitus emicantis » (De prof. relig. l. 2, c. 63).

et tantum per effectus beata morte in Domino, mortuam esse cognoscit ».

1191. — **Differentia inter somnum mysticum et extasim.** — Somnus iste non est somnium, sed sopor; non cognoscit aliquid distinctum, sed omni locutione caret; nullamque visionem importat. Unde merito ait idem auctor, ibidem: « Si aliquid distinctum in somno cognoscat, non somnum passa est, sed extasim; in utroque enim sensus alienantur, sed non patiuntur; in utroque ex intima animae occupatione consopiuntur. Differentia vero in utroque consistit, quod in extasi manifestatur animae altissima eius occupatio; in somno autem nihil expresse cognoscit, nec illius quod in somno egit, recordatur ».

1192. — « Somnus iste reiicit omne distinctum; non enim dicitur somnus a somniando, sed a soporando; unde melius dicitur sopor divinus, vel mystica dormitio, vel mors..... Igitur somnus iste qui vere mors mystica est; omni reflexione, visione, et locutione carere debet; quamobrem melius mors dici debet, quam somnus: Et vere haec est mors mystica, circa quam valde diverse loquuntur Auctores ».

1193. — **Somnus propheticus.** — Et addit: « Si in somno, sive materiali, sive infuso, aliquam visionem, locutionem, vel alia huiusmodi perceperit anima, non hoc somno consopitur, sed **somno prophetico**, in quo tantum eiusmodi visiones, et locutiones fiunt... In nostro autem somno his omnibus absolvitur animus, sed tantum in illa divinae scientiae abysso, suavi effectu absque ulla reflexione soporatur; quamobrem ab illo excitata somno crederet nihil egisse, si per mirabiles eius effectus multum operasse non cognosceret ».

1194. — Similia habet Comp. Scaramelli, qui ait: « Si anima in materiali corporis aut in infuso

spiritus somno visiones videat, et locutiones audiat, iam non est somnus spiritualis sed propheticus ».

1195. — **Somnus mysticus non est infructuosus,** ut patet ex dictis. Et merito affirmat idem Lopez Ezquerra, ibidem: « Fructus igitur communicationis non solum per somnum non amittit, sed etiam uberius colligit ab impedimento sensuum penitus absoluta; quare Bernardus: = Dicamus (inquit serm. 52 in Cant.) si possumus, quisnam ille sit somnus, quo dilectam suam Sponsus dormire velit, nec patiatur omnino nisi ad ipsius arbitrium excitari. Non est autem is Sponsae somnus dormitio corporis, vel placida quae sensus carnis spiritualiter sopit ad tempus; magis autem eiusmodi vitalis, vigilisque sopor sensum interiorem illuminat; revera enim dormitio est, quae tantum sensum non sopiat, sed abducat. Est et mors (quod non dubium dixerim) quoniam Apostolus quosdam in carne adhuc viventes commendando, sic loquitur: Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Proinde ego non absurde Sponsae somnum vocaverim mortem, quae tamen non vita, sed vitae eripiat laqueis. Moriatur anima mea morte iustorum, et nulla illam illaque et fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors quae vitam non aufert, sed transit in melius. = Haec Bernardus, qui somni fructus novae resurrectioni animae comparat ».

1196. — Et Comp. Scaramelli, l. 2, p. 1, cap. 5, addit: « Aufertur intellectui certa attentio et reflexio circa suas cognitiones, quae ipsae absorptae quum sint, adeo sunt simplices et delicatae, ut ipsa anima a qua producuntur, eas non advertat. — Anima dulci hoc somno oppressa dicere potest: Ego dormio, et cor meum vigilat (Cant. V, 2). Dormio, quia mentis meae oculus ad intelligendum videtur clausus, tamen sentio cor meum inter dilecti mei brachia in amore

vigilare. — Effectus huius gloriosi somni in quem anima a Deo inducitur, iidem sunt ac perfectae amoris ebrietatis..... Sicut somnus naturalis magis magisque refocillat spiritus, restaurat vires, et corpus ad labores aptius reddit: sic ille animae ad agendum et patiendum pro Deo robur et vigorem magis peculiarem suppeditat ».

1197. — Et supra dixerat Lopez Ezquerra, ibidem: « Spiritualis magister nequit somnum hunc in sua causa cognoscere; in effectibus tamen facile ei manifestus efficitur, quandoquidem anima adeo divitiarum spiritualium locuples excitatur a somno, quod ei ad novam vitam surrexisse videatur ».

1198. — Et Gilbertus (serm. 42 in Cant.) dixit: « Licet intellectus et voluntas quoad reflexionem consopiantur, intellectus tunc magis videt et invigilat, et amor spiritualis cum consopitur, penitus omnis passio et affectus animalis amittitur. Unde subiungit Sponsus: *Ego dormio, et cor meum vigilat* ».

1199. — **Duratio somni mystici.** — Idem Lopez Ezquerra, ibidem, ait: « Hanc mysticam soporationem plures solent ita frequenter pati, quod per aliquod temporis spatium dum in recollectione consistunt, illico a Divino Spiritu soporantur, et quasi ex statu hoc mystico somno assuescunt obdormire; qui cum nec procurari possit, nec impediri, nihil in eo reiiciendum est, neque agendum, si cognoscatur verum fuisse somnum; sed animae iniungere, quod non impediat somnum evenire suis discursibus et meditationibus; sed dum moveri se sentiat, et ab Sponso ad lectulum eius vocari, eum obsequatur, seseque sibi consopiri relinquat ».

1200. — **Alius somnus mysticus, seu de somno extatico.** — Iuxta Seraphicum, Richardum, Harpium, Th. a Iesu, existit alius somnus, seu intima recol-

lectio supernaturalis et extatica, « quae, ait Lopez Ezquerra, ibidem, animam sopit, atque in divinitatis abysso intime immergit, in qua spiritus mira suavitate, et dulcedine amati praesentia perfruitur, et in eius divinis ulnis amore languens reclinatur; a quibus anima licet sit absorpta et immersa, post impulsum divini luminis infusi, potest se per discursus vel alias cogitationes avertere et a somno illo excitare; quia nimirum non ita consopitur, quod occupationem suam non advertat, aut libertatem se ab huiusmodi somno excitandi amittat. Has quidem cogitationes et phantasmata, quae vel ab anima adducta, vel naturali discursu oblata, vel diabolico opere immissa possunt interdum dormitionem animae interrumpere, adiurabat Sponsus sub nomine filiarum Hierusalem, cum sua dilecta Sponsa huiusmodi somno conquiescebat, dicens: Adiuro vos filiae Hierusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit (Cant. 2, 7). Ex quibus verbis constat animam posse a somno cum voluerit excitari: quod quidem agere non valet in nostro somno, sive mystica morte; quamobrem iste somnus sponsae non mors mystica, sed extaticus somnus dicendus est ».

1201. — Dicendum ergo cum Alvarez de Paz: « O igitur somnum vere beatum in quo anima vires ad laborandum recuperat, quemque Dominus ipse in ea diligenter observat. Dicit enim adolescentulis, id est, animabus illis imperfectioribus quae necdum hunc somnum per esperientiam noverunt: Adiuro vos, etc. » (L. 5, p. 3, c. 7).

1202. — Rem illustrat Comp. Scaramelli, l. 2, p. 1, cap. 5, dicens: « Alius somnus spiritualis, qui non sicut ille de quo hucusque locuti sumus, ex perfecta amoris ebrietate provenit, consistit in qua-

dam rerum omnium oblivione, proveniente a simplicissima, ac vel maxime spirituali luce, quae totam animam magna vi penetrans, et sublimiter in Deo occupatam tenens, omni advertentia ac reflexione ad quamcumque operationem expoliat. Anima huic somno immersa plures subindę horas orationi insistit in plena omnium oblivione, et quin, quid agat, ullatenus advertat ».

1203. — Et addit: « Secunda haec oratio, ut liquet, magis adhuc somnus appellari meretur quam prima... Sicut dormiens omni sensuum externorum usu est destitutus, sic et anima in hac oratione, aeque ac in extasi, omnem sensuum usum perdit, quandoque etiam in eodem situ manet immobilis, et quandoque cadit in terram, ibique toto orationis tempore manet sensibus destituta ».

1204. — **Oblivio seu recollectio distinguenda est a somno mystico seu morte mystica.** — De qua re scribit Lopez Ezquerra, ibidem: « Ab hac mystica morte, vel somno est valde diversa oblivio [seu recollectio], utpote a causa naturali regulariter procedens, quae saepe contingit orantibus, quia ex nimia attentione in obiectum orationis, nulla suppetit animae pro reflexione vis, aut attentio; ex qua reflexionis carentia necessario sequitur oblivio, et interdum procedit a supernaturali causa et infusione divina, qua Deus tam incipientibus, quam proficientibus solet aliquas infusas recollectiones concedere; quibus anima in sui fundo recollecta, totaque funditus absorpta, omnium aliorum obliviscitur; quae post aliquod tempus in se ipsam reversa, quasi a somno videtur excitari ».

1205. — **Monita.** — « Plerumque, ait ipse Lopez Ezquerra, ibidem, inveniet magister animas affirmantes, quod statim, ac in oratione recolliguntur,

sentiunt suas potentias interiores sensim sopire, et interdum adeo graviter, quod post orationem se humi iacentes inveniant; in quibus necessarium est attendere, an opprimantur naturali, vel mystico somno. Ad cuius discretionem primo attendat ad earum statum; nam si sint incipientes, neque adhuc in oratione supernaturali constitutae, ille frequens somnus verus non erit; est enim communicatio perfectorum, et eorum qui per viam passivam incedunt; deinde attendat ad effectus, quia in mystico somno licet anima nihil egisse praesumat, tamen eo praetermisso remanet fervida, devota, ad virtutem proclivis et prompta; ad Deum adeo intime conversa, quod spiritus medullitus recollectus, cum ad exteriora redire opus est, statim ad sui fundum revertere nititur, et passim ei contingunt intimae obliviones et absorbitiones, a quibus difficile potest se ad externas occupationes revocare ».

1206. — Et addit: « Si autem somnus sit naturalis, dum ab eo excitatur, remanet anima tepida, gravis, ad nihil virtutis et operationis proclivis, et mens manet obscura et ad ulterius discurrendum tarda; ut contingit cum homo expergiscitur, qui vix potest a se somnum excutere ».

1207. — Comp. Scaramelli, l. 2, p. 1, cap. 5, ait: « Hunc somnum esse moderandum, quum valetudini sit nocivus. Saepissime enim, ut S. Theresia multis in locis dicit, anima huic somno non sine temporis iactura et gravi valetudinis periculo nimium cedit ».

1208. — Et addit: « Maior est difficultas si agatur de somno spirituali secundi generis: siquidem personae in hac oratione constitutae eius rationem reddere non possunt, sed se nihil facere credunt. Ex effectibus ergo iudicare debet director. Si effectus

somni corporei, animam tepidam scilicet, spiritum gravem et mentem obscuram et tardam in poenitenti inveniat, iudicabit somnum esse aut naturalem, aut a daemone ad turbanda pietatis exercitia, excitatur ».

1209. — Item: « Si director non inveniat indicia et effectus somni naturalis, vîdeat, inveniatne fructus somni spiritualis; elevationem scilicet mentis in Deum, recollectionem, pacem, quietem et ad virtutes inclinationem; discutiat etiam, num poenitens per omnes, aut saltem aliquos, supra expositos gradus contemplationis ascenderit. His omnibus repertis, securus sit ».

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Teste S. Damasceno, Ipsa est: Refugium fortissimum ab omni invasione universorum hostium visibilium et invisibilium liberans.

Mariam invoca. — O Maria Immaculata, quae a B. Alberto Magno merito dicta es: Ostium coeli, per quod si quis introierit, salvabitur; ora pro me, custodi me, et fidelem famulum et filium tuum effice me, et in aeternum tecum beatum.

Mariam laetifica. — Fideli observantia mandatorum et consiliorum Filii sui D. N. I. C. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. VII. — DE SEXTO CONTEMPL. GRADU SEU DE ANGORIBUS ET SITI AMORIS ET DE AEGRITUDINE DIVINI AMORIS.

1210. — **Praenotandum.** — Tot tantique favores animam contemplativam mirifice praeparant ad fruitivam amoris unionem, sed quasi remote tantum; proxime autem praecedere solent incendia divinae charitatis cum angoribus et siti amoris ardentissima. De qua re scribit Comp. Scaramelli, l. 2, p. 1, cap. 6: « Postquam Deus dilectam sibi animam iam declaratis infusae orationis, recollectionis scilicet, silentii et quietis donis cumulavit; postquam illam saepius sancto suo amore inebriavit et forte etiam inter brachia sua dulcissimo somno amoris sopivit: ordinarie eam non statim fruitiva amoris unione sibi copulat; sed ardenter prius ab ea desiderari cupiens, certos angores et quamdam impatientis amoris sitim in ea succendit, qua eam amore quasi consumptam post se trahit ».

Angores et sitis amoris.

1211. — **Definitio.** — Lopez Ezquerra tr. 5, c. 24, difficilem hanc quaestionem singulari claritate explanat, et ait: « Sitis Dei insatiabilis, quae cum impetu spiritus complicatur, cum revera diversa sit, et passim in multis animabus divino amore vulneratis reperiatur, est: *Quidam animae affectus atque intimum Dei desiderium, quod medullas spiritus arescit; et tanto avidius excitatur quanto divini amoris torrente inundatur.* Haec sitis licet interdum comites habeat im-

petus et impulsus, et anima quae impetus patitur sitibunda sit; saepius tamen haec sitis, de qua loquimur, non in exteriores impetus, sed in interiorem ardorem, atque hydropisim convertitur, et est specialis gradus orationis ». — *Sitis amoris seu desiderium Dei in statu permanenti,* vocatur absolute **Sitis amoris**; in statu transeunti, vocatur **Angor.** Importat seu requirit animam iam aliquo saltem modo purgatam.

1212. — *Sitis amoris vocata etiam fuit* **hydropisis divina**, ut notat idem auctor, qui ait: « Haec sitis vel hydropisis divina (ut docent Nyssenus, Chrysostomus... Augustinus... et Gregorius) ad modum naturalis evenire solet, nam sicut illa a nimio potu, una cum ingenti viscerum adustione gignitur; sic similiter haec provenit ex frequenti potatione illius torrentis voluptatis, qui Civitatem Dei laetificat, una cum ferventi charitatis ardore, quo anima intrinsecus uritur, et conflagratur; cuius latens in spiritu causa, solet manifeste in corpus redundare; videmus siquidem homines huiuscemodi siti affectos, corpore extenuatos, aridos, pallentes, macros, et aliquando prae nimio viscerum calore exanimationes patientes, ut depingit Dionysius Carthusianus ».

1213. — Et addit: « Omnis mora perfruendi amato, ei impatienter molesta videtur, et quanto magis in illo suavissimo divinitatis fonte bibit, tanto ardentius bibere appetit ».

1214. — S. Ioannes a Cruce, lib. 2, noct. obscur. cap. 1, ait: « Tactus amoris et divinus ignis adeo arefacit spiritum, atque desideria extinguendae sitis inflammat, quod mille modis atque mediis Deum desiderat; cumque eo magis sitim crescere conspiciat, quo pluris satiari procurat, cupit dissolvi, et in illo perenni fonte suam avidam sitim extinguere ».

Mirabilis ergo est sitis ista, seu desiderium vivax Dei gustati et amati, sed nondum possessi.

1215. — **Sitis amoris incipientium, proficientium, perfectorum.** — *Sitim hanc causat perfectus amor...* **panis est perfectorum,** ait Lopez Ezquerra, ibidem, et addit: « Sitis vero quae aliquando incipientes, vel proficientes afficit, hac nostra est valde inferior, et ad impetus reducenda est, quatenus inquieta est, et impatiens, impetuosa, et fere importabilis: Haec autem sitis de qua agimus, efficacior est, et penetrabilior altera, et tamen non in materiales impetus, sed in quieta, et hydropica desideria, quibus anima uritur, et in dulces, et suaves lacrymas, quibus incendium auget, resolvitur » (1).

(1) Similia habet Comp. Scaramelli, l. 2, p. 1, c. 6, sed cum triplici distinctione. Ait enim: « Triplicis generis sunt angores, et sitis amoris: incipientium, proficientium et perfectorum. *Angores et sitis incipientium* ordinarie accidunt postquam anima generosa mortificatione purgationem activam transiit. Quum purgatione passiva nondum sit probata angores eius valde sunt imperfecti, anxietate et sollicitudine pleni cum constrictione et angustia pectoris coniuncti.

« *In progredientibus*, purgatione passiva sensus iam purgatis animabus, angores magis sunt spirituales licet adhuc in sensus redundent; sunt puriores et vivaciores quam in incipientibus.

« Haec sitis progredientium, siti incipientium multo iam fortior, nequaquam tamen comparari potest cum *siti et angoribus perfectorum* qui, purgatione passiva tam sensus quam spiritus purgati, perfectae unioni cum Deo iam sunt vicini... Anima enim purgationibus activa et passiva purgata a peccatis, ab omnibus eorum habitibus, ab omnibus adhaesionibus et appetitionibus, imo ab ipsis imperfectis naturae inclinationibus, et propterea omnino vacua, a nemine repleri potest nisi a Deo ipso, qui est eius principium et finis ».

1216. — **Monita.** — Igitur in huiusmodi perfectis, subiungit idem auctor, « nulla sufficit ratio, nulla conformitas, ut possit penitus sitis extingui, licet fateamur, aliquantulum per conformitatem moderari maxime cum nullum aliud remedium suppetat. Si ergo ita noceat corpori, quod timeri possit magnum ei damnum obventurum, curet magister, quod anima paululum exercitia remittat; virtuosorum hominum consortia ineat... Si vero absque notabili salutis dispendio possit anima sitibundum hunc affectum tolerare, nihil horum necessarium erit, sed tantum per conformitatem, et resignationem ardentia sua desideria temperare ».

1217. — Caveant directores, ne huiusmodi sitibundi nimia habeant austeritatum desideria et praxim; scientes quod indiscretio hac in re multum nocet, et facile ineptum facit devotum ad assueta onera portanda: unde diabolus « ei augere procurat rigoris desiderium, ut, valetudine corporali omnino deperdita, nequeat anima neque poenitentiae neque orationis exercitia continuare, et cum tantum bonum ei impedire directe non valet, quia non sitim hanc immutare, nec extinguere sufficit; indirecte tamen per imprudens macerationis desiderium, non solum sitim, sed et animae perfectionem funditus evertere, et extinguere procurat ».

1218. — Et addit: « Interdum solent huiusmodi sitibundi postulare impense a Deo labores, et aerumnas, ut ardori suae sitis satisfaciant; circa quam petitionem valde differunt aliqui Directores: Quidam putant quidem perfectius esse, labores, et dolores sitire, et enixe a Deo postulare, quatenus per eos magis conformes fiunt imagini Filii Dei... Alii e converso putant longe perfectius esse postulare, quod in omnibus, et per omnia fiat voluntas Dei, et quod

ipse animam, ut melius illi visum sit, exerceat; et si flagellat, praestet tolerantiam, si per se, vel per alios cruciet, patientiam, et resignationem, atque in illo omnia quae ei placita sunt, faciat... quarum sententiarum definitionem prudentiae Directorum relinquimus, qui iuxta animae capacitatem, occasionem, et impulsum, poterit eius affectum approbare, vel reiicere ». — Haec Lopez Ezquerra.

1219. — Igitur sitibundi, qui sint *incipientes*, quietandi et placandi; *proficientes*, ad terminos moderationis reducendi, quia immoderata et sanitati nocent, et a diabolo interdum excitantur, ut devotus inhabilis fiat; *perfecti* inutiliter lenimentum quaerunt. Unde rite dicit Comp. Scaramelli: « Si denique angores sint perfectorum, frustra sic languentis animae conatur quis lenire dolorem, temperare moerorem, quum deintus curari oporteat dulce vulnus amoris (Richard. a S. Vict.). Nihil potest ergo facere director, quum Deus solus remedium possit afferre. Neutiquam de istis timeat: Deus enim, qui eos inter acerbas amoris sui angustias affligit, eos pariter sanare sciet ».

1220. — Et directorem sitibundae animae monet: « Diabolus non potest producere cruciatum suavem, tranquillum et serenum. Si insuper salutares effectus in anima inveniat, maiorem adhuc habet securitatem »; secus timeat director et provideat.

Aegritudo divini amoris.

1221. — **Aegritudo amoris seu languor divinus.** — *Supernaturales angores et sitis amoris,* de quibus hucusque, aliquoties mirabilem aegritudinem seu mysticam infirmitatem amoris producunt, sicut sitis

et angor corporalis aliquando specialem aegritudinem causant. Lopez Ezquerra, tr. 5, c. 25, dulcissimam et amarissimam infirmitatem istam alium contemplationis gradum facit, illamque sapienter describit.

1222. — Ait enim : « **Languor divinus,** qui teste Bernardo : *Ibi viget ubi viget amor*, a divino amore procedit, crescit et perficitur, quamquam anima semel hoc amore languens regulariter non possit usque ad patriam perfecte sanare... Languor igitur secundum eumdem S. Bernardum *ubi supra,* est affectio quaedam de absente dilecto amantem conficiens. Qui quidem duplex est, unus proficientium et alius perfectorum ».

1223. — Admittit deinde **duplicem languorem seu infirmitatem divini amoris,** *proficientium* scilicet et *perfectorum*, et addit : « **Primus languor,** qui proficientium est et *violentae charitatis nomine a Richardo insignitur,* in eo nimirum consistit : = Quod nihil animae satisfacere potest (verba sunt illius) praeter unum ; sicut nihil sapere potest nisi propter unum ; unum amat ; unum diligit, unum concupiscit, ad unum anhelat, in unum suspirat ; in uno inardescit ; in uno requiescit, unum solum est in quo reficitur, unum solum est in quo satiatur, nihil dulcescit, nihil sapit ; nisi hoc uno condiatur : Quidquid ultra se offerat, quidquid sponte occurrat, cito reiicitur, cito conculcatur, quod suo affectu non militat, vel eius desiderio non deserviat : Sed quis huius affectus tyrannidem digne describat : Quoniam omne desiderium expellit, omne studium excludit, omne exercitium violenter exprimit, quod sua concupiscentia non concupiscit : Quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile, imo intolerabile videtur, nisi in unum sui desiderii finem concurrat, sine illo autem horret anima, corpore deficit, corde tabescit, ac languescit, consilium non accipit sed

clamat cum sponsa : *nuntiate dilecto, quia amore langueo.* = Hactenus Richardus, de violent. charitat. p. 1 ». (Nota quod languore proveniens ex perfecto amore, quoad substantiam est amor perfectus, quoad modum adhuc non omnino perfectus. Exinde ordinario materiales impetus et deliquia).

1224. — Et addit: « **Alter languor** divinus, qui perfectorum et unitorum est, nihil differt in causa ab antecedenti, in perfectione tamen, et in effectibus valde diversus est, quia dum in subiecto perficitur charitas; ex qua languor procedit, quanto ea magis crescit, tanto languor augetur; et eo delicatiores, penetrabilioresque parit effectus, quo languens de-

(1) Ad rem faciunt haec quae habet Comp. Scaramelli, qui quasi ad eumdem gradum reducit infirmitatem divini amoris, et sitim atque angores divinae charitatis : « Sitis ista et ardor quandoque in animae intimis recluditur, et ibi infirmitatem amoris producit, eodem modo ac sitis et fames corporea progenerat corporis aegritudinem, quae *Bolismus* dicitur ». (Aliquando etiam corpus infirmum facit). « Semper autem sitis ista, sive in anima lateat, sive in corpore redundet, ingenti coniungitur cruciatu qui tamen, quod valde mirandum est, ita simul est dulcis, ut anima nullo unquam tempore illo privari vellet ». *Finis istius languoris* est : 1° Maior purgatio animae; 2° Praeparatio animae ad divinam unionem ».

Et addit : « Anima usque dum ad perfectam et stabilem cum Deo unionem, quae matrimonium spirituale appellatur, pervenerit, semper inter hos amoris cruciatus versatur : siquidem usque dum ad talem statum elevetur magis ac magis purgari et praeparari indiget.

« Intelliges tamen angores tantum perfectorum, non autem incipientium et progredientium, proxime disponere animam ad unionem. Angores et sitis incipientium et progredientium disponunt animam ad quosdam favores peculiares, nondum autem ad unionem cum Deo ».

licatius, et perfectius ad charitatis languorem disponitur. Audiamus eumdem Richardum ubi supra: = Hic amoris gradus est, quando mens rapitur in Deum luminis abyssum, ita ut humanus animus in hoc statu omnium exteriorum oblitus, penitus nesciat se ipsum, totusque transeat in Deum suum. In hoc itaque gradu compescitur plane desideriorum carnalium turba, et fit in coelo silentium quasi dimidia hora: In hoc namque gradu dum mens a seipsa alienatur, dum in illud divinum secretum rapitur; dum ab illo divini amoris incendio circumdatur, intime penetratur et inflammatur; se ipsum penitus exurit, et divinum quemdam affectum indicit; et inspectae pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam transit. In hoc statu anima in illum, quem diligit, liquescit, et in se ipsa tota languescit, ut dicat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* =. Haec Richardus...

1225. — « Hic languor, qui potest dici altissimus Mysticae Theologiae gradus, ubi amor quasi validus ignis in fornace humani cordis flammescit, ac totas animae vires sibi absumit, extraneum et valde delicatum generat languorem, qui licet spirituales impetus, et sitim vivacissimam producat, tamen neque in impulsibus, neque in siti consistit; quamobrem merito ab illis segregamus, eique hunc specialem locum praebemus.

1226. — « Consistit igitur hic languor in quodam suspendio, atque poenosissima abstractione, et insoliditate, qua anima inter terram, et coelum suspensa, et divino amore contacta, nec terrena, quae fastidit, sequi vult, nec coelestia, quae ardenter appetit, ad votum suum consequi potest ».

1227. — Anima mirabili hoc languore infirma, iuxta eumdem Lopez Ezquerra, ibidem, « ex tribus

complicatis humoribus aegrotat, et languescit, nempe ex taedio, desiderio et spe: Taedio scilicet omnium, quae perfectae dilecti fruitioni adversantur: Desiderio intuendi gloriosam et nudam faciem dilecti in plenitudine dilectionis: Spe firma perfruendi amato, quae tanto saevior est, ac crudelior, quanto certior, et protractior.

1228. — « Hi tres humores, quibus huiusmodi anima aegrotare incipit, et languere, possunt tria ei adducere pericula, si eorum ordinationi Director non occurrat...

1229. — « Primum est inquietudo et impatientia animi, quia nimirum fervescentibus, et accensis desideriis fruendi dilecto, potest ita animus incalescere, et rapi, quod propter impatientem inquietudinem in ipso suo dilecto conquiescere non possit, cuius remedium est patientia, conformitas, et resignatio in divina voluntate.

1230. — « Secundum periculum est, quod prae nimio desiderio placendi Sponso insolitas, atque periculosas vias quaerit; unde faciliter possunt a via cognitae veritatis aberrare, etc. Diabolus, qui semper calcaneo Iusti insidiatur, mille ei offendicula, quibus infauste ruat, offerre poterrit. Propterea necessarium est directori, eam summo studio dirigere.

1231. — « Tertium periculum est nimia et inordinata divinarum delectationum concupiscentia, qua sui languoris levandi causa, vel fucato desiderio amplius fruendi amato, potest anima in maximam proprietatem atque immoderationem incidere, quibus ad innumeras daemonis fallacias, et cavillosas delectationes apta efficitur, utpote quia languentes communiter appetere solent nociva. Quamobrem director debet sollicite curare, quod nullo nunquam prae-

textu delectationem amplectatur, et amatum (omni suo quaestu praetermisso) propter se ipsum cupiat et desideret ».

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Ipsa est, teste B. de Busto: Clavigellaria cellariorum Regis pacifici, Arca sacratissima, Arca salutis.

MARIAM INVOCA. — O Maria Immaculata, quae a S. Antonino merito dicta es: Ancilla Domino fidelissima, Perductrix hominis ad regna coelestia; ora pro me, et fac me fidelissimum servum tuum et dilectissimum filium.

MARIAM LAETIFICA. — Amore sanctarum pietatis exercitationum. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. VIII. — DE SEPTIMO CONTEMPLATIONIS GRADU SEU DE UNIONE MYSTICA ET SIMPLICI DIVINI AMORIS.

1232. — Omnes praecedentes gradus contemplationis sunt quasi praeparatio ad mysticam unionem animae cum Deo. Unde: « Post gradus istos facit Dominus animam transire ad unionem. Unicus enim animae scopus hic esse debet, unio scilicet cum Deo » (ait S. Ligor. Prax. Conf. n. 136).

1233. — In hac unione Deus non solum Dominus et Pater, sed singulari modo Sponsus animae fit, quod quidem specialem praedilectionem significat. Unde merito dixit Richardus a S. Victore: « Et notandum quod aliquando Dominus in Sacra Scriptura se vocat Dominum, vocat aliquando patrem, aliquando sponsum. Quando enim vult timeri, dominum se nominat; quando vult honorari, patrem; quando vult amari, sponsum... Quanto enim dignius honor quam timor, tanto plus gaudet Deus pater quam dominus dici. Et quanto clarius est amor quam honor, tanto plus gaudet Deus sponsus dici quam pater... Cum se dominum nominat, indicat quod creati sumus; cum se patrem vocat, indicat quod adoptati; cum se sponsum nominat, indicat quod coniuncti sumus. Plus est autem coniunctos esse Deo quam creatos et adoptatos » (Explic. in Cantica Cant. Prolog.).

Mystica Theologia experimentalis in genere.

1234. — *Mystica Theologia experimentalis* perfecte talis et *unio amorosa cum Deo* et *oratio perfecta*

idem fere significant in supernaturali et passiva contemplatione, iuxta illud Gersonii: « Per praedictam amorosam unionem in qua mystica theologia consistere videtur, etc... Proprietates et conditiones amoris ac theologiae mysticae, quae supra dictae sunt, etiam orationi perfectae convenienter adscribi possunt. Huius ratio est, quia in anima contemplativa amor, et mystica theologia, et oratio perfecta, aut idem sunt, aut se invicem praesupponunt » (Gers. de Myst. theol. specul. Cons. 42 et 43).

1235. — **Triplex modus unionis** et praesentiae Dei in creaturis: alius naturalis; alius supernaturalis seu ex gratia; alius per unionem mysticam, ut recte declarat Philippus a SS. Trinitate.

1236. — « **Primus modus** unionis est, quo Deus ratione suae immensitatis, est in omnibus rebus per essentiam, praesentiam et potentiam. Per essentiam, ut dans omnibus esse; per praesentiam, ut omnia prospiciens; per potentiam, ut de omnibus disponens. Propter quod dicitur, Act. XVII: In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus; et hoc modo sic omnibus illabitur, et ita penetrat omnia quod sit multo magis cuilibet unitus, praesens et intimus, quam lumen aëri, vel anima corpori. Sed haec unio animae cum Deo est generalis, communis omnibus et ordinis naturalis.

1237. — « **Secundus modus** unionis animae contemplativae cum Deo est per gratiam sanctificantem qua fimus divinae consortes naturae, ait apostolus Petrus... Deus hoc speciali modo est nobis coniunctus, non tantum per modum principii talem participationem causantis, sed etiam per modum termini in hac participatione uniti » (Philipp. a SS. Trin., p. 3, d. 1, a. 1, t. 3).

1238. — **Tertius modus** unionis est animae contemplativae cum Deo per quemdam contactum substantialem Dei ad animam, quo praesens et unitus sentitur, et perficitur haec unio quando etiam potentiae spirituales animae, quantum patitur vitae praesentis status, Deo adhaerent, intellectus per cognitionem pene continuam ac velut evidentem, voluntas vero per amorem, non tantum desiderii, sed quodammodo satietatis et fruitionis. (Phil. a SS. Trin. p. 3, tr. 1, d. 1, a. 1, p. 9).

1239. — Intima igitur unio animae contemplativae cum Deo est fundamentum et essentia perfectae theologiae mysticae experimentalis, dicente eodem Philippo: « Quantum ad auctoritatem doctorum in Theologia mystica, tam uniformis et communis est, quod nullus, ex hac parte de intima unione animae contemplativae cum Deo, dubii locus esse possit. Omnes quippe huiusmodi doctores in hac unione principaliter ipsam theologiam mysticam constituunt; et illam supponunt tamquam certam et indubitatam, sicut aliae scientiae supponunt ordinarie obiecta propria, cum intra proprios limites probare non possint, nisi, ex una parte, esset scientia suprema, et ex alia parte, hoc obiectum theologiae mysticae absconditum a sapientibus huius saeculi, et revelatum parvulis tantum, posset negari ». (Phil. a SS. Trinitate, ibidem).

1240. — **Unio mystica media est inter velamen fidei et gaudium patriae, recteque dicitur amor fruitivus, quia magis de patria quam de exilio participat,** ut notat idem Philippus a SS. Trinitate dicens: « In comparatione verae perfectae beatitudinis in patria consummatae cum inchoata felicitate huius viae, discrimen invenitur in hoc quod perfecta beatitudo in clara visione ac intuitiva Dei in seipso

contemplatione essentialiter consistit, et tantum amor fruitivus requiritur ut complementum ipsius; inchoata vero beatitudo principalius in amore fruitivo Dei praesentis quam in eius contemplatione consistit » (p. 3, tr. 1, d. 1, a. 5, t. 3).

1241. — **Existentia unionis mysticae perfectae.** — « Omnes mystici conveniunt dari specialem unionem animae cum Deo, quam illapsum passivum, unionem mysticam, annihilationem, sponsalitium, osculum et castum amplexum animae vocant » (Schram Theol. myst. § 323).

1242. — « Unio haec animae cum Deo non fit in substantia quasi significet... quod anima suum proprium esse amittat et convertatur in Deum... Est impossibile... quoniam, cum Deus sit immutabilis, nihil potest in eius simplicissimam, naturam converti, nec ipse cum alio in compositionem alicuius » (Alvarez de Paz, l. 5, p. 3, c. 5, t. 6).

1243. — **Haec unio mystica non est necessaria ut anima sit perfecta.** — « Ut anima perfectionem attingat, non est necessaria unio passiva; satis est illi pervenire ad unionem activam. Paucissimae, inquit S. Theresia, sunt animae illae quae diriguntur a Deo per vias supernaturales; et nos in coelo permultas aspiciemus quae, sine huiusmodi gratiis supernaturalibus, erunt gloriosiores illis quae gratias istas receperunt ». (S. Ligor. Prax. Confess. n. 136).

1244. — **Est tamen omni laude dignissima et divini amoris fornax activissima.** — « Haec est hominis in hac vita sublimior perfectio, ita inhaerere Deo, ut tota anima, cum omnibus potentiis suis et viribus in Deum collecta, unus fiat spiritus cum eo, ut nihil meminerit nisi Deum, nihil sentiat vel intelligat nisi Deum, et omnes affectus in amoris gaudio uniti, in sola Conditoris fruitione suaviter

quiescant... Unde orationis perfectio est cum id obtinet anima ad quod orando tendit, ut tota ab infimis abstracta, solum uniatur divinis; nec volens nec valens aliud sentire nisi Deum. Ibi vero quiescit anima, ibi deliciatur in splendore lucis, in amoenitate divinae dulcedinis et in securitate pacis » (S. Bonav. de Prof. religios. l. 2, c. 73).

1245. — **Processus istius unionis est gradualis ad instar sponsalitii.** — « Sicut igitur, dum quis virginem quam summe diligit, in sponsam eligit, multis muneribus, donis pretiosis, signis evidentioribus amoris ad sponsationis et matrimonii corporalis vinculum suaviter allicit, ut ex mutua unione ac perfecta voluntatum conformitate, iam non duo, sed una fiant caro, simulque coniuncti indissolubiliter vivant; multae praecedunt visitationes, mutua amoris colloquia; sed iam inito sponsalitio, casti amplexus, et honesta succedunt oscula: ac tandem, celebrato matrimonio, iam fit unio maxima et indissolubilis coniunctio. Sic dum Christum Dominus devotam aliquam animam sibi in sponsam elegit, post multa concessa spiritualia munera, post dona virtutum pretiosa, post exhibita amoris signa in via illuminativa, suaviter illam ad sponsationis et matrimonii spiritualis unionem allicit, unde in viam unitivam inducit, ut iam non duo, sed unus in posterum sint spiritus, simulque per affectum mutuum coniuncti indissolubiliter vivant; multae praecedunt visitationes, mutua amoris colloquia; sed iam inito spirituali sponsalitio, dulces amplexus et suavia in Spiritu Sancto succedunt oscula; ac tandem celebrato spirituali matrimonio, iam fit maxima unio actualis fruitiva, de qua in praesenti loquimur, et indissolubilis coniunctio quanta in hac mortali vita esse potest, donec perfecte consummato hoc spirituali

matrimonio, in coelesti glória talis coniunctio firmetur in aeternum » (Phil. a SS. Trin., p. 1, tr. 1, cl. 1, a. 3, t. 3).

1246. — « Vide quid intersit inter ferrum et ferrum; inter ferrum frigidum et fervidum, hoc est inter animum et animum, inter animum tepidum et animum divino incendio inflammatum. Cum enim ferrum in ignem proiicitur, tam frigidum quam nigrum procul dubio primo videtur. Sed dum in ignis incendio moram facit, paulatim incalescit, paulatim nigredinem deponit, sensimque incandescens paulatim in se ignis similitudinem trahit, donec tandem totum liquefiat et a seipso plene deficiat. Sic itaque, sic anima divini ardoris rogo intimique amoris incendio absorpta, aeternorumque desideriorum globis undique circumsepta, primo incalescit, postea incandescit, tandem tota liquescit, et a priori statu penitus deficit » (Rich. a S. Vict. de quat. grad. violent. charit.).

1247. — **Triplex gradus unionis.** — Igitur « tres dantur species unionis, et sunt: unio simplex; unio desponsationis; et unio consummata, quae vocatur unio matrimonii spiritualis » (S. Ligorius, Prax. Confess. n. 137).

De unione simplici.

1248. — **Compendium doctrinae Lopez Ezquerra, in sua Lucerna mystica. — Notio unionis mysticae.** — Mirabilem unionem animae cum Deo sapienter describit Lopez Ezquerra, tr. 1, cap. 1, ubi ait: Ut clarius possit cognosci, quae sit vere unio mystica animae cum Deo, scire debemus, quod cum illo nequit anima uniri per illam unionem physicam

et substantialem, de qua tractant Philosophi; sed per illam tantum unionem intentionalem et similitudinis, de qua loquuntur Mystici; hoc est, non se copulando substantia creata cum substantia Divina physice et realiter, ita quod ex his duabus substantiis fiat unum compositum et suppositum, sed tantum se assimilando respective substantia humana substantiae Divinae. Primus namque unionis modus factus fuit tantum cum Sanctissima Humanitate Christi: In caeteris vero creaturis tantum fit per secundum modum intentionis et similitudinis (1).

1249. — **Unio intellectus et voluntatis.** — Haec autem unio dividitur in *activam,* de qua iam actum est alibi, et *passivam,* de qua nunc agendum; ambaeque in *unionem intellectus, et voluntatis.*

1250. — **Unio intellectus.** — De ea ita scribit idem Lopez Ezquerra, ibidem: *Intellectus humanus dicitur unitus intellectui Divino, cum intellectus humanus proportionabiliter Deum cognoscit, eo modo quo ipse Deus sé ipsum cognoscit;* cum autem Deus se ipsum cognoscat ut est in se, cum intellectus humanus cognoscit proportionabiliter Deum ut est in se, erit unitus intellectui Divino per unionem

(1) **Monitum** eiusdem Lopez Ezquerra, tr. 5, c. 2: « Extases, raptus, deliquia, etc., non sunt communicationes supernaturales, sed effectus huius luminis et amoris supernaturalis... Cum autem animae habeant diversas dispositiones, et quaedam sint minus dispositae quam aliae, ut ab amore et lumine infuso moveantur, ideo iuxta maiorem vel minorem earum dispositionem, hos aut illos effectus causant... In his namque quae nondum purgatae sunt, lumen et amor infusus efficiunt materialia deliquia, nervorum contractiones, et sensuum alienationes et contusiones; in magis purgatis causant extases, impetus, lacrymas, etc.; in his quae perfecte purgatae sunt, pariunt raptus, elevationes, et alia ».

formalem et potentiarum. Haec cognitio Dei ut es in se, non potest ab homine comparari per suas vires naturales; unde indiget elevari per habitum supernaturalem fidei.

1251. — Ordinatum est nobis a Deo (ait D. Thomas, in Dionys. de Divin. nominib. cap. 2, lect. 4) ut his quae super intellectum nostrum sunt, unianur adhaerentes per fidem; altioribus enim quam sint ad quae ratio naturalis pertingit, per fidem coniungimur, ut certius adhaereamus.

1252. — **Unio voluntatis.** — Idem auctor, tr. 1, cap. 2, ait: *Unio voluntatis, tam activa, quam passiva, consistit similiter in conformitate et similitudine voluntatis creatae cum voluntate Divina...* Ad quam non solum necessarium est, quod ambae voluntates ament idem obiectum, sed quod illud ament propter eumdem finem et motivum; nam si una voluntas amaret pallium sibi, et altera pallium amaret Francisco; quamvis in obiecto amato convenirent, differrent tamen in motivo amandi; subindeque licet ambae voluntates essent unitae unione obiectiva, inunitae essent et contrariae in unione formali; itaque differentia obiectiva et formalis nequit in Mystica accommodari voluntati.

1253. — *Voluntas humana tunc dicitur unita voluntati Divinae, quando non solum diligit Deum, sed etiam illum diligit propter eumdem finem propter quem Deus diligit semetipsum.* Quem finem si scire velimus, proculdubio reperiemus, Deum se ipsum et omnia diligere propter semetipsum.

1254. — Ex quibus clare constat, quod unio animae cum Deo non sit aliud, quam cognoscere Deum per fidem, et amare per charitatem... Nec quidquam aliud est haec unio; de ea enim factum est primum Deuteronomii praeceptum, et prima veteris testa-

menti tabula, scilicet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex tota fortitudine tua.

1255. — **Unio totalis et partialis.** — Idem auctor ibidem, ait: Sed ut Mysticorum terminos calleat magister, dividere debemus unionem hanc in totalem, et partialem. **Totalis** est quando non solum obiecto et sibi invicem unitae sunt potentiae, verum etiam per omnes suos actus unitae sunt. — **Partialis** dicitur, quando non secundum omnes actus, sed secundum aliquos unitae sunt. — Dividitur etiam unio in actualem, et habitualem: *Actualis* est ipse actus unionis; *Habitualis* est, quando adest facilitas se uniendi.

1256. — *Sed ad unionem mysticam (de qua nobis impraesentiarum specialis est sermo) animadvertendum est, quod ubicumque dicimus, animam curare debere Deo suo et fini ultimo copulari, intelligimus eam uniendam esse* **per unionem totalem**; idest, obiecti, et potentiarum, et secundum omnes suos actus; hoc est, Deum solum habeat pro obiecto, illumque cognoscat proportionabiliter ut est in se; per habitum fidei, vel secundum fidem; eumque solum diligat per charitatem.

1257. — **Unio activa et passiva.** — Addit idem Lopez Ezquerra, ibidem: Haec unio dividitur in activam et passivam. **Activa** illa est, quae per gratiam ordinariam sanctificantem, et per habitus supernaturales fidei et charitatis, potest homo efficere quotiescumque voluerit. — Diximus per habitus supernaturales fidei et charitatis, quia nimirum absque illis non potest intellectus et voluntas Deum cognoscere et amare proportionabiliter ut est in se per cognitionem et amorem supernaturalem, quia absque illis remanet homo in statu pure naturali.

1258. — Requiritur igitur, quod mens hominis elevetur per aliqua comprincipia supernaturalia, sive habitus ad statum supernaturalem, ut producere possit actus cognitionis et amoris supernaturalis, et de ordine supernaturali, ut cum omnibus tenet Suarez (p. 3, de grat. lib. 6, cap. 5. a. n. 1 et deinceps). Comprincipia autem, quae ad intellectum spectant, Deumque repraesentant ut est in se, sunt habitus virtutis fidei theologicae, et donorum sapientiae et intellectus... Quod vero ad voluntatem spectat, solum est habitus virtutis charitatis theologicae; unde exercitium hoc fidei et charitatis, quod homo in gratia constitutus potest habere quotiescumque voluerit, est vere et realiter unio mystica et activa contemplatio.

1259. — **Unio passiva.** — Et tr. 1, cap. 3, ait: **Unio passiva**, et omnino supernaturalis, illa est, quae posita gratia sanctificante et habitibus infusis virtutum et donorum Spiritus Sancti, adhuc homo ad libitum habere non potest, sed a Deo liberaliter, et citra meritum proprium accipit; quin in eius receptione se habeat homo ut agens, sed omnino ut patiens. Quamobrem passiva vocatur; et licet post eius infusionem homo possit suis potentiis libere operari, nequit tamen libere eam accipere et retinere.

1260. — *Contemplatio passiva in sui substantia, eadem est ac activa, et solum in modo et intensione distinguitur.* In *modo* scilicet, quia eam recipit homo, et non agit; in *intensione*, quia cum principalis agens sit Deus, lumen quod infunditur validissimum est et altissimum, et amor similis fortis, ardentissimus, et suavissimus.

1261. — Cum autem in hac unione infusa adeo altissima lux accipi debeat, et amor similiter intensissimus et mirabilis; indiget anima multimodis pu-

rificationibus et horribilibus purgationibus dispon et praepararī ad eam recipiendam.

1262. — **Difficillimus est ascensus ad unionem mysticam.** — De qua re scribit idem auctor, tr. 5, cap. 1: Difficilis prorsus et impenetrabilis est animae scopus, ascendendi scilicet ad divinam et mysticam Dei unionem: **Arduus nimis intellectui humano**, quia, ut ait Dionysius, *De divin. nominibus*, c. 7, « aggreditur cognoscere per divinissimam notitiam, quae non cognoscendo cognoscitur, pro superante naturam et captum mentis unione, quando mens primum rebus omnibus valedicens, deinde et ipsam deserens supersplendentibus illinc et illinc radiis, inscrutabili profundo sapientiae unitur ». Quod quidem intellectui nostro valde invium est et inaccessibile.

1263. — **Nec minus arduum est voluntati**, quae quidem astringitur relinquere et abdicare non solum deordinatos affectus et passiones, sed etiam eorum potentias; id est, non solum actus non agere, sed etiam habitus evellere et eradicare: « Vacuanda est voluntas (ait quidam expertus Auctor Spert. Carthus. select. myst. p. 4, c. 5) inordinatis rerum affectionibus, etiam supernaturalium, et etiam imperfectis habitibus, et ad supernaturalem Dei unionem dirigenda ». Quod etiam voluntati nostrae impenetrabile redditur, quia non solum est se se in appetitibus repugnantibus abnegare, sed etiam in modo naturali operandi, et hoc impossibile videtur Angelico per vires naturales: « Quod autem (inquit) excedit naturae facultatem, non potest esse naturale, neque per potentias naturales acquisitum » (D. Th. 2. 2, q. 24, art. 2 et q. 23, art. 2).

1264. — Cum igitur praedicta excedant facultatem naturae, indiget homo supernaturaliter elevari per

aliqua comprincipia, habitus sive auxilia, quibus possit negotium illud adipisci; et quandoquidem in quantum ad hoc habeat anima in gratia et charitate consistens habitus supernaturales virtutum et donorum supernaturalium; ad assequendam tamen mysticam et passivam transformationem, atque ad penitus evellendos habitus imperfectos, indiget (si ita dici potest) aliqua superiori superna vi et divino impulsu validius excitante motus animae ad necessariam dispositionem divinae deiformitatis; quae quidem mediantibus hisce favoribus consequitur. — *Hucusque Lopez Ezquerra.*

1265. — **Doctrina aliorum mysticorum de unione.** — *Card. Laurentius Brancatus,* Opusc. 8, *de orat.* cap. 4 (in quo consistat unio specialis cum Deo, quae *mystica* dicitur), scribit: « Dico 1. Ex parte animae iustae contemplativae unitae, seu uniendae mystice, ac supernaturaliter cum Deo causae morales ac immediatae talis unionis regulariter sunt duae, scilicet perfecta contemplatio, ac perfecta charitas... Dico 2. Causa immediata unionis cum anima iusta ex parte Dei, est influentia ipsius Dei in animam contemplantem, qua se illi ostendit speciali modo in caligine, per dona Spiritus Sancti, illuminans intellectum ad se sublimiori modo cognoscendum, et inflammans voluntatem ad se ardentiori modo amandum, simulque animam illam amans... Dico 3. Theologice loquendo consequenter ad dicta, unio *mystica* contemplantis cum Deo, formaliter sumpta consistit in illa colligantia, seu habitudine, ac relatione insurgente ex actibus illis perfecte cognoscendi et amandi Deum, fundata in ipsismet actibus animae, et terminata ad Deum ».

1266. — *Card. Bona, Via compendii ad Deum,* c. 5, n. 1, ait: « Quid sit unio *mystica?* Eo tendunt

omnia, quae de mystica theologia scribuntur, ut animam perducant ad intimam cum Deo unionem, in qua medulla huius sapientiae et summum eius arcanum consistit. Non est autem haec unio localis, sive praesentiae, qua Deus ubique est... Non est unio per gratiam sanctificantem... Non est unio per charitatem... Prima enim harum unionum convenit etiam rebus inanimatis. Secunda, omnium iustorum est, et puerorum ante usum rationis... Tertia, communis est omnibus probis, qui Deum quidem ardentissime diligunt, sed dono contemplationis et *mystica* unione carent. Est igitur alia unio felicissima et arcana, inexpertis impervia, et difficilis explicatu, quae fit in potentiis animae, intellectu scilicet et voluntate; istae enim Deum attingunt, et illi coniunguntur actionibus propriis vitalibus: atque in ista unione summa felicitas vitae huius consistit, et quaedam futurae gloriae praegustatio ».

1267. — *Ioan. Rusbrockius*, in suo libro *Samuel, sive de altâ contemplatione Apologia*, c. 8, ait: « Patiantur penetrantem veritatem ac bonitatem illam, quae Deus ipse est. Ut enim aërem solis splendor et calor penetrat, utque ferrum ignis, ita ut ignis actiones efficiat, ardet enim et lucet instar ignis, quod similiter de aëre illustrato accipiendum est... tamen unicuique sua manet natura seu substantia. Non enim ignis transit in ferrum, nec ferrum efficitur ignis, sed horum unio medium non habet; siquidem ferrum est intra ignem, et ignis intra ferrum, atque itidem aër est in solis lumine, et lux solaris in aëre... Quod si res materiales, quas Deus condidit, usque adeo coniungi possunt, quidni multo melius ipse se dilectis suis? ».

1268. — *Thomas a Iesu, de contempl. div.* l. 4, p. 1, c. 4, scribit: « Ista unio per amorem actualem

proprie est effectus ipsius habitus charitatis et gratiae; et si quae unio animae nostrae cum Deo beata sive fruitiva in hac vita contingere potest, necessario medio hoc actuali amoris nexu fieri debet... Nullum bonum, quantumvis magnum, quantumvis menti unitum, potest illam delectare, neque... eo frui... nisi dignoscatur, sentiatur, eiusque bonitas et dulcedo animae coniuncta quodammodo gustetur. Igitur unio supernaturalis, quae nos summo bono, cognitione, amore, et fruitione, coniungit, in actione aliqua intellectus et voluntatis consistere debet ».

1269. — *Th. a Vallgornera, Myst. Theol. D. Th.* q. 4, disp. 1, a. 11, dixit: « Unio fruitiva dividitur in activam et passivam... Dicitur activa quando anima... propria cooperans industria se ad Dei contemplationem elevat... Dicitur etiam unio affectuosa... Et haec est unio fruitiva sobria... Dicitur passiva quando anima divini Spiritus impetu potius agitur quam agat, et cooperetur ad hanc unionem, non enim tunc ad eam sua procedit industria, sed ad eam rapitur, et per infusam lucem divinam subito ad Dei contemplationem elevatur, et per vehementem amoris excessum ex tali luce dimanantem ad intimam Dei fruitionem promovetur, cum potentiarum suspensione et sensuum alienatione... Haec unio passiva... dicitur ebria, quia fuit ordinata in cella vinaria ».

1270. — *B. Dion. Carthusianus,* in libro *de munificentia et beneficiis Dei,* a. 15, ait: « Sunt charitatis tres gradus seu species. Prima communi appellatione, amor dicitur, cuius est ut amato amantem uniat. Secunda autem extasis est, quae amantem in amatum transponit. Divinus enim amor, ut ait Dionysius, extasim facit. Nempe amantem transformat, ut extra se poni videatur. Tertia vero zelus dicitur,

cuius est unita atque transposita indissolubiliter colligare. Haec eminentissima est rationalis mentis perfectio ». — Et in libro *de Vita et fine solitariae vitae,* l. 2, a. 9, addit : « Unio haec per intellectum primo efficitur, atque in affectu completur. Est igitur unio quaedam vitae praesentis cum Deo vero, quae in via praeclarior esse non valet. Ipsa est, ut Dionysius docet, mystica theologia, seu caliginosa ac occultissima Dei visio : dum videlicet mens contemplativa, calidissima dilectione exaestuans, cunctaque creata relinquens, atque ab omni operatione apprehensivarum virium circa creata consistente quiescens, sensum intellectumque suspendit, atque in divinitatis abyssum erigitur, ut ceterorum omnium obliviscatur ».

1271. — *S. Ligorius,* in libro *Praxis conf.* n. 137, ait : « In simplici unione suspenduntur potentiae, sed non sensus corporei ».

1272. — *Comp. Scaramelli,* l. 2, c. 7, a. 1, scribit : « Tempore unionis mysticae omnes animae potentiae manent aliquo modo suspensae, sicut S. Theresia et alii mystici doctores docent. Suspenditur intellectus, ita ut neque ad alia obiecta evagari, neque circa proprios actus suos reflectere possit... Perditur voluntas... Phantasia autem omnino perditur vel potius suspenditur. — Quum vero suspensio haec et plena unio modico tempore animam teneat, una alterave potentia a profunda illa absorptione denuo expergiscitur... Et tunc suspensio et unio non est amplius quoad omnes potentias, sed quoad solam voluntatem, quae in Deo perdita et submersa haerere pergit, dum aliae potentiae in peculiaribus et distinctis operationibus occupantur ».

1273. — *Philippus a SS. Trinitate, in sua Th. myst.* discurs. prooemiali, ait : « Haec divina gratia ac

sublimis favor unionis fruitivae sic animae expertae redditur evidens, ut de eo dubitare nullatenus possit; nam in huiusmodi unione, Deus interno tactu et amplexu percipitur et quodammodo palpatur ab anima, et immensos gratiae thesauros communicat, quae omnia manifeste videt anima, maxime Deo tunc realis suae praesentiae certitudinem communicante ».

1274. — *Alvarez de Paz*, l. 5, p. 3, c. 5, ait: « Effectus unionis iidem sunt omnino, licet in altiori gradu, cum his quos in quiete retulimus. In ea anima tanta dulcedine et delectatione repletur, ut vix absque ruptione corporis eam sustinere videatur... Pars inferior animae remanet blandissima et mira teneritudine repleta, qua tota in dulces lacrymas resolvitur, et desideriis rerum coelestium urgetur. Repletur etiam tunc anima indicibili pace, quam nullus eventus turbat, et serenitate quam nihil adversum obnubilat. Roboratur ad adversa et difficilia, ita ut nihil animam ab eo possit avertere quod Deo gratum esse conceperit. Zelo et desiderio salutis animarum accenditur... Profundissima humilitate perficitur... Tandem hic excitantur in anima desideria carnem deserendi, etc. ».

1275. — **Septem effectus unionis simplicis** numerantur a *Thoma a Vallgornera*, q. 4, disp. 2, a. 2: *Primus effectus* huius orationis est maximum animae gaudium, quod aliquando sic naturam liquefaciendo debilitat, quod anima languens penitus deficere videatur... Nec in sola tale gaudium sistit anima, sed aliqualiter ad corpus redundans, deliciarum spiritualium gustum et saporem iuxta captum ipsius communicat. De ista liquefactione et de isto gaudio loquitur D. Thom. in 3, dist. 27, q. 1, a. 1, ad 4: « Quia nihil a se recedit, nisi

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

soluto eo quod intra seipsum continebatur, sicut res naturalis non amittit formam, nisi solutis dispositionibus, quibus forma in materia continebatur. Ideo oportet quod ab amante terminatio illa, qua infra terminos suos tantum continebatur, amoveatur. Et propter hoc amor dicitur liquefacere cor, quia liquidum suis terminis non continetur ».

1276. — *Secundus effectus* est tenerrimus devotionis sensus ; transacta siquidem hac oratione vellet anima se totam consumere ; non poenis, sed deliciosis quibusdam lacrymis, se saepius illis madefactam reperit ; non advertens quando vel quomodo sparserit... Hae lacrymae cum tanta suavitate, et aliquando cum tanto erumpunt impetu, tantaque celeritate diffluunt, quod apparet imber validus de coelesti nube diffusus... Hanc doctrinam habet D. Thom. 2. 2, q. 82, a. 4, ad 3 : « Dicendum quod lacrymae prorumpunt non solum ex tristitia, sed etiam ex quadam affectus teneritudine, praecipue cum consideratur aliquid delectabile cum permixtione alicuius tristabilis : sicut solent homines lacrymari ex pietatis affectu... Et per hunc modum lacrymae ex devotione procedunt ».

1277. — *Tertius effectus* est memoria coelestium communicationum... Deus autem ita se intimis velut animae praecordiis imprimit, quod in seipsam reversa nullo modo dubitare potest, quin fuerit in Deo, et Deus in ipsa... Sanctus Thomas explicans illud Psal. 4, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine:* « Vultus est veritas Dei, ab hac veritate Dei refulget similitudo lucis suae in animabus nostris, quae impressa manet ». Et idem Sanctus explicans illud ad Rom. 5, *Signaculum iustitiae fidei:* « Dicitur autem signaculum dupliciter. Uno modo quasi expressum signum, habens similitudinem rei signatae...

Alio modo signaculum dicitur signum aliquid occultans ».

1278. — *Quartus effectus* est ingens animus, ita ut si propter Deum aliquid foret animae tolerandum, imo patiendum usque ad mortem, velut magnum solamen et mirabile beneficium arbitraretur... Ex illa unione oriuntur tamquam effectus viva desideria. Divus Thomas explicans illud Ps. 26, *Unam petii a Domino, hanc requiram*, dicit Sanctus: « In his verbis describit propheta qualitatem desiderii. Perfectio desiderii dependet ex perfectione suae causae, scilicet amoris, qui quando est perfectus congregat in unum omnes vires, et movet eum in amatum, et divinus amor facit totum hominem in Deum tendere, et totum desiderare.

1279. — *Quintus effectus* est desiderium laudandi Deum: vellet anima in linguas converti, et sic tota in laudando Deum occuparetur... D. Th. 2. 2, 91, a. 1, ad 1: « Dicendum quod de Deo dupliciter possumus loqui: uno modo quantum ad eius essentiam; et sic, cum sit incomprehensibilis, et ineffabilis, maior est omni laude. Debetur autem ei secundum hanc comparationem reverentia et latriae honor... Alio modo secundum effectus ipsius, qui in nostram utilitatem ordinantur: et secundum hoc debetur laus Deo ».

1280. — *Sextus effectus* est desiderium iuvandi proximum, et quasi nesciens illum adiuvat... D. Thom. exponens Psal. 45, *Deus noster refugium et virtus: adiutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis*, dicit Sanctus: « Si aliquis vult subvenire afflicto, hoc facit tripliciter. Primo ut ipsum fugientem recipiat... Secundo, ut assistat ei in tribulatione posito. Tertio, ut ei auxilium exterius praebeat. Et haec tria Deus facit qui est refugium ».

1281. — *Septimus effectus* est gradus heroicus omnium virtutum... Incipit hic propter Deum operari magna. Vult Dominus quod flores virtutum pateant, et odorem suum suaviter spirent... Clare percipit (anima) quod nec ad eas plantandas concurrit, nisi passive consentiendo. Deus enim coelestis hortulanus illas plantavit, illas rigavit, et illas ad gradum heroicum auxit. Non quod anima sua diligentia virtutes aliquas non acquirat, gratiae praevenienti et adiuvanti cooperando, quae propterea dicuntur virtutes acquisitae; et quod cooperando eidem gratiae non se disponat ad virtutum infusarum augmentum, ordinarie loquendo; sed quia in hoc statu orationis unionis ipsa potius agitur quam agat, unde passive se habet recipiendo, et per solum consensum cooperando. – *Haec Vallgornera.*

1282. — Idem Vallgornera, ibidem, addit: « Quod autem cruciat hanc animam (nunquam enim in hac mortali vita, quantumcumque sublimetur anima, desunt cruces), est considerare quod de tam felici statu debet iterum ad proprium iudicium, et ad naturalem sapientiam redire, ut sollicitudines et consuetas in multis saeculi leges sequatur, de quibus omnibus se liberam esse desiderat: comedere est illi molestum, dormire est fastidiosum, omnia displicent, quia iam propria didicit experientia, quod vera quies non potest a creaturis procedere, et quod a solo Deo potest sperare solatium; unde videtur contra ordinem naturae vivere, nec velle in se vivere, sed in solo Deo, quia vita eius abscondita est in Christo ».

Divini animae tactus.

1283. — Definitio. — Tactus divinos, qui inter actus distinctos passim enumerantur a mysticis, hoc

potius loco exponendos censemus cum Comp. Scaramelli, qui illos ita definit seu describit: « Consistunt in vera ac reali, mere tamen spirituali, sensatione, qua anima Deum in suis intimis et sentit, et magna cum delectatione degustat. In his tactibus anima non solum ad Deum accedit per actum fidei dono sapientiae illustratum siquidem, ut dicit Angelicus, donum sapientiae Deum animae contemplativae reddit vicinum; sed etiam spirituali et experimentali actu eum tangit et experitur. Actus iste mere est spiritualis et nullo modo sensitivus ».

1284. — Et addit, constare: « Animam modo spirituali posse audire, videre, gustare et tangere obiecta mere spiritualia... Sicut corpus tangit aut ab alio corpore tangitur, ita ut eius praesentiam quandoque cum voluptate sentiat; sic et anima tangit aut tangitur a substantia spirituali, ita ut eius praesentiam per congruentem puro spiritui sensus actum sentiat, idque ingenti etiam cum voluptate, si tangens et praesens substantia ipse sit Deus ».

1285. — Tactus divini vocantur etiam *tactus substantiales*, et quasi *sensificationes animae*. De quibus ita scribit Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 14: « Aliae sunt sensificationes delicatissimae et suavissimae, quae in animae substantia immediate fiunt a Deo, et a Mysticis tactus substantiales dicuntur ».

1286. — Et addit: « Hae sensificationes altissimae ideo tactus substantiales dicuntur, quia ut ait B. Ioannes a Cruce: Deus immediate et per se tangit substantiam animae; ex quo contactu et divina approximatione anima valde locuples redditur substantialis virtutis, capacitatis, et fortitudinis ». Et cum alio auctore subiungit: « Effici dicuntur in substantia et essentia animae, quia adeo intense, profunde, abdite, atque intime fiunt, quod videantur, non attingere

voluntatem, in qua efficiuntur ». Et notat: « Formantur tamen mediantibus animae potentiis ».

1287. — Divisio. — Idem Lopez, cui concordant alii, distinctionem ponit in tactibus istis. Ait enim, ibidem: « Huiuscemodi ergo tactus, quidam distincti sunt, et cito transeunt; quidam non sunt ita distincti, et magis durant; ambo vero pariunt sensationem spiritualissimam, altissimam, et valde suavem. Interdum (ut ait B. Ioannes a Cruce) plus in intellectu percipiuntur et pluris frequenter in voluntate ».

1288. — Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 3, disp. 5, a. 9, n. 3, ait: « Tactus divinus diversimode contingit, quamvis enim semper in voluntate recipiatur (substantia siquidem animae non potest seipsa sentire vel quid percipere, nulla quippe substantia est de seipsa immediate in creaturis operativa, sed operatur per suas potentias); diversimode tamen recipitur: quandoque enim perceptibiliter apparet in affectu voluntatis; quandoque vero, cum est intensissimus, altissimus, profundissimus, et secretissimus, videtur penetrare ad ipsam animae substantiam ».

1289. — Comp. Scaramelli notat: « Tactus isti saepissime ex improviso fieri solent, dum anima vel verbum profert aut audit, aut alio modo in intimis suis commovetur. Modo sunt valde intensi, modo remissi; modo velociter transeunt, et tunc distincti esse solent, modo diu perseverant, et tunc minorem habent claritatem. Alii adeo sunt intensi, ut nullam videantur attingere animae potentiam, sed in ipsa eiusdem substantia produci; qui propterea tactus substantialis appellantur. Dico videntur nullam attingere potentiam, sed tantum ipsam animae naturam: nam in re, omnes etiam sublimissimi tactus

non formantur nisi mediantibus intellectu et voluntate spirituali ».

1290. — Philippus a SS. Trinitate, tr. 3, d. 4, a. 6, scribit: « Tactus autem sumitur vel active vel passive. Tactus active sumptus importat actionem Dei intime tangentis animam. Tactus passive sumptus importat immediatum huius intimae actionis effectum in anima, qui proprie dicit sensum suavissimum animae tali causatum actione ». Et alibi addit: « Hanc gratiam concedit Dominus cui vult, quando, ubi et quomodo vult. Unde saepius accidit quod viris sanctis, post diuturnum orationis et contemplationis exercitium, illam deneget; et e contra tyronibus ac incipientibus viam perfectionis in eminentissimo gradu concedat », scilicet in aliquo casu extraordinario.

1291. — Idem, ibidem, ait: « Cum, ut dictum est, ad divinum tactum non cooperetur anima proxime et immediate (quamvis se remote disponat), sed mere passive ad illum recipiendum se habeat, ita ut vere tunc dicatur divina patiens, quod etiam verum est in ordine ad consequentem notitiam; inde est quod in utriusque receptione propriam adhibere non debet industriam, ne fructum utriusque impediat, sed tantum suavem praebendo consensum, cum humilitate et gratiarum actione tantum recipiat bonum ».

1292. — S. Ioannes a Cruce, Cant. 2, vers. 4, scribit: « Etsi attactu Dei in hac vita non ea qua in aeterna gloria, fruamur perfectione, nihilominus tament attactus iste, quum sit ipsius Dei, aeternam sapit redoletque vitam. Atque ita admirabili quodam modo et participatione, universas res divinas degustat, communicaturque illi fortitudo, sapientia et amor, pulchritudo et bonitas. Quum enim Deus sit

haec omnia, in uno solo ipsius attactu eminenti quodam modo cuncta haec degustat ».

1293. — Et addit Comp. Scaramelli: « Summe autem amabile, quod anima in unionis oratione cognoscit et quasi tangit, est Deus ipse, in ipsa modo speciali praesens, quem propterea ardentissimo amore amplectitur, et cui arctissime unitur ».

1294. — Et infra prosequitur: « Constat ergo, tactus omnes, licet substantiales, licet sublimissimi et intimi, qui in statu spiritualis matrimonii conceduntur, consistere in notitia et amore experimentali Dei, vi cuius anima spirituali et delicato tactu Deum sentit ». Vide tamen n. 1290.

1295. — Item: « In divinis his tactibus amoris anima Deum non solum in se sentit, sed et sentiendo eum magnam eius acquirit experimentalem notitiam: siquidem maxima claritate, maximo sapore et dulcissimo gustu eum cognoscit, et hoc tam sublimi modo, ut id quod cognovit et experta est enarrare non possit ».

1296. — S. Ioannes a Cruce, Ascen. mont. l. 2, cap. 26, ait de tactibus istis: « Taliter animam locupletant et ditant, ut non solum unus illorum ad auferendas una vice imperfectiones aliquas, quas ipsa toto vitae suae decursu eliminare nequiverat, satis sit, sed eam etiam virtutibus ac donis divinis affatim repleat. Sunt vero tactus isti adeo suaves, adeoque intima voluptate perfundunt animam, ut unico illorum universos vitae suae labores et dolores, licet illi essent innumeri, abunde remuneratos arbitretur: redditurque inde tantopere magnanima et propter Deum multa patiendi avida, ut singulariter affligatur quotiescumque se non multa pati animadverterit ».

1297. — **Monita.** — Idem Comp. Scaramelli scribit: « Director valde cautus sit circa praedictos tactus. Sunt enim qui inspirationem quamdam, suavitatem aut sensum interiorem quum recipiunt, sese substantialem tactum Dei accepisse asserere non dubitent... Notet ergo director huiusmodi tactus non concedi nisi animabus ad unionem iam elevatis, quum revera ad unionis orationem pertineant. Sed vid. n. 1290.

1298. — Item: « Daemon huiusmodi tactus producere non potest, siquidem in spiritus intimis et in ea parte animae habent locum, ad quam spiritus infernalis non habet accessum: Potest tamen veluti simia aliqua apparenter obtrudere, repraesentando animae magnitudines quasdam et satietates, repletionesque admodum sensibiles et persuadendo animae, illud vere ipsum esse Deum; non autem ut haec ipsius commenta intima animae penetralia pervadant, illamque renovent, et subitaneo, quemadmodum solent divinae, amore inflamment, facere potest... Videat ergo, num anima in statu unionis sit; num tactus formentur in puro spiritu cum mere spirituali Dei sapore, de quo corpus non nisi per accidens participat; num animam reforment et renovent, et magnae perfectionis effectus in ea relinquant ».

1299. — Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 14, ait: « In his denique parum directori agendum restat, quia sunt divini, sublimes, atque ab omni daemonis potestate prorsus alieni; qui nec quid simile adhuc effingere potest, praesertim in animae substantia, minusque praedictos effectus causare. Praeterquam quod animae quibus regulariter conceduntur, sunt omnino purgatae et perfectae; propterea sciunt explicare et cognoscere ea quae sunt a Deo, et inter bonum et malum deliberare. Doceat eas magister,

in his se habere mere passive, nullos miscendo discursus, sed mentem in silentio ad auscultantis modum disponendo, iuxta illud Psalmistae: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam ». Vide tamen n. 1298.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Teste devoto Blosio, Ipsa est: Mater ultra omnem honestatem gratiosa, quae benignis oculis pios Ecclesiae filios intuetur in toto orbe terrarum.

MARIAM INVOCA. — O Maria Immaculata, quia teste S. Bonaventura, es: Arbor pulchra foliis oris, pulchrior in floribus cordis, pulcherrima in pulcherrimo fructu ventris; ora pro me, et fac me virtutum tuarum imitatione Deo gratum et tibi fidelem servulum.

MARIAM LAETIFICA. — Magnalium et virtutum Eiusdem devota et sedula meditatione. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. IX.

DE OCTAVO CONTEMPLATIONIS GRADU SEU DE UNIONE EXTATICA.

1300. — **Definitio.** — Iuxta Gersonium, de Myst. th. cons. 36: « Extasim dicimus.... dum mens ita in suo actu suspensa est, quod potentiae inferiores cessant ab actibus suis, sic quod nec ratio, nec imaginatio, nec sensus exteriores... possint exire in suas proprias operationes ». — Unde extasis supernaturalis et divina est: Elevatio mentis in Deum cum abstractione a sensibus exterioribus, ex magnitudine illius elevationis. — Ideoque unio extatica merito dicta est: Illa mystica amoris unio, quae animam a sensibus totam abstrahit, non tamen cum violentia, sed mera cum suavitate. — Quare rite dixit S. Dionysius: *Amor extasim facit.*

1301. — Unde unio extatica, si est perfecta, suspendit sensus exteriores. In qua re prae oculis habenda est haec doctrina S. Thomae, 1. 2, q. 28, a. 3: « Dicendum quod extasim pati aliquis dicitur, cum extra se ponitur... Secundum quidem vim apprehensivam, aliquis dicitur extra se poni, quando ponitur extra cognitionem sibi propriam... quia ad superiorem sublimatur, sicut homo, dum elevatur ad comprehendenda aliqua quae sunt supra sensum et rationem, dicitur extasim pati... Secundum appetitivam vero partem, dicitur aliquis extasim pati, quando appetitus alicuius in alterum fertur, exiens quodammodo extra seipsum ». Et 2. 2, q. 175, a. 2, ad 2, addit: « Mens ad quaedam intelligibilia rapitur, alienata a sensibus ». Et in op. *De verit.* q. 13, a. 3, ad 10, ait: « Tanta potest esse in actu specula-

tionis vehementia, ut omnino a sensibili operatione abstrahatur » (1).

1302. — Sensus ergo interiores *aliquo modo* suspenduntur, ex toto vel ex parte, prout magis minusque perfecta est contemplatio.

1303. — Scribit Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 3, disp. 3, a. 7, n. 6: « Imaginationis operatio se habet tantum concomitanter ad contemplationem, quando Deus immediate spiritualia manifestat animae, quae dum per intellectum contemplatur, simul per imaginationem circa manifestata suo modo discurrit, propter sympathiam harum potentiarum... Concluditur, quod quaevis intellectio, saltem ordinaria, praesentis status naturaliter ab ope-

(1) Ant. a Sp. Sancto, tr. 1, d. 1, s. 4, docet: « Etiam in raptibus vel extasibus dari actum contemplationis intellectus, immo extasis et raptus formaliter non est nisi in intellectu et solum causaliter in voluntate, quatenus aliquando ex vehementia amoris mens extra se fertur, non tamen in hoc mentis excessu intellectus cessat ab operatione, sed abstrahitur a consideratione obiectorum sibi connaturalium, ut in obiecta altiora et divina, et quae pertinent ad Deum amatum, feratur. Quapropter hic amor solet appellari fervens per similitudinem ad fervorem aquae, quae ebulliendo extra egreditur: unde in raptu ex parte intellectus invenitur altissima contemplatio, et ex parte voluntatis summa delectatio. Et hac ratione Paulus dixit, se raptum fuisse usque ad tertium coelum, ratione scilicet contemplationis, et in paradisum, ratione summae delectationis. Hinc etiam sponsa dixit (Cant. 5): *Ego dormio, et cor meum vigilat;* dormiebat prae dilectionis suavitate extasis et raptus; et cor, hoc est, intellectus vigilabat per contemplationem summam. Unde etiam David dixit (Ps. 38, 4): *In meditatione mea exardescit ignis*, et (Ps. 67) ait: *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu*, hoc est, ut ait Augustinus, in summa mentis contemplatione. Non ergo dari potest actus amoris sine praevio actu intellectus ».

ratione phantasiae pendet. Quando autem intellectus operatio est perfectissima et plurimum elevata, tunc non dependet a phantasia ».

1304. — Et Ioan. a S. Thoma, in 1. 2, q. 26-29, quaer. 4, ait : « Extasis est quaedam vis amoris, qua ponitur amans extra se. Est autem aliquis extra se... in apprehensiva, quia ponitur extra modum ordinarium cognoscendi, vel per elevationem ad superiora, vel per abstractionem a sensibus ».

1305. — Et Abulensis, in Gen. q. 400, scribit: « In extasi... omnes vires sensitivae, quae vocantur animales, et appetitivae quiescunt, id est ligantur ».

1306. — **Causa unionis extaticae** triplex est, iuxta Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 4, disp. 2, a. 17, n. 11, ubi ait: « Tribus de causis anima in alienationem adducitur: aut prae magnitudine devotionis, aut prae magnitudine admirationis, aut prae magnitudine exultationis. *Oritur ergo extasis ex magna devotione*, quando anima tanto desiderii coelestis et divini amoris igne succenditur, ut ad cerae similitudinem liquefiat, et quasi a proprio statu dimota, et instar fumi attenuata ad suprema conscendat. Cui devotioni et amori aliquando magnitudo lucis adiungitur, aliquando solus devotionis affectus alienationem operatur. *Oritur deinde ex ingenti admiratione*, quando anima divino lumine irradiata, et summae pulchritudinis et perfectionis divinae cognitione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, ut in similitudinem fulguris coruscantis, transcursis sensibus, in summa elevetur. Et haec quidem admiratio, et perfecta cognitio, interdum animae non praeventae advenit; interdum in eam, in affectum amoris vel in profundam meditationem incumbentem, irruit; interdum a lumine incipiens in ardentissimum fervorem desinit... *Oritur tandem ex ineffabili exulta-*

tione, quando anima internae suavitatis abundantia potata, imo et plene inebriata, quid sit, et quid fuerit, penitus obliviscitur, et in alienationis excessum laetitiae nimietate transfertur. Haec autem iucunditas supra modum laeta, et haec exultatio supra omnem sensum nostrum iucunda, aut magnam devotionem, aut magnam admirationem supponit ».

1307. — Similia habet Rich. a S. Victore, Contempl. l. 5, cap. 5-14, ubi legitur: « Nam modo prae magnitudine devotionis, modo prae magnitudine admirationis, modo prae magnitudine exultationis fit, ut semetipsam mens omnino non capiat, et supra semetipsam elevata in abalienationem transeat. *Magnitudine devotionis* mens humana supra semetipsam elevatur, quando tanto coelestis desiderii igne succenditur, ut amoris intimi flamma ultra humanum modum crescat, ad cerae similitudinem liquefactam a pristino statu penitus resolvat, et ad instar fumi attenuatam ad superna elevet, et ad summa emittat. *Magnitudine admirationis* anima humana supra se ipsam ducitur, quando divino lumine irradiata, et in summae pulchritudinis admiratione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, ut a suo statu funditus excutiatur... et supra seipsam rapta in sublimia elevetur. *Magnitudine (tandem) iucunditatis* et exultationis, mens hominis a se ipsa alienatur, quando intima illa internae suavitatis abundantia potata, imo plene inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliviscitur, et in abalienationis excessum, tripudii sui nimietate traducitur, et insuper in mundanum quemdam affectum sub quodam mirae felicitatis statu raptim transformatur ». — *Nota* quod effectus istius unionis extaticae in anima iidem sunt, in gradu tamen perfectiori, ac effectus unionis simplicis. Vid. not. ad n. 1314.

1308. — Scribit Angelicus, 2. 2, q. 175, a. 1: « Huiusmodi autem abstractio, ad quaecumque fiat, potest ex triplici causa contingere: uno modo ex causa corporali, sicut accidit in his qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur; secundo modo ex virtute daemonum, sicut patet in arreptitiis; tertio modo ex virtute divina ».

1309. — Et Cardinalis Bona, *De discr. spir.* c. 14, 4, ait: « Naturaliter quaedam extasis et a sensibus alienatio fit ex morbo... Item... fieri potest ex vehementi imaginatione: tunc enim confluunt spiritus animales in cerebrum et sensuum exteriorum functiones impediunt... sicut accidit in somnio ».

1310. — **Signa extasis naturalis, et diabolicae,** ita describuntur a Benedicto XIV, *De Serv. Dei beat.* l. 3, c. 49, n. 5: « Iam ad signa veniamus extasis tum naturalis, tum daemoniacae... Ac praemittentes nullius extasis habendam esse rationem, quae sit levis, sed gravis dumtaxat, qua videlicet correpti omnino exterioribus sensibus destituuntur, et tamquam mortui apparent, dicimus, signa naturalis extasis ea esse quae sunt signa morbi, ex quo extasis oriri potest. Rursus si extasis determinatum habeat tempus sui impetus, si extaticus in paralysim, vel in apoplexiam, vel in alium similem morbum progressu temporis lapsus sit, si post extasim lassitudo quaedam et membrorum pigritia, mentis et intellectus offuscatio, rerum praeteritarum oblivio, pallor et livor faciei, et animi tristitia succedant, signa haec sunt extasis naturalis ».

1311. — Et addit: « Circumstantiae praeterea patefacere possunt, an extasis sit daemoniaca, puta, si homo perditae vitae, aut in actu peccante, in extasim aut raptum alienaretur. Item si extasis fieret cum maxima humanorum membrorum distortione, et corporis motu incomposito. Optime Caietanus, in 2. 2,

q. 173, a. 3: = Nota divinum Verbum, divinam conditionem: scilicet talis alienatio a sensibus non fit in prophetis cum aliqua inordinatione naturae; et multo minus fit cum aliqua inordinatione honestatis, aut moris =.

1312. — Item: « Signum quoque diabolicae extasis erit, si extaticus rapiatur aut alienatur quoties vult... nisi forte vox esset superioris ex obedientia vocantis: si ille, qui extasim patitur, in extasim raptus loquatur mente turbata, quasi actus ab alio, et quasi alius loquatur per eum: si post alienationem, non recordetur eorum quae dixit cum esset alienatus, et ea, quae dixit, repetere nesciat: si demum in locis publicis, et ubi maior est hominum concursus, quis frequenter rapiatur: daemonis enim est in externis quibusdam, et quae hominibus patent, gloriam quaerere... Demum signa aperta extasis daemoniacae sunt, si in ea suadeatur aliquod malum; vel si bonum suadeatur, non tamen suadeatur ad bonum finem; vel si extaticus post extasim turbatus permaneat: licet enim in extasibus, apparitionibus et divinis revelationibus aliqua turbatio dari possit, et data sit, eadem tamen nec vehemens est, nec multum durat, et extatici in delectatione quiescunt ».

1313. — **Effectus verae extasis supernaturalis.** — Cardinalis Bona, *De discr. spir.* c. 14, 4, 7, ait: « Nullum autem certius indicium extasis verae ac supernaturalis, quam si mores eius qui rapitur cum hoc munere consentiant... si nimirum mundum contemnit, si eius pompas et vanitates detestatur, si efficax Deo serviendi propositum habet, si se indignum ea gratia reputat, si maiorem in dies progressum facit, si ex intima cum Deo unione crescit in eo humilitas, abnegatio, odium sui, et amor Dei ».

1314. — Septem effectus huiusmodi supernaturalis extasis ponit, ex doctrina S. Theresiae, Vallgornera, scribens, q. 4, disp. 2, a. 17, n. 16-22: « *Primus* eius effectus est in corpore, quod ita permanet, ac si per animam non informaretur... Contingit tamen aliquando, quod corpus infirmum et doloribus plenum in hac oratione sanitatem recuperat, et maiorem capacitatem cooperandi animae ad exercitia spiritualia consequitur... *Secundus* effectus est accensum Deo inserviendi desiderium... *Tertius* effectus est multo maior contemptus mundi... Unde iam vivit in mundo cum labore et fastidio... *Quartus* effectus est notitia tum divinae Maiestatis, tum propriae infirmitatis... *Quintus* effectus est ardentissima sitis Dei viventis... Unde anxie mori appetit... *Sextus* effectus est poena maxima, sed deliciosissima, sive poena simul cum gaudio et iubilo... *Septimus* effectus est quidam mentis iubilus, et quidam gradus orationis extraordinarius » (1).

1315. — S. Vincentius Ferrerius, in sua Instr. vitae spiritualis, cap. 13, de pseudo-extasi scribit:

(1) *Differentia inter extasim et unionem simplicem:* « Facile etiam intelligitur quid sit discriminis inter unionem simplicem et unionem extaticam: siquidem in hac, quae magis est intima et perfectior, anima tota a sensibus abstrahitur et usus sensuum omnino suspenditur; in illa autem, ut iam vidimus, ista sensuum suspensio locum non habet. Non est autem sensuum abstractio semper signum extasis, nam et in somno spirituali usus sensuum perditur. Magna tamen est differentia inter somnum istum et extasim: quia in somno spirituali omnes animae et corporis potentiae sopiuntur, in extasi autem intellectus et voluntas valde sunt illuminatae et valde activae. Praeterea supernaturales, quibus anima in extasi cumulatur communicationes sublimiores sunt iis quae in somno recipiuntur » (Comp. Scaramelli).

« Dominus per suum iustum iudicium permittit potestatem diabolo augmentandi praedictam consolationem, et accelerandi, et imprimendi in illa anima falsissima et periculosissima sentimenta et alias illusiones, quas consolationes credit et putat esse veras. Heu! heu! Deus meus, quot personae sunt deceptae per istum modum! Et scias pro certo quod maior pars raptuum, imo *rabierum* nuntiorum antichristi venit per istum modum ».

1316. — **Monita.** — Comp. Scaramelli scribit: « Iam dixi non esse inconveniens personas extasi defixas virtute sanctae obedientiae ad sensum revocare, dummodo hoc fiat non ex levitate aut vanitate, sed probationis causa, vel ob aliam iustam rationem. Tunc autem auctor sim, primo, ut praeceptum non mentaliter et interne, sed verbis detur vel aliis signis sensibilibus; secundo ut res imperata personae et statui eius valde conveniat »... Quod « si Deus aliquando praecepto mentali sese accommodet, et anima extatica ei obediat, hoc verae quidem extasis indicium est; sed si Deus talibus praeceptis non sese accommodet et anima eis non obediat, prout saepissime accidit, hoc non falsitatis extasis certitudinem praestat: quia revera tale praeceptum non obligat ».

1317. — Et addit: « Nec minus sua potestate abuteretur director qui rem impossibilem praeciperet », quod v. g. miraculum importaret; « nisi ex speciali fieret inspiratione Spiritus Sancti ».

1318. — Item: « Invigilet adhuc director, ut persona quae hos mentis excessus frequenter patitur, quando tales spiritus elevationes praesentire vel praevidere potest, hominum praesentiam fugiat; et iniungat ei, quando eas nec praevidere nec praesentire potest, quia improviso frequenter superveniunt, ut

postulet a Deo ferventibus precibus, ne sibi tales favores publice in aliorum praesentia impertiatur. Ratio huius prudentiae patet ».

1319. — Et rite notat: « Omnia quae de extasi diximus etiam ad raptum pertinent: quum sensuum alienatio, licet quodam cum discrimine, in una aeque ac altera oratione interveniat ».

1320. — Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 20, haec monita habet: Meminerit director: « *Primum*, quod extasis supernaturalis est communicatio status perfecti, et saltem per passivam purgationem sensus purgati, atque in sui operatione a materialitate sensuum abstracti, et ad exercitium pure spirituale conversi... quamvis interdum utatur sensibilibus phantasmatibus, si facile illis relictis ad pure spiritualia consurgit, ibique habitualiter sciat quiescere, secus, non extasis sed deliquium fieret.

1321. — « *Secundo*, quod si eiusmodi quasi extatica absorbitio contingat animae non in tali statu constitutae, proculdubio extasis non erit, sed vel profunda et activa quietis oratio, vel intima recollectio, vel naturalis et cogitabunda suspensio. Ad cuius differentiae cognitionem, requiritur indagare effectus et finem talis absorbitionis, quandoquidem extasis sublimes et mirabiles effectus parit, ita ut anima quae semel tantum veram extasim passa sit, adeo redditur coelestia appetens, et terrena odiens, quod ei iam solum vivere Christus sit, et mori lucrum, utpote quia potius vivit ubi amat, quam ubi animat ».

1322. — Et addit: « Extasis quae mediante lumine infuso in se ipsam colligit et absorbet animam, causat in ea regulariter reflexionem obiecti cogniti; quamobrem ab extasi excitata illius quod cognovit reminiscitur, interdum clare, et interdum obscure; tametsi evidenter cognoscit per altissimam cognitio-

nem, et amorem Deo appropinquasse; cuius efficacem memoriam diu in suo fundo conservat ».

1323. — Item: « *Veram extasim nequit daemon efficere*, quia impotens est ad spiritum in sui fundo colligendum... Dupliciter poterit director extasis differentiam dignoscere: *uno modo* per infusionem luminis, quaerendo scilicet an sit habitus medio discursuum et materialium formarum, vel a profundo animae emerserit, absque intercalatione discursus, aut materialium formarum; cuius efficacia extra suum operandi modum intra se ipsam, quasi a quodam subtilissimo fune attracta, recolligitur, et absorbetur; quia tunc proculdubio erit extasis vera, et a daemonis iurisdictione immunis. *Secundo modo* per effectus, qui in supernaturalibus omnibus sunt lydii lapides, sive cothicullae, quibus aurum divinae communicationis ab aere diabolicae illusionis secernitur ».

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Immaculata Mater nostra, teste B. Alberto Magno, est: Flos florum, florem servans pudicitiae, quae nunquam emarcuit.

Mariam invoca. — O Maria, quae iuxta Trithemium, merito dicta es: Rosa vernans, suavitatem redolens supernae dulcedinis; ora pro me, et fac me virtutum floribus coram Filio tuo decorum.

Mariam laetifica. — Frequentissimis virtutum actibus, et assiduis amoris affectibus. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. X.
DE NONO CONTEMPLATIONIS GRADU SEU DE RAPTU ANIMAE IN DEUM.

1324. — **Praenotandum.** — Extasis, raptus, elevatio, et similes voces idem significant *secundum quid*, sed diversa sunt *in se*. Et in hoc sensu scribit Angelicus, *De Verit.* q. 13, a. 2 ad 9: « Excessus mentis, extasis, et raptus, omnia in Scripturis pro eodem accipiuntur, et significant elevationem quamdam ab exterioribus sensibilibus, quibus naturaliter intendimus ad aliqua quae sunt supra hominem ». — Et 2. 2, q. 175, a. 1, addit: « Abstractio... ex virtute divina... prout scilicet aliquis spiritu divino elevatur ad aliqua supernaturalia cum abstractione a sensibus ».

1325. — Recte igitur monet Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 21: « Plurimi extasim vocare solent *spiritus volatum;* et quidem proprie, quia sicut ille qui pennis aërem scindit, leviter, suaviterque supra se elevatur, atque ab una ad aliam regionem faciliter transmigrat; ita similiter anima in extasi summa levitate et suavitate, super se, id est, super suum naturalem modum operandi, extollitur, et ex regione sensibili materialium formarum, ad coelestem spiritualemque divinae essentiae regionem transmigrat, quasi nobilis passer. Alii extasim vocant *raptum*, quidem male, quia inter eos est manifesta diversitas, ut expresse tenet D. Thom. 2. 2, q. 175, art. 2... (1).

(1) S. Th. ibid. ad 1, ait: « Extasis importat simpliciter excessum a seipso, secundum quem scilicet aliquis extra suam ordinationem ponitur; sed raptus super hoc addit violentiam quamdam ».

Alii denique extasim cum *elevatione corporis* immiscent, et plane improprie, quia licet in elevatione fiat extasis, in multis tamen ab ea differt, ut suo loco videbitur ».

1326. — Et Comp. Scaramelli addit: « Multi mystici doctores raptum ab extasi non distinguunt, quia eiusdem sunt generis, scilicet orationis unionis, et fere eosdem producunt effectus, abstractionem scilicet a sensibus et alios supra iam declaratos fructus orationis unionis. Quamquam autem una et altera oratio, quoad genus, ad orationem pertineat unionis, differunt tamen quoad perfectionem; et licet in utraque suspensio interveniat sensuum, non autem in utraque eodem accidit modo ».

Natura raptus.

1327. — **Definitio.** — « Raptus animae in Deum, iuxta Comp. Scaramelli, est extasis quaedam violenta, siquidem anima non simpliciter et modo suavi a sensibus alienatur et in Deum elevatur, ut in extasi; sed cum quadam violentia, et fortiter ». Raptus igitur, dicente etiam Angelico, *violentiam quamdam importat;* violentia autem dicitur, cuius principium est extra se.

1328. — Raptus definitur a Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 21: « Violenta motio spiritus, qua subito mens hominis rapitur, vel extra finem suae inclinationis, vel extra naturalem suum modum operationis. — Quae definitio differentiam raptus ab extasi manifeste demonstrat, quia ad raptum requiritur subita et violenta motio spiritus: ad extasim vero nulla concurrit violenta motio aut impulsus. In raptu

etiam patitur sensus ex subita et violenta motione spiritus: in extasi sensus non patitur, sed ex intima occupatione spiritus perditur et alienatur ».

1329. — Et addit: « Raptus igitur saepius fit in homine in diversa occupatione (licet fiat interdum recollecto), et tunc repentino et improviso motu spiritus violenter in divinum obiectum rapitur; ex qua quidem subita mutatione adeo turbatur et pavescit, quod ei, neque in terra, neque in coelo consistere, sed per supernam manum in aëre esse suspensum videatur ».

1330. — Item: « Impulsus raptus est adeo subitus, et violentus, quod non solum animam terreat et tremere faciat, sed etiam corpus a terra paululum elevet, et frequentius illud in terram proiicit ».

1331. — Item: « Instrumentum quod hunc rarissimum effectum operatur... est lumen vivum et efficax, una cum ardenti flamma charitatis, quibus veluti compacta fune Deus ad se repentino motu spiritum trahit; utpote ad exemplum magnetis, qui illico ac ferrum contingit, illud velociter sibi subripit ».

1332. — **Divisio raptus.** — Triplicem raptum existere docet Angelicus, qui, 2. 2, q. 175, a. 3, ad 1, ait: « Dicendum, quod mens humana divinitus rapitur ad contemplandam veritatem divinam, tripliciter. Uno modo, ut contempletur eam per similitudines quasdam imaginarias. Et talis fuit excessus mentis qui cecidit supra Petrum. Alio modo, ut contempletur veritatem divinam per intelligibiles effectus; sicut fuit excessus David, dicentis: Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Tertio modo, ut contempletur eam in sua essentia. Et talis fuit raptus Pauli et etiam Moysis ».

1333. — Et Rich. a S. Victore, Beniamin maior, l. 5, c. 19, dixit: « Ascendit autem aliquando (mens) supra sensum corporalem, aliquando etiam supra imaginationem, aliquando vero supra rationem. Quis autem illam quae supra sensum corporeum, seu illam quae supra imaginationem est negare audeat, cum illam etiam quae supra rationem est apostolica illa auctoritas convincat? Scio, inquit, hominem, etc. ».

1334. — Porro de triplici raptu ab Angelico descripto, dicendum cum Comp. Scaramelli: « *Primus modus*, quo anima in Deum rapi potest est minus perfectus, et ad orationem unionis non pertinet; *secundus*, primo perfectior et nobilior, iste est unionis orationis gradus, de quo hic sermonem faciemus; *tertius*, omnium nobilissimus et perfectissimus, non animabus in hac lacrymarum valle degentibus, sed iis solum est proprius, quae peregrinationis suae terminum in beata patria iam attigerunt. Consistit in visione beatifica. De hoc raptu hic non agitur, quia hominibus viatoribus non conceditur » (quidquid sit de casu aliquo omnino extraordinario, de quo agunt Theologi).

1335. — **Raptus infimus.** — Et addit: « Licet raptus infimi gradus ad orationem unionis, ut iam diximus, non pertineat, attamen, quid sit hic breviter exponemus, ut, cognito uno, alius, de quo postea, facilius dignoscatur. — Raptus igitur infimus et minus perfectus consistit in mentis excessu, quo anima cum violentia a sensibus externis abstrahitur et ad visionem imaginariam convertitur. Violentia ista non infertur voluntati sed intellectui, ita ut anima perfecte maneat libera. Et licet Deus in raptu, violenta luce, quam intellectui infundit, animam ad se rapiat, relinquitur tamen voluntati tantum libertatis, quantum ad operandum cum merito requiritur ».

1336. — Et addit: « In hoc raptu sensus exteriores perduntur, non autem interiores, phantasia videlicet et in omni suo actu ab ea pendens appetitus sensitivus... Talis fuit raptus S. Petri dum in lintei mystici visione absorptus haesit; talis fuit raptus S. Ioannis, cuius imaginariae visiones in Apocalypsi referuntur; tales etiam raptus multorum prophetarum. — Raptus isti proficientibus sunt proprii et quandoque, licet raro, incipientibus conceduntur ». Et aliquando etiam valde perfectis conceduntur, « praecipue si aliorum institutioni deserviant ».

1337. — **Raptus perfectus**, qui proinde solis animabus quae ad unionem amoris iam elevatae sunt conceditur, consistit, teste eodem Comp. Scaramelli, « in mentis excessu, quo anima cum violentia a sensibus tam externis quam internis abripitur, et ad transformantem et mysticam amoris cum Deo unionem elevatur ». In hoc statu anima per intellectum spiritualem in Deo sublimiter defixa, et purissimo spirituali amore ei unita manet.

1338. — Et addit: « Raptus iste perfectus animae in Deum, sicut alii, ut iam diximus, perfecti orationis infusae actus, ultra horae dimidium, iuxta S. Gregorii et aliorum doctrinam, non protrahitur. Hoc autem de summo et sublimi momento raptus intelliges, in quo omnes animae potentiae in Deo sunt unitae, quia per intervalla intellectus ad se redire et phantasia tunc coelestibus visionibus occupari potest (1), quin voluntas ab unione mystica se-

(1) Hisce prae oculis habitis, facile intelligitur sensus sequentis doctrinae Ant. a Sp. Sancto, tr. 4, d. 1, s. 12: « Repentinus hic animae raptus talis est, quod extra corpus deferri videatur, vel saltem iudicari non potest cum Apostolo, *utrum fuerit in corpore vel extra corpus*. Ipsi apparet, quod ad aliam

paretur et status raptus cesset. Quando postea istae potentiae, gratia Spiritus Sancti attrahente, denuo in Deo suspenduntur, anima ad unionis et raptus summum revertitur. Sic potest horas et dies integros in statu raptus, extasis et unionis perseverare, per intervalla scilicet, licet summitas huiusmodi contemplationum ultra horae dimidium non protrahatur. Et si de quibusdam sanctis relatum legimus, eos in raptibus suis perfectis, imaginarias habuisse visiones, hoc in intervallis accidisse admittere debemus ».

1339. — Et monet: « Anima quum prima vel secunda vice hos raptus experitur effectus, timida

regionem multo differentem ab ista fuerit translata, in qua lucem clarissimam et diversae rationis a nostra, et tot alia mira videt, quae, etiamsi per intellectum vel imaginationem diu cogitando vellet illa fingere et efformare, nullo modo posset. Haec coelestium arcanorum manifestatio non fit per visionem intellectualem, sed per imaginariam, qua clarius videt anima, quam oculis corporeis, et absque verbis ei prolatis multa conspicit. Videt aliquando Sanctos aliquos, quos cognoscit, quasi diu cum eis egisset. Contingit etiam aliquando, quod imaginariae visioni coniungatur intellectualis, qua videt Angelorum Dominum notitia quadam mirabili absque eo quod oculis corporeis quidquam videat. Est tamen magna differentia, quando visio est tantum imaginaria. Nam tunc transacto raptu, potest anima de arcanis, quae vidit, loqui. Sic enim illa obiecta memoriae manent impressa, ut nunquam ab ea deleantur. At quando visio est intellectualis, ligantur et suspenduntur potentiae, et soli Deo manent unitae cum quadam generali notitia ipsius Dei. Unde si aliquid in particulari sentiunt, vix possunt illud dicere et multo minus exprimere. Sunt enim ea, quae vidit, tam sublimia, quod *de eis non licet hominibus loqui,* ut ait Apostolus de his, quae in mirabili suo raptu viderat et audierat; quia solum sensibilibus et terrenis assueti vel ea non credent, vel saltem non capient. Sunt tamen aliqua sic intellectualiter percepta, quae possunt explicari ».

est, et magnus ei opus est animus ut sine resistentia in Dilecti sui brachia se coniiciat. Violentiae raptus resistere ordinarie non prodest: siquidem Deus homine est fortior. Aliquando tamen, si anima ex impulsu humilitatis vel ob alium finem sanctum resistit, Deus indulget, et a violenta ista operatione cessat. Tunc autem anima eosdem in se experiri solet effectus, ac si amore plenis divini Sponsi sui violentiis adhaesisset ».

1340. — **Dignitas unionis raptus animae in Deum**, ita exponitur ab Ant. a Sp. Sanctu, tr. 4, d. 1, s. 12: « *Haec oratio raptus superior est oratione recollectionis et quietis, et etiam oratione unionis ordinariae, et habet effectus multo excellentiores.* In unione ordinaria possumus spiritui resistere, quia compotes nostri sumus, quamvis aliquando propter eius vehementiam difficulter resistatur. Sed in raptu nullum penitus aut vix ullum est remedium resistendi; venit enim tam improviso, vehementi ac accelerato impetu, quod statim absorbet et a sensibus alienat. Contingit namque aliquando, quod anima alicuius verbi, quod audivit a Domino, recordata, vel memor alicuius gratiae sibi factae, vehementer ardeat, et crescente paulatim amoris scintilla, sursum ad Deum, sphaeram et centrum suum, cum impetu tendat et rapiatur, secum etiam aliquando ferens e terra corpus. Quae corporis sublevatio aliquando etiam fit ministerio Angelorum, ut accidit Habacuc, quando arripuit eum Angelus et Babylone constituit. Quo casu anima magno timore concutitur et in admirationem rapitur, cum sine consensu suo a sensibus abstrahitur, et in luce et igne amoris, quem nescit, tam mirabiliter ponitur. Ante enim motum hunc repentinum non certo persentitur Deus. Et

quando magni sunt impetus amoris, non potest eis resisti ».

1341. — **Regula ad discernendum verum raptum a falso,** iuxta Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 21 : Igitur ad discernendum verum raptum a falso, aliqua debemus signa praebere, quandoquidem inexpertis erit valde difficile. Sit **primum,** quod in vero raptu datur animae magna certitudo, ei experimentaliter inhaerens, quod a divino spiritu rapta sit, ita ut nullus remaneat ambigendi locus, vel timor. Quod secus evenit in raptu diabolico : in eo quippe anima concipit pavorem, timorem, et molestam formidinem, mixtam tamen cum vana securitate raptus, et sui ipsius aestimatione.

1342. — Et licet bonus spiritus etiam inter illam firmam quam praebet securitatem, aliquem illusionis timorem immisceat, sed est valde diversus timor in utrisque : quia timor procedens ex daemonis illusione est inquietus, horridus, pavorosus, lubricus, et gravis ; timor autem a bono spiritu emanans est timor quietus, resignatus, humilis, et levis. Hinc nascitur timor ex propriae vilitatis consideratione, qua anima se se indignam reputat divini favoris, quin ullo modo timor iste humilis minuat securitatem, quam bonus spiritus animae confert.

1343. — **Secundum.** In vero raptu, ut ait S. Theresia, in Vita sua, cap. 20, « cognoscit anima se in Deum per altissimum modum esse transformatam, qua intelligentia perseverante, nulla potentia sentitur ». Hoc est, modum transformationis ignorat, quia nihil distinctum clare percipit. Quod quidem in raptu daemonis ficto evenire non potest : tum quia nulla transformatio intima in Deum sentitur, sed quaedam dulcedo et amor superficialis, et sensibilis, et materialis ; tum denique quia timor pavo-

rosus dilatatur, et magis ac magis augetur: secus in vero raptu, ubi timor semper minuitur.

1344. — **Tertium.** Quod in vero raptu nulla visio imaginaria habet locum, cum, dum anima raptum patitur, omnino abstracta est a sensibilibus formis, et phantasmatibus, ut expresse docet D. Thomas... Et quamvis Seraphica Mater Theresia concedat in raptu aliquas visiones imaginarias, raptus ille de quo loquitur, non est proprie et stricte raptus, sed deliquium, quod quidem raptum vocat, quatenus in eo etiam anima aliquo modo rapitur, et a suo rudi modo cognoscendi in alium sublimiorem confertur; in quo raptu possunt ingredi imaginariae visiones. Quod manifeste patet ex ipsius Seraphicae Matris verbis; ait enim: *Cum anima consistit in hoc raptu.* Et paulo infra subiungit: *Itaque in hac oratione deliquii, seu de arrobamiento.*

1345. — In vero autem raptu stricte sumpto, nullae admittuntur formae imaginariae, cum essentialiter consistat in abstractione ab omnibus formis sensibilibus, ut ex D. Thoma constat, et docet experientia. Propterea si in raptu, quem anima patitur percipit imaginarias formas, vel visiones; raptus non est, sed deliquium (1). Visiones imaginariae quae a vero raptu excluduntur, illae sunt, quae fiunt per species imaginarias et sensibiles, licet obiecta spiritualia sint, puta, Dei, Angelorum, aut animarum; non autem illae, quae, licet sint circa obiecta materialia, fiunt per solas species intelligibiles et spiritualissimas.

1346. — Denique potest (magister) verum raptum a falso discernere per statum animae raptae, quia

(1) Vide tamen opportunum monitum Comp. Scaramelli, supra, n. 1338, cum nota Ant. a Sp. Sancto.

raptus est communicatio status perfecti. — Haec *Lopez Ezquerra.*

1347. — Ant. a Sp. Sancto optima monita tradit circa discretionem in iudicandis raptibus. Ait enim: « *Raptus potest accidere ex causa naturali,* ut accidit in illis, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. Potest etiam nasci ex causa corporali, ex spasmo et ebrietate et ex medicamentis somniferis et ex lassitudine in oratione vel nimio studio. Exsiccatis namque spiritibus vitalibus, destituuntur sensus suis functionibus. Similiter causari potest ex humore crasso impediente fluxum spirituum. *Potest etiam contingere virtute daemonum,* ut patet in arreptitiis. Non enim est super vires daemonum, magos et sagas in extasim rapere, impedientes sua vi naturali spiritus, ne defluant ad exteriores sensus. Unde impedita sensatione extatici sunt. *Potest etiam contingere virtute divina,* cum aliquis a Divino Spiritu elevatur ad aliqualia supernaturalia cum abstractione a sensibus, iuxta illud Ezech. 8: *Elevavit me spiritus inter coelum et terram et adduxit me in Ierusalem in visione Dei* ».

1348. — Et addit: « Quomodo autem distinguendum sit, *an raptus procedat a causa naturali, vel a malo spiritu, vel a divino,* maius est dubium. Respondeo tamen, *id colligi ex eius effectibus.* Unde quando quis elevatur ad superiora cum oblivione eorum, quae retro sunt, ut contemplationi vacet, signum est, talem raptum esse a Deo. Et idem dicendum est, quando ex iubilo interiori exterius manifestatur gustus spiritualis et dulcedo, quae totum corpus concutere videtur. Unde quidam lacrymis, vocibus, suspiriis indicant illam spiritus dulcedinem et internam amoris violentiam; alii gestibus dicuntur saltare et discurrere, canere, manibus plaudere, membris tremere,

et similibus, quamvis in his saltibus et huiusmodi actionibus videndum est, an sint ordinati vel inordinati. Si ordinati, possunt esse a Spiritu Dei. Et sic saltantes vocantur iubilarii. Verba vero erumpentes appellantur eruptores. Si motus vero sint inordinati, suspecti esse debent ».

Sponsalia animae cum Deo in unione raptus.

1349. — **Notio sponsalium mysticorum.** — Dicendum in primis cum Angelico, *in Cant. Cant.* c. 3, *Veni de Libano, sponsa mea:* « Vocat ergo Sponsus sponsam suam candidatam baptismo, et dealbatam nitore omnium virtutum, fragrantem studio sanctarum orationum. Vocat eam ut veniat, id est, ut virtutibus proficiat; non enim solum vocat Deus animam quando eam a vinculis corporis exutam ad coelestia praemia ducit; sed etiam cum per internam inspirationem ut in virtutibus proficiat, hortatur: quot enim virtutibus sancti proficiunt, quasi tot passibus ad ipsum tendunt. — *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Sororem et sponsam suam... dicit, quoniam ex ancilla sororem sibi esse constituit, et dote Spiritus Sancti pignoratam sponsam sibi efficit ».

1350. — Teste S. Ioanne a Cruce, Cant. sp. 14 et 15: « In isto spirituali volatu raptus supra exposito, denotatur quidam status et unio amoris sublimis, ubi post diuturnam spiritualem exercitationem Deus solet animam collocare; quem statum appellant mystici desponsationem spiritualem cum Verbo Filio Dei ».

1351. — « Deus enim, ait Comp. Scaramelli, dilectas quasdam animas in sponsas solet assumere,

et in oratione raptus sacra cum illis sponsalia, quandoque etiam cum exteriorum, qualia in terrenis sponsalibus adhibentur, signorum interventu, celebrare: prout S. Catharinae Senensi, S. Catharinae Virgini et Martyri et pluribus aliis contigit, quibus in amoris et mutuae fidelitatis signum, Deus annulum in digitum misit ».

1352. — Gradus iste vocatur etiam *unio illapsus passivi, osculum, castus amplexus;* dicente Schram, § 318: « Unio illapsus passivi merito vocatur sponsalitium, osculum, et castus amplexus, quae sponsis congruant, nec est, cur abstineamus a metaphoricis his illusionibus amatoriis, quibus sancti, mystici, et S. Scriptura ipsa utitur, quia dum homines sumus, humano modo, qui amorem Dei magis exprimat, loqui debemus; cavendum tamen, ut quantum fieri potest, verba et conceptus a faece humanae corruptionis depuremus, quia uti monet S. Theresia (in Cast. an. mans. 4): In praesenti nihil unquam est non spirituale, atque totum hoc corporeum procul longe est, et deliciae spirituales a Domino concessae, gustusque proprii sponsorum inter homines discrepant mirum in modum: hic enim totum est amor cum amore, operationesque defaecatissimae, atque ita delicatae nimium et suaves, ut dici solum queat, scire Dominum quam bene facere illas sentiri » (1).

(1) Et hic opportune notandum cum Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 27: « Haec desponsatio mystica, licet regulariter celebretur cum anima iam penitus purgata, ac ab uberibus terrenae consolationis avulsa, omnibus virtutibus ornata, atque a commercio sensuum et materialium formarum absoluta; videmus tamen, et legimus nonnunquam cum puellis et infantibus celebratam fuisse; quia cum Deus sit favorum suorum Dominus, dum futuram animae sanctitatem praevidet, suus amor quasi morae

1353. — **Divisio sponsalium.** — Teste Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 27, *triplex est spiritualis desponsatio:* « Prima per fidem et charitatem ceterasque virtutes, quae a radice gratiae sanctificantis procedunt: secunda est per religiosam professionem, aut per specialem et perpetuam sui ipsius oblationem: tertia denique per mysticam atque altissimam Dei communicationem. — **Prima** desponsatio animae fit in baptismo, quo per donum gratiae sanctificantis, ut ait Petrus, efficitur divinae consors naturae, ibique virtutes et dona quasi futuri matrimonii arrhas recipit, simulque pretiosa veste innocentiae, et annulo fidei subarrhatur.

1354. — « **Secunda** desponsatio per propriam et spontaneam traditionem fit; cum nimirum anima sese spondet Deo, atque divino eius cultui, amori, et obsequio se tradit. Quod quidem fit specialius per religiosam professionem, vel ecclesiastici status electionem (scilicet in subdiaconatu).

1355. — « **Tertia** desponsatio per altissimam Dei communicationem fit, cum Deus animam per specialem mentis elevationem, et intensissimum ardorem charitatis sibi coniungit et copulatur, atque de ardenti cum illa se perenniter uniendi desiderio compotem facit, spondens scilicet ac promittens se cum illa spirituale matrimonium habitualiter initurum ».

impatiens, in exordio vitae aut perfectionis, optatum et praevisum matrimonium per actum desponsationis indicit. Propterea de aliquibus foeminis legitur, quod Puer Iesus eis in infantili aetate apparuerit, et vel solus, vel coram Beatissima Maria Matre sua et Regina nostra, manum Sponsi placide obtulisse... Aliis vero, ut Catharinae Alexandrinae, in iuvenili aetate... Aliis denique, ut Theresiae in virilitate, aut senectute ».

1356. — **Dispositio ad unionem illapsus** seu ad sponsalia sive ad desponsationem mysticam, iuxta Schram, § 319, duplex est: **Prima.** *Praesentia Dei in nobismetipsis.* « Licet vero unio contemplativa illapsus passivi sit donum Dei gratuitum nec in ea essentialiter perfectio christiana consistat curandum tamen est, ut anima perfectionis cupida ad eam, tamquam illi convenientissimam, cum divina gratia se disponere studeat. Unde, praeter dispositiones alibi ad omnem contemplationem assignatas, nonnullas hic assignare iuvat. Quarum prima est praesentia Dei per fidem de eo intra nosmetipsos illapso, quae optima ad contemplationem illapsus dispositio, vel saltem eius supplementum esse potest ».

1357. — Unde merito scribit Hugo a S. Victore, l. 3, de Anima, c. 48: « Satage Deum tuum intime et summe diligere, et omni hora in divinae contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare. Collige teipsam ad temetipsam: et in solo Divinitatis desiderio requiesce ». Et S. Theresia, in Vita perf., c. 28: « Bene percipite, multum vestra interesse, pro certo habere, quod Dominus sit intra vos ipsas, et quod ibi cum eo maneamus ».

1358. — **Secunda.** *Praesentia Dei in creaturis.* « Altera dispositio ad unionem contemplativam illapsus, addit Schram, est eadem Dei praesentia per fidem, prout in omnibus creaturis extra nos diffusa, cognita ».

1359. — Unde rite dixit Richardus a S. Victore, c. 3, de Grad. charitatis: « Nunc quaeso, mi Severine, reduc oculos ad haec inferiora, et vide, quae videntes plerique non vident; et adverte, si non cuncta, quae vel nobis in prosperis serviunt, vel contra nos serviunt in adversis, quaedam non sint

charitatis calcaria, urgentia quodammodo ad cursum amoris ».

1360. — Et devotus Blosius, in sua Inst. sp. cap. 3, opportune hortatur : « Convertat se asceta in se, et habitet intra se : ibi enim Deum revera invenire poterit : nam Deus, qui ubique est, in mente humana, et nudo animae fundo singulariter est. Felix vero est, cui Deus adest, non solum per essentiam, sicut quibuslibet creaturis adesse creditur, sed etiam per gratiam... Igitur asceta indubitanter credat, invisibilem Deum iuxta et intra se esse, cum sancto timore, cum reverentia et humilitate ante oculos eius tamquam casta sponsa stet... Ita Domino intendat, omnibus aliis a se exclusis, quasi ipsam Dei essentiam coram cerneret, nihilque usquam praeter Deum et se esset. Concludat se in Deo, et in eo tamquam in conclavi coelove habitet. Gaudeat et exultet, quod eum tam facile in se invenire possit, quodque talem ac tantum thesaurum intra se habeat ; illum autem in se invenit, quando eius reminiscitur ; sed praeclarissime eum in se inveniet, quando ad nudum animae suae fundum pertingere possit ».

1361. — **Actus et modus sponsalium.** — Ant. a Sp. Sancto, tr. 4, d. 4, s. 1, ita de mysticis hisce sponsalibus scribit : « Sponsatio non consistit in unione affectus, nam haec communis est omnibus illis, qui sunt in charitate, sed *consistit in unione reali, quae fit per illapsum Christi in anima,* non in centro illius, sed *in superiori illius parte,* non per modum habitus, sed *per modum actus.* Ratio est, quia unio, quae datur in sponsalibus, non omnino perfecta est per modum habitus, sed est quaedam unio inchoata et imperfecta, ut ait Vallgornera (quaest. prooemial. art. 9, n. 11). Sed talis est haec unio

realis, quae non est per modum habitus; ergo in illo consistit sponsalia spiritualia ».

1362. — Et addit: « Hinc fit, quod cum in sponsalitio non fiat totalis transformatio animae cum Deo, sed tantum anima adducatur ad illius realem praesentiam et ad amplexum, quando anima cognoscit, se ad Deum appfoximari et iam amoris brachiis a Deo adstringi eique uniri, nihil omnino sentit, quia tunc omnes potentiae consopitae et absorptae manent, et anima quasi caeca, muta et sine ullo interiori sensu videtur remanere; ita ut pro tunc nulla ratione possit sentire aut intelligere, quale aut quantum sit illud bonum, quo fruitur. Ita N. M. S. Theresia (Mans. 6, cap. 4), ubi ait, quod *quando hoc sponsalitium celebratur, anima extra se rapitur et manet absque sensibus, quia si sentiret, se esse Deo unitam et praesentem divinae maiestati, forte e vita discederet* ».

1363. — Item: « Cum haec unio sponsalitia non plurimum duret, sed vix ad horam mediam pertingat, ut N. M. S. Theresia (cap. 8 vitae suae), anima ad se reversa divina illa familiaritate et amplexu Dei animata, iterum atque iterum ad osculum praeteritum Sponsi adspirat, dicendo cum sponsa Canticorum (Cant. 1, 1): *Osculetur me osculo oris sui.* Hoc est, ardentissimo amore desiderat illius praesentiam et amplexum. Deus autem videns hanc animae anxietatem, iterum ostendit ei faciem suam et ei osculum porrigit. Et ne desiderio tabescat, gustu suae suavitatis lenit, et dum suam praesentiam iterum exhibet, eam ad maius dilectionis osculum accendit. Sic multoties Sponsus a sponsa recedit, vel ad sedulitatis experimentum, vel ad amoris probationem, vel ad augmentum meriti ».

1364. — « **Primus actus desponsationis** (ut anima compos fiat) aliquando fit sensibus per externam visionem; interdum phantasiae per imaginariam; et plerumque intellectui per spiritualem et intellectualem repraesentationem: semper autem in se continet altissimam coelestis Sponsi notitiam, et ardentissimum amorem, una cum ingenti Sponsi desiderio; cuius effectus sunt prorsus mirabiles, quatenus anima ita manet ad Deum conversa et a creaturis aversa, quod inter eas vivere et conversari poenosius ei sit ipsa morte » (Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 27).

1365. — « Haec omnia, quae nequit daemon sua malitia effingere, debet director attente observare, ne in re tam magni momenti decipiatur; quamobrem nõn ad visionis corticem, sed ad medullae effectum recurrat. Potest enim diabolus aliquando se in Angelum lucis transfigurare, visionemque externae desponsationis effingere; animum magna et sensibili delectatione perfundere; manum mentiti Sponsi protendere, et divini matrimonii consortium callide promittere; effectus tamen praedictos [et fructus de quibus in num. sequenti] non poterit imitari: unde eis magis quam visioni innitatur magister, simulque statum animae perpendat, in quibus difficile poterit errare » (Ibid.).

1366. — **Fructus sponsalium mysticorum.** — Iuxta Comp. Scaramelli sex numerantur: « Fructus sponsalium unionis quos anima, postquam ad sensuum usum est reversa, in se experitur, in spiritualium bonorum consistunt multitudine, quibus adeo exornatur, nobilitatur et renovatur, ut sibi ipsi non amplius similis videatur. *Primo*, propter notitias, quas in suis raptibus accipit, relinquitur in ea non solum sublimis cognitio ac ingens existimatio divinae magnitudinis, sed simul etiam adeo vivus in eum

amor, ut in dilectione eius tota destrui et consumi cupiat. *Secundo,* relinquitur vilissima idea et omnigenus sui ipsius contemptus. Nam, quum divinam ob oculos habeat magnitudinem, necessario etiam propriam debet agnoscere miseriam et vilitatem, et hoc magis quam in ullo alio orationis infusae gradu. *Tertio,* relinquit ista sublimis unio singularem ab omnibus terrenis avulsionem, ita ut anima omne quod Deus non est abhorrere videatur. Molesta ei redditur vita; quidquid audit vel videt ingens ei creat fastidium; lassatur comedendo, affligitur dormiendo, taedet eam cum proximo conversari, nisi conversatio in divini sui Sponsi tendat gloriam. *Quarto,* relinquit in anima fortitudinem singularem, vi cuius sese occasionibus, quae antea distractiones et damna creabant, sine periculo, quando utilitas vel necessitas quaedam hoc postulat, exponere potest. *Quinto,* remanet in anima ingens pro Sponsi sui honore zelus, magna pro eo patiendi cupido, et eximium in eius obsequium et gloriam magna operandi desiderium. *Sexto,* manet anima cum omnibus suis tam exterioribus quam interioribus potentiis ad Deum conversa, ita ut cum Apostolo dicere possit: *Vivo autem iam non ego; vivit vero in me Christus* ».

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Teste S. Damasceno, Ipsa est: Abyssus miraculorum ad se cum fide recurrentium, a peccatorum abysso liberans eos.

Mariam invoca. — O Maria Immaculata, quae ab eodem S. Damasceno merito dicta es: Adiutrix firmissima versantium in necessitatibus et periculis; adiuva me, ora pro me.

Mariam laetifica. — Filiali recursu ad benignissimae huius SS. Matris pietatem. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. XI.

DE DECIMO CONTEMPLATIONIS GRADU SEU DE MATRIMONIO SPIRITUALI.

1367. — **Notio matrimonii mystici seu spiritualis.** — De altissimo hoc contemplationis gradu multa et sublimia docent doctores, ex quibus **Lopez Ezquerra**, qui inter alia haec, tr. 5, cap. 28, habet: « Matrimonium spirituale et divinum, non tam excelsus et divinus favor est, quam altissimus status innumerabilibus et divinis consitus favoribus, quandoquidem est illa camera coelestis Sponsi omnibus pretiositatibus filiae Regis ab intus perornata. Lectus floridus miris Dei osculis et amplexibus constipatus... Hoc spirituale matrimonium in praesenti initiatur vita, ut in futura prorsus perficiatur ».

1368. — **Matrimonium spirituale definitur** ab eodem, ibidem: « *Quidam specialissimus et prae caeteris omnibus altissimus et suavissimus Dei contactus, quo anima secundum omnes suas spirituales potentias sublimiter elevata et disposita, ita intime et totaliter unitur Deo, quod aliquo saltem modo deiformitatem induisse videatur.* Cuius videndi Deum altitudo, cuius apprehendendi securitas, et cuius fruendi delectatio, ut ait Seraphica Mater: *Nulli alii nisi coelestis patriae statui valet comparari.* Adeo enim anima adhaeret Deo, quod ut Ioannes testatur: *Unus spiritus fit cum eo.* Cuius unionem pulchre comparat Theresia: *Guttis pluviae in vastissimo mari defluentibus, quae ita pelagi aquis miscentur, quod nullus ambas possit amplius distinguere et separare* » (1).

(1) **Angelicus sublimem fidem, inseparabilitatem, et prolem spiritualem agnoscit in matrimonio mystico.** Ait

1369. — **Dotes huius sponsae** sapienter describuntur a Vallgornera, q. 4, disp. 2, a. 6, n. 3-13, ex variis locis D. Thomae: « Ut illa virgo sit nobilis... de nobilitate spirituali... — pulchra... de decore spirituali. Et hic decor est pulchritudo iustitiae... — ornata... divina sapientia et charitate... — gratiosa... amabilis... affabilis... sic virgo quae debet duci in matrimonium spirituale sola una cura debet illam sollicitare, regem suum nimirum Christum amare, ipsum obsequi et blanditiis delinire; — fidelis suo sponso Deo et Christo... ex toto corde... ex tota anima... ex tota mente.... — fecunda... omnes actus procedentes in ipsa a charitate vocantur filii eius; — prudens et fortis... ».

1370. — **Hoc matrimonium spirituale seu divinum vocatur etiam transformatio passiva**, de qua scribit Schram, § 321: « *Transformatio passiva mystica*

enim, in opusc. 61, cap. 13, edit. romanae: « Tantum res significata praecellit signum, tantum amor et unitas Dei ad animam, amorem sponsi ad sponsam, animae ad Deum, sponsae ad sponsum. *Sacramentum enim magnum est: ego autem dico...* inter Deum et animam. Vide hoc evidenter. Tria sunt bona matrimonii: fides... inseparabilitas... proles... Sed in hoc coniugio fides inviolabilior, inseparabilitas maior, proles utilior. **Fides inviolabilior** Dei ad animam. *Ose.* II, *Sponsabo te mihi in fide. Cant.* II, *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Quinimo fidelior est sponso omni qui fidelis est... Sed obiicies: Non sola solius, unica unici, cum scriptum sit, *Qui amas animas* quasi unam, sed plures. Sed scriptum est, *Act.* IV, *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Numquid propterea sponsus non unam sponsam amat, si in ipsa caput et manus et pedes et caetera membra diligat?... Sic miro modo Deus te, o anima mea, diligit, totus totam, ut non minus diligat te diligens tecum et aliam... — Item: **Inseparabilitas maior.** Illi enim duo unum carnaliter effecti inseparabiliter dicuntur, quia dum

est supremus contemplationis gradus, per quam anima mystice mortua et annihilata, Deo in eam specialiter illapso illi in centro et fundo suo, ac mentis apice intime unitur, divini amoris incendio undique circumdatur, intime penetratur, et usquequaque inflammatur, ut seipsam quasi exuat, et in omnibus suis potentiis spiritualibus, quin etiam suo modo in materialibus, operationes extraordinarias sentiat, quae nonnisi Deo, anima tamen consentiente, intime praesenti et pacem satiativam cordis et mentis afferenti tribui possunt, ita ut divinum quemdam affectum induat, in Deo vivat, et in eum quasi mutetur et transformetur. ».

1371. — Et addit: « Unde sequitur, quod anima in omnibus suis potentiis extraordinarias Dei operationes, consentiendo tamen, intelligendo, et amando, uti dictum est, sentiat: et Divinum quemdam affe-

vivunt, nequeunt separari, sed et necessario separantur, quia necessario moriuntur... Verum inter te, o anima mea, et Deum matrimonium, quod in baptismo initiatum, in bona vita ratum, in patria fuerit consummatum, post illius unius primum consortium impossibile est divortium. Verumtamen et modo dic cum Apostolo: *Rom.* VIII, *Quis nos separabit a charitate Christi?*... Caeterum quod coniungitur, et rapto et unito congruit: *Certus sum quod neque mors, neque vita... poterunt nos separare a charitate quae est in Christo Iesu.* — Item: **Proles utilior** et multiplicior, bonorum scilicet operum. Fecundat enim sponsus sponsam, Deus animam per gratiam. Progrediturque proles ab ambobus unitis... Sic et proles operum non a gratia sola, nec a libero arbitrio solo, sed a libero arbitrio vel voluntate ut a principio materiali et incompleto, a gratia vel a Deo ut a completo vel formali, et ideo principali... Haec utilis proles quae matrem non perimit, sed et vitam aeternam acquirit:... si prius forte filius laboris, postmodum filius gaudii et honoris ».

ctum induat, in Deo vivat, et in eum quasi transformetur, quod nonnullis exemplis materialibus mystici apud Gerson declarare solent, nempe : sicut ferrum igne candens in ignem transformari videtur, ita ut retento suo esse materiali ferri, ab igne intime suscepto veluti ignis reddatur, et sicut aër illuminatus in lucem, aqua dolio vini immissa in vinum, et ferrum ex affrictu magnetis, in magnetem, retenta sui natura, quasi convertitur, sic in praesenti, in isto unionis gradu, anima, in sano sensu, in Deum suum transformari dicitur ».

1372. — **Mirabilia huius matrimonii.** — Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 28, ait: « Ibi anima divinis iam amplexibus fruens, illud oris Sponsi osculum concupiscit... Inter flammas divini amoris, quibus liquescit, adeo dilatari et extendi vires suas cognoscit, quod putat se quodam modo immensitatem induisse... Cognoscit clare, voluntatem suam maiori capacem esse latitudine, quam intellectum : totum siquidem illud universale et incommutabile bonum amplectitur, et hoc quidem eo capacius, quo suavis divini amoris oceano immergitur ; quod proprie est, ut ait Psalmista: *Introire in potentias Domini* ».

1373. — Et addit : « Nulla in hac mortali peregrinatione esse potest huic consimilis communicatio, nulla altius evolat, nulla sentitur suavior ; non solum terminos explicationis, sed etiam perceptionis transcendit. Ibi anima omnia sua Sponso tradidit, dum et ei (quasi bona essent communia) Sponsi bona traduntur ». Igitur felicissimae huic sponsae nihil amplius remanet, nisi « quod velamine Sanctuarii detecto, facie ad faciem intueri Sponsum et amplecti valeat. Intensius hic mortalis corporis sentit gravamen. Hic anima vitalis nexus captivitatem quasi dirissimis circumdata catenis dolet, et ingemiscit ; nulli

hic praeterquam huic dolori locus est; in caeteris vero solum viget deliciarum affluentia, dulcedinum exuberantia, et divinorum favorum copia, et denique quamquam vita vivit naturali, et abnoxia est gravibus peccatis, tamen super dilectum suum innixa, in eo spe secura conquiescit ».

1374. — S. Bernardus, serm. 83 in Cant. ait: « Talis conformitas maritat animam Verbo: cui videlicet similis est per naturam similem, nihilominus se ipsi exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit... Vere spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi, contractus; complexus est: complexus plane, ubi idem velle et nolle idem, unum facit spiritum de duobus ». Et serm. 85, addit: « Ergo cum videris animam, relictis omnibus, Verbo votis omnibus adhaerere, Verbo vivere, Verbo se regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo; quae possit dicere: Mihi vivere Christus est, et mori lucrum: puta coniugem, Verboque maritatam ».

1375. — Idem S. Bernardus, serm. 9 in Cant. ait: « Non ergo sic affecta et sic dilecta contenta erit omnino vel illa, quae multis per ea quae facta sunt, vel illa, quae paucis per visa et somnia facta est manifestatio Sponsi: nisi speciali praerogativa intimis illum affectibus, atque ipsis medullis cordis coelitus illapsum suscipiat, habeatque praesto, quem desiderat, non figuratum, sed infusum; non apparentem, sed afficientem; nec dubium, quin eo iucundiorem, quo intus, non foris ».

1376. — S. Bonaventura, in 7, Proc. Relig. c. 15, scribit: « Quamdiu istae animae potentiae non sunt ex toto Deo impressae, non est anima deiformis: forma enim animae Deus est, cui debet imprimi, sicut sigillo signatum ».

1377. — Richardus a S. Victore addit: « Saepe sub hoc statu, Dominus visitat, saepe interna suavitate satiat, spiritusque sui dulcedine inebriat. Saepe sub hoc statu descendit de coelis, saepe visitat sedentem in tenebris et umbra mortis, saepe gloria Domini implet tabernaculum foederis. Sic tamen suam praesentiam exhibet ut faciem suam minime ostendat » (De quatuor grad. viol. charit. col. 1218).

1378. — Hugo a S. Victore, de amore Sponsi ad sponsam, t. 2, col. 987, scribit: « **Sed quaeris quisnam sit iste talis sponsus, et quae sponsa eius?** Sponsus est Deus; sponsa est anima. Tunc autem sponsus domi est, quando per internum gaudium mentem replet; tunc recedit, quando dulcedinem contemplationis subtrahit. Sed qua similitudine anima sponsa Dei dicitur? Ideo sponsa, quia donis gratiarum subarrhata. Ideo sponsa, quia casto amore illi sociata. Ideo sponsa, quia per aspirationem Spiritus Sancti prole virtutum fecundanda. Nulla est anima quae huius sponsi arrham non acceperit; sed est quaedam arrha communis, quaedam specialis. Communis arrha est quod nati sumus, quod sentimus, quod sapimus, quod discernimus. Specialis arrha est quod regenerati sumus, quod remissionem peccatorum consecuti sumus, quod charismata virtutum accepimus ».

1379. — S. Theresia, in Cast. mans. 1, c. 1, ait: « Quando D. N. dignatur compati huic animae a se iam spiritualiter susceptae in sponsam ob ea quae patitur et passa est ob ipsius desiderium, consummaturus spirituale matrimonium, eam introducit in mansionem suam ».

1380. — Alvarez de Paz, ait: « Non est (haec visio) brevis et quasi transiens, sed satis longa et per multum tempus protracta: nam mensibus et

annis et usque ad finem vitae, non tamen in eadem intensione, in aliquibus iustis solet durare: unde et interdum per modum habitus datur, ut anima quoties voluerit se colligat ad Deum in interioribus suis, et Domino visione et affectione iuncta persistat » (De grad. contempl., l. 5, p. 3, c. 14).

1381. — **Diversitas inter sponsalitium, quod illapsui tribuitur, et matrimonium spirituale, quod transformationi assignatur**, ita describitur a Schram, § 322: « Diversitas est in hoc, quod quando habetur unio solius conformitatis voluntatum, sive per promissionem factam in Baptismo, sive in statu religioso, et sive in oratione communis contemplationis impleta, et in suo genere perfecta, tunc erit sponsalitium imperfectum: erit vero perfectum, quando per unionem passivae contemplationis illapsus supervenit tactus et visus spiritualis, quo anima dilectum suum experimentaliter sentit, saltem per unam, vel alteram potentiam, et ad desiderandam unionem totalem exardescit. Quando tandem haec unio totalis quoad omnes animae potentias et totam animam, uni amori Dei passivo vacantem, cum experimentali quasi tactu, et visu spirituali perficitur, tunc sponsalitium migrat in matrimonium spirituale, pro ratione viae perfectum, licet respective ad statum patriae dicatur potius ratum, quam consummatum ».

1382. — Et addit: « *Matrimonium hoc spirituale non verificari absolute in via, sed tantum comparative:* nam ut vinculum illius censeatur in substantia perseverare, non requiritur, ut per determinatos actus continuos, sed aliquando sufficientes, et morte non rescissos perduret, imo ut cum omni sua perfectione matrimonium perseveret, sufficit, ut per actus amatorios moraliter frequentes veluti coniugalis cohabitatio continuetur. Deinde matrimonium hoc per pec-

catum grave, ceu mortem animae, sicuti matrimonium carnale per mortem corporis solvitur: et fieri similiter potest, quod ob tepiditatem, vel ad probationem, fiat separatio non quoad vinculum, sed quoad thorum: interim tamen contemplativus in hoc gradu specialibus gratiis ad perseverandum in illo frequenter et singulariter a Deo donatur, ut multo difficilius sit, in illo ab amore Dei perfecto deficere, quam in aliis ».

1383. — De sublimi hac transformatione merito scribit Vallgornera, q. 4, disp. 2, a. 5, n. 2: « Praesupponendum ex doctrina D. Th. quod in via non est perfectum matrimonium spirituale, sed tantum consummatur in patria, ubi anima Deo penitus indissolubili nexu coniungitur, cum tamen hic unio qualiscumque dissolvi possit. Et etiam quia solum in patria communicantur perfecte animae dotes, quae sunt visio, dilectio et fruitio. Et in hoc sensu sunt intelligendi mystici doctores quando loquuntur de matrimonio spirituali ».

1384. — **Effectus matrimonii spiritualis** multi sunt et admirabiles, ex quibus octo describit Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 28, dicens: « Effectus huius matrimonii narrat B. Theresia, Mans. 7, c. 3, quorum *primus* est omnimoda in dilectum conversio, qua anima... quasi a corpore iam soluta, nihil praeter divinam fruitionem indigeret, sed non propterea necessaria corpori obsequia, et omnia quae Sponsi sunt praetermittit.

1385. — « *Secundus* est ingens patiendi desiderium, quo omnia tormenta, ludibria, aerumnas, et persecutiones quasi fragrantes flores iudicat, quibus Sponsi thalamus perornatur.

1386. — « *Tertius* est in omnibus persecutioni-

bus, aerumnis, laboribus, et infirmitatibus, incomparabile gaudium.

1387. — « *Quartus* est longe sublimior effectus, utpote quasi se ipsam deserens, tota se amati sui voluntati postponit; quod nimirum consistit in quadam inquerulosa conformitate, qua hoc ipsum quod ardenter cupit, nempe dissolvi et esse cum Christo, hoc pacifice et tranquille sustinet, et ad votum amati renuntiare disponitur.

1388. — « *Quintus* est perfectissima charitas per omnes suos gradus perfectissime ordinata, omnibus siquidem suum locum praestat; nihil alii... anteponit; totam vim dilectionis in Deum vergit; ipse solus cor eius possidet; ibi regnat Christus, totum pro eo stat habitaculum, licet servis suis, hoc est creaturis, loca sua debita destinet in corde; Deus autem ibi tamquam solus Rex imperat et regnat; creaturae tamquam servi, inferiora tenent loca; nihil amat extra Christum, et omnia propter Christum.

1389. — « *Sextus* est intimum desiderium solitudinis, et perennis in Sponsum conversionis, illa quidem speciosa deserti, qua coelestia pinguescunt, terrestria marcescunt... Quodsi interdum, vel utilitatis, vel necessitatis causa, ab ea paululum prosilit, illico sentit se a Sponso amatorie vocari, atque ad suarum deliciarum thalamum reduci.

1390. — « *Septimus* est, immutabilis atque imperturbabilis suavitas, dulcedo, devotio et delectatio, quin ei quidpiam obstet laborum et dolorum desiderium. In illis siquidem gaudet suaviter, et dulciter delectatur. Hic ab anima procul abest ariditas, perturbatio, taedium, et tristitia... Nec mors omnium amaritudinum amarissima, ullam profecto tristitiam affert, et quandoquidem pretiosa est mors sanctorum, sponsatae animae est pretiosa et dulcis; nullis igitur

eventibus perturbatur, nullis ambagibus fluctuat, nullis contradictionibus mutatur, utpote quasi de amati immutabilitate participans.

1391. — *Octavus* et ultimus est omnimoda sensibilium formarum (quoad divinam cognitionem) abdicatio, atque materialium favorum qui directe ad sensum ordinantur, perfecta cessatio. Quamvis enim huiusmodi anima per imagines devotas, vel per alia externa signa, vel per creaturarum contemplationem, ac sui Sponsi memoriam excitetur, statim tamen sensibilem corticem relinquit, et ad pure spiritualem eius cognitionem assurgit... In quarum sensibilium abdicatione formarum ingredi non debet Sacrosancta Christi Humanitas... — *Haec Lopez Ezquerra,* tr. 5, cap. 28. Vid. tamen supra, n. 957, seq.

1392. — Unde merito dixit Philip. a SS. Trinitate: « Omnes alii effectus praecedentium orationis unitivae graduum possunt unioni fruitivae attribui tamquam proprii, sed in quadam perfectionis eminentia quae in aliis gradibus non reperitur, et cum exclusione plurium imperfectionum quae in aliis gradibus inveniuntur. Alii quippe gradus unionis sunt quaedam dispositiones praeviae ad istum ultimum et in hac vita supremum ordinatae. Unde virtualiter ac eminenter omnes illos continens, omnium illorum effectus in praedicta perfectionis eminentia causat » (p. 3, tr. 1, d. 4, a. 6, t. 3).

1393. — Iuxta eumdem, alius ex effectibus « est maxima tranquillitas ac veluti immobilitas animae; sicut enim coelum empyreum non movetur ad instar aliorum inferiorum; sed est omnino immobile, sic anima, in centro sui collecta tempore orationis unionis fruitivae, manet velut immobilis et caret motibus illis quos in aliis gradibus patiebatur ». Alius « effectus est oblivio quaedam sui, quasi non esset; sic enim

anima in Sponso suo diligendo et honorando iugiter occupatur, quod sui curam totaliter deponat; unde pro se nec honorem, nec vitam... procurat, et quidquid ei accidit nullum fastidium afferre potest, nec ullo modo pacem eius turbare » (ibid.).

1394. — « **Actus inchoationis huius matrimonii**, sicut et desponsationis, saepe saepius fit per visionem imaginariam, licet, interdum per spiritualem fiat, ut affirmat Theresia. Per eam apparet coelestis Sponsus matrimonium hoc cum anima initurus, quam variis monilibus virtutum, donorum, et charismatum, sub insigne pretiosorum lapidum subarrhat et exornat », ait Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 28.

1395. — Et addit: « Hic altissimus huius divini matrimonii contactus, extra arbitrium recipientis militat, neque ab aliqua creaturarum mortalium potest habitualiter haberi, neque de illo potest dari habitus permanens, utpote a Deo gratis concessus, quem etiam animae plene dispositae ad libitum negare poterit. Sed quia adeo fidelis et charissimus est Divinus Sponsus, quod eum de semel concessa gratia non poeniteat, quinimo quoties anima divinum expetit amplexum, Sponsus se illi statim communicat; propterea matrimonium quasi status permanens ab omnibus habetur, quandoquidem sit auxilium transiens. Quod plane confirmat Seraphica Theresia his verbis: *Adeo Deus coniungi dignatur creaturae, quod sicut illi qui non possunt se ab invicem separari, ita Deus ab anima se separari non permittit* ». — Non tamen fit impeccabilis haec anima: unde in magna humilitate vigilet et oret (1).

(1) Schram, § 322, scribit: « Contemplativus in hoc gradu specialibus gratiis ad perseverandum in illo frequenter et singulariter a Deo donatur, ut multo difficilius sit, in illo ab

1396. — Item addit: « Denique quoad internam desponsatae animae directionem, fere nihil restat agendum magistro, quatenus ipse Deus efficitur eius director, et per seipsum eam elevat, regit, et ad sibi placidiora impellit... Magister debet huiusmodi animam in strictissima obedientia conservare, eiusque semper operibus attendere, ne forte aliquando propria voluntate aut levitate ducatur: nam licet communiter a Sancto Spiritu moveatur, non ita certum est, quod interdum a suo proprio captu non moveri possit; propterea necessaria est superintendentia magistri: maxime si ea quae operari intendit, vel prudentiae, vel statui opponantur; nunquam enim per solam animae relatam inspirationem in agendis procedat, sed per regulas prudentiae, quibus magis quam inspirationi attendere debet; haec enim multis fallaciis obnoxia est, illa vero est virtus cardinalis, sive cardo virtutum, et perfecta regula agendorum ».

amore Dei perfecto deficere, quam in aliis: imo Thomas a Iesu (l. 4, *de Orat.* c. 18, ad 8) putat, in hoc gradu animam per revelationem divinam reddi certam de statu gratiae, et suae perseverantiae: vel saltem sine speciali revelatione et certitudine, in gratia a Deo confirmari. Verum huic privilegio sine sufficienti fundamento asserto merito omnes reliqui mystici contradicunt ». — Card. Brancatus de Laurea, *Opusc. 8 de Orat.* c. 7, addit: « Nullus enim hominum per quoscumque etiam perfectos virtutis cuiuscumque, etiam frequentatos actus, evadit impeccabilis, nisi a Deo sit confirmatus in gratia... Aliquando ex specialissimo Dei favore anima contemplativa sic unitur Deo, ut unio illa ex eodem Dei favore inamissibilis sit; et sicut coniuges secuto matrimonio non possunt separari, ita Deo sic interdum favente alicui perfecto contemplativo, hic illi unitur, ut nunquam ab eo separetur, et haec unio usque ad exitum vitae perseverans commutetur de perfecta in perfectissimam, de amicitia et notitia cum obscuritate in evidentem, de temporali in aeternam in patria ».

1397. — **Signa in transformatione passiva seu matrimonio spirituali quaerenda**, sunt, iuxta Schram, § 323, 324: « *Primum signum transformationis: unio cum Christo Crucifixo...* Transformationis passivae fructus et signa nonnulla assignari possunt, quorum primum est, si anima intimis visceribus Christo Crucifixo uniatur ». Richardus Victor. (tr. de grad. viol. char.) ait: « In hoc statu supremo contemplationis, animae eiusmodi proponitur forma voluntatis Christi, unde et dicitur ei: Hoc enim sentite in vobis. Haec est forma humilitatis Christi: ad hanc se debet conformare quisquis supremum consummatae voluntatis gradum attingere volet ». — « *Secundum signum perfectissimae contemplationis et transformationis est, non solum pati cum sufferentia, sed etiam cum desiderio patiendi*, et cum spirituali gaudio in quibuscumque tribulationibus ».

1398. — *Monitum S. Theresiae,* in Cast. mans. 7, c. 4: « Scitote, id valde interesse, supra quod ego possim ponderare: figite in Crucifixum oculos, et totum vobis parum comparebit. Maiestas Domini ostendit nobis amorem stupendis adeo factis et tormentis: quomodo vultis plene ipsi placere verbis solis? Nostis quidnam sit, esse vere spirituales? Fieri mancipia Domini, stigmate crucis signari, ita ut vos vendere possit in totius mundi mancipia, ut et ipse fuit: et siquidem vestram illi cessistis libertatem, nulla vobis faciet iniuriam, sed potius non exiguum beneficium in hoc ».

1399. — *Monitum Seraphici P. N. S. Francisci*, collat. 24: « Proinde videmus, Deum communicare gratiam suam iis, qui hoc modo eum sequuntur: et e contrario eam auferre ab illis praesumptuosis, qui per alias chimaeras, dicunt se velle ei uniri, nec

tamen a seipsis unquam recedunt, verum tandem misere abeunt in praecipitium ».

1400. — **Elevationes corporis.** — Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 29, in statu matrimonii spiritualis ponit illum raptum qui fit cum elevatione corporis (quamvis et in sponsalibus, etc. aliquando dentur raptus huiusmodi), et ait: « Aliquibus animabus, seu spiritualibus personis aliquando eveniunt quaedam divinae vocationes adeo vehementes, quod ipsae a sensibus alienatae, eorum simul corpora in aëre levantur, atque ibi per longum tempus suspensa perseverant, et ita levia redduntur, quod ad quodlibet flabellum, sive auram tenuissimam, huc atque illuc moventur, et deferuntur, ut contigisse legimus Francisco, Ioanni a Cruce, Theresiae, Catharinae Senensi, et aliis quamplurimis ». Et cum P. Caldera scribit: « Manet corpus suspensum, et a terra elevatum, et absque ullo pondere, vultus splendens, rubicundus, formosus, atque (*quasi*) in carbonem ignitum conversus; ex quo plane cognoscitur id quod ei in aeternum praeparatur fruendum. Unde videntibus quasi crystallinus exhibetur ».

1401. — **Distinctio elevationis corporis ab extasi et a raptu.** — Hanc elevationem mystici « interdum vocant *extasim*, et interdum raptum, et quod rarius est, aliquando *deliquium:* ex quibus non parva oriri potest confusio... Certum itaque est quod in nullo cum *deliquio* collineat... Convenit cum *extasi*, quatenus ex altissima et profundissima animae occupatione nihil per sensus valet percipere. Convenit etiam cum *raptu*, quatenus etiam hic Deus animae potentias ad se rapit; sed distinguitur ab *extasi*, quia in *extasi* potentiae non rapiuntur violenter, nec sensus manet omnino impassibilis, sed tantum prae nimia animae absorbitione suspenditur: in hac vero elevatione re-

manet sensus non solum suspensus, verum etiam omnino impassibilis, et spiritus rapitur in Deum: In *extasi* etiam nec elevatur corpus, nec remanet formosum, leve, et (*quasi*) crystallinum (ibid.).

1402. — Et addit: « Distinguitur similiter a *raptu*, quia anima in *raptu* subito, et violenter ad id in quo antea non erat, interdum rapitur et adducitur: in hac autem elevatione suaviter in ipsum obiectum in quo erat, paulatim rapitur et adducitur... Insuper *raptus* est improvisus, neque potest antea cognosci: elevatio autem manifeste praevidetur, et anima regulariter se potest praevenire; nam circa idem divinum obiectum in quo versatur, solet anima in interiori sui fundo sentire quasdam vocationes interruptas, sive sibilos Sponsi vocantis, ad quos anima adinstar passerculi non adhuc bene volare potentis, qui parvis conatibus volitare incipit, volatumque tentans, sumit aërem, quo postea integrum volatum facere possit » (ibid.).

1403. — Item: « In raptu timet anima, pavet et tremit, ex motu scilicet subito raptus: in hac vero elevatione, nec timet, nec pavet, nec contremiscit, sed dulciter, suaviterque in Deum rapitur. In raptu demum sensus concutiuntur, laborant, rigent, et laxantur: in hac autem elevatione, ut bene notat Ferdinandus Caldera: Saepius corpus quod erat infirmum, multisque doloribus affectum, per hanc mirabilem elevationem prorsus sanatur, et ad omnia magnopere habile et expeditum redditur ».

1404. — Item: « Raptus per suam violentiam et improvisam invasionem non solum corpus contremiscere facit, sed etiam interdum hominem quasi amentem huc atque illuc pertrahit, e terra paululum elevat, ut testatur B. Theresia, in vita sua, cap. 20, et affert P. Iacobus Alvarez, sed statim per suam

naturalem gravitatem, quam non amittit, in terram concidit: in hac vero elevatione, nec corpus cadit, nec amenter pertrahitur, sed mirabili et devota compositione a terra penitus elevatur, ubi gravitate naturali deperdita, manet per multum temporis in aëre suspensum... — In extasi vero, et raptu, licet altissima sit elevatio spiritus, est tamen longe inferior huic elevationi ».

1405. — Item: « Denique differt ab eis, quatenus haec elevatio cadit in virum perfectum, omnino purgatum, et in statu matrimonii spiritualis constitutum... et licet in hoc statu felicissimo plures anima extases et raptus patiatur, quandoquidem huiusmodi favores extra hunc matrimonii statum conceduntur, et quibus haec elevatio non conceditur, infertur, quod haec elevatio multum distet ab extasi et raptu. Et auctoritatibus Mysticorum respondemus, quod haec elevatio vocari potest extasis et raptus, quatenus in aliquo cum eis convenit; sed quod revera est ab eis valde distincta, et superioris hierarchiae communicatio ».

1406. — *Circa causas huius elevationis,* « dicitur enim fere ab omnibus Mysticis, quod spiritus adeo vehementer in Deum elevatur, quod per vim suae elevationis corpus secum rapit et extollit, atque sic elevatum conservat, donec spiritus elevatus perseverat... Sed ingenue fatemur, quod nunquam hoc intelligere potuimus ». — Unde cap. 30, suam sententiam exponens, affirmat hanc elevationem esse quamdam participationem dotium gloriae tam in anima, quam in corpore elevati, et ait: « Si in matrimonio perfecto patriae ex visione et delectatione beatifica redundant et effluunt hae dotes perfectae et completae; non incongrue dici poterit, quod in matrimonio imperfecto et incompleto huius vitae,

in quo dantur animae arrhae securae matrimonii perfecti et completi, ex supernaturali luce et amore, quibus anima abstractive Deum videt... confluant et redundent in corpus elevati ipsaemet dotes, licet imperfectae et incompletae. Fatemur ingenue eiusmodi congruentiam intellectui nostro maximam vim inferre. Quamobrem verosimilius iudicamus, hanc elevationem ab huiuscemodi causa procedere; non vero quod spiritus humanus sua virtute post se corpus rapiat et extollat, ut communiter habetur ». — *Haec Lopez Ezquerra.* Alii aliter.

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Teste S. Augustino, Ipsa est: Flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium convallium.

MARIAM INVOCA. — O Immaculata Virgo, quae a S. Antonino merito dicta es: Magistra Doctorum Ecclesiae, Apostolorum et Evangelistarum, Magistra contemplationis; ora pro me, ne in directione contemplativorum errem.

MARIAM LAETIFICA. — Studio sanae Asceticae et Mysticae scientiae, virtutumque omnium exercitio. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

TRACTATUS DE PURGATIONIBUS PASSIVIS

CAP. I.

DE PURGATIONIBUS PASSIVIS IN GENERE.

1407. — **Praemittendum** cum Angelico, 2. 2, q. 108, a. 4: « Potest considerari poena, in quantum est medicina non solum sanativa peccati praeteriti, sed etiam praeservativa a peccato futuro, vel etiam promotiva ad aliquod bonum ». Et ideo dicendum cum Vallgornera, q. 2, disp. 8, a. 2, n. 6: « Quid est purgatio passiva, nisi quaedam poena medicinalis, et promotiva ad aliquod bonum ».

1408. — « Postquam anima ad Deum per gratiam et sanctum desiderium conversa est, et per aliquod tempus exercitium orationis sollicite coluit, in qua Deus tamquam parvulae in Christo ubera dulcedinis exhibendo lac ei potum dedit, ut suaviter allecta possit eam ab uberibus terrenae consolationis avellere, cuius quidem tenerum divinae consolationis alimentum (male voluptatibus assuefacta) nimis imperfecte sumendo in plura spiritualia vitia prolabitur, quae late refert B. Ioannes a Cruce... propterea Dominus per has poenosissimas purgationes, eius actus et habitus evacuare et eradicare procurat; ut non solum ordinet eius partem inferiorem ad superiorem,

sed etiam superiorem ad se ipsum, ut cum ea se uniri possit; quod fieri debet per labores, afflictiones et ariditates, quibus immoderatio appetitus corrigatur, et deordinatio potentiarum reguletur, ut anima tam in esse naturali, quam supernaturali renovata, possit suum ultimum finem perfecte attingere ». Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 1.

1409. — **Purgatio activa non sufficit ad contemplationem passivam.** — Nam, teste Philip. a SS. Trinitate: « Quamvis, Dei miserantis benedictionibus adiuti, tam affectum quam cogitationem, ipsi Deo cooperantes, industria nostra purgare possimus, haec tamen purgatio superficialis admodum et satis imperfecta erit, si Deus ipse totum purgationis opus quasi proprium non assumpserit, ita ut ipse sit solus primus et proximus, universalis et particularis agens; et nos gratia eius roborati divinam ipsius actionem purificativam patientes... ut sic purgati pravis dispositionibus, et sarcina culparum exonerati, facile et fructuose divinas impressiones suscipiamus, ac promptius ac delectabilius in via perfectionis procedamus » (Sum. Th. myst. p. 1, tr. 3, praeamb. t. 1, p. 347).

1410. — Unde merito notat Comp. Scaramelli: « Quanta puritas et mundities animae inesse debent quae contemplatione cupit Deo appropinquare! quanta sanctitas in ea quae unione amoris Deo desiderat coniungi...! Quae quum recogitet anima devota assiduo meditationis studio omnem inordinatum amorem et existimationem patriae, propinquorum, amicorum, voluptatum, deliciarum, commoditatum, divitiarum, facultatum, dignitatum et honorum evellere et in horum omnium odium mutare conatur; continua, externa et interna mortificatione passiones et perversas inclinationes eradicare; et secessu et sensuum

custodia in internam et externam studet introire solitudinem, ut possit audire verbum eius qui loquitur ad cor. Omnes isti sancti conatus, mortificationes, industriae et artes quibus anima, gratia Dei adiuvante, quantum in se est, mentem, corpus, cor et totum sensitivum appetitum reformare et ad coelestium contemplationem aptum reddere nititur, sub nomine purgationis activae complectuntur. Quidquid autem anima, ut sese ad contemplationem disponat, facere possit; omnes suae mortificationes omnesque sui labores nondum sufficiunt: omnipotente Dei dextera hic opus est quae, per purgationes quas mystici passivas appellant, eam ad divinas communicationes aptam reddat ».

1411. — Merito igitur ait Taulerus: « Quaecumque anima, aeterni illius Sponsi praedilecta et specialis regina esse voluerit, hoc omnino fieri habet per ardentes ac ignitas afflictiones, sive adversitates, ipsam ossium medullam devastantes; quae ipsam haud secus praeparant, quam ignis ceram, ut capere possit formam quamcumque ei artifex imprimere voluerit » (Hom. 4 ad pop.).

1412. — **Rarissimae sunt animae contemplativae ab hisce purgationibus exemptae.** — « Inde rarissimus est contemplativus affluens deliciis qui non transierit per aliquem tramitem derelictionis; quare si contemplatio sine hac dispositione superveniat, vel non erit diuturna, vel exceptio a regula generali » (Schram).

1413. — **Purgationes passivae sunt acerbissimae.** — Vocantur *martyrium* a Taulero, qui scribit: « Et quia de martyribus loquimur, duplex esse martyrium, hoc est passionem duplicem, vobis, charissimi, notandum est. Fit enim aliquis martyr gladio extrinseco, et amore mortificante intrinsecus... Du-

plex porro vitae morientis crux seu afflictio est. Prima externa est, dum quis voluptatibus ac vitiis suis reluctatur... Altera spiritualis quaedam pressura est, et macritudo, seu ariditas et sensibilis gratiae privatio, in qua vel maxime sese perdit homo, cogiturque interdum per hanc magis quam per aliud aliquid ad Deum se convertere » (In festo plurim. Martyr).

1414. — Et B. Angela a Fulgineo, propria experientia edocta, addit: « Unde pro commutatione praedictorum tormentorum et tentationum, et ut Deus auferret a me praedicta, ego libenter eligerem et vellem omnia mala et infirmitates omnes, et omnes dolores qui fiunt in omnibus corporibus hominum sustinere; et crederem quod leviora et minora mala mihi essent, quam praedicta tormenta. Unde pluries dixi quod pro commutatione praedictorum tormentorum ego eligerem omne genus martyrii sustinere » (BB. 4 Ian. c. 2, n. 44). — Imo Card. Bona affirmare non timet: « Hoc horribile tormentum poenis inferni assimilant qui experti sunt » (De discr. spir. c. 14). Et Philippus a SS. Trinitate declarat: « Vix sermone potest, etiam ab expertis, exprimi quantae sint huius noctis angustiae, quantus horror, et quam intima spiritus afflicti tribulatio » (p. 1, tr. 3, n. 3, a. 1, t. 1, p. 409).

1415. — Gersonius purgationes istas variis comparationibus illustrat dicens: « Haec est antiperistasis quaedam spiritualis, quae contrarium fortificat, est cos ferrum exacuens; haec est absinthium pueros ablactans avellensque ab uberibus; malleus dilatans et extendens... Haec lima poliens, mundans, aeruginans, clarificans; haec fornax in qua aurum purgatur ut rutilet » (De Myst. Theol. pract. consid. 9, col. 415).

1416. — Et Card. Bona diversa nomina hisce purgationibus data colligit, dicens: « Nulla hic laetitia, sed tormentum inexplicabile. Dicant quid sit qui experti sunt. Doctor Mellifluus comparat hunc statum morti spirituali, quam vocant Angelorum. Rusbrockius, divini spiritus nostri concertationem appellat, et quamdam desparationem; Taulerus, pressuram internam; Harphius, languorem infernalem et divisionem animae ac spiritus; Barbansonius, item divisionem naturae ac spiritus; Maria Vela sanctimonialis cisterciensis, terribile martyrium; B. Catharina Genuensis, horribile et indicibile tormentum. Ioannes a Cruce sub noctis obscurae symbolo eum pingit et purgatorio assimilat. Thomas a Iesu, purgatorium quoque esse dicit in via contingens. B. Angela de Fulgineo (quasi) maluisset in inferno esse quam talem privationem sustinere, quae in ipsa mirabilis fuit » (Via compend. ad Deum, c. 10, n. 3).

1417. — « **Divisio purgationum passivarum.** — Duplex generatim admittitur purgatio passiva a doctoribus mysticis: alia partis sensitivae seu sensus; alia partis intellectivae vel spiritualis seu spiritus: « Quum necesse sit ut totus, qui ex parte sensitiva et intellectuali vel spirituali consistit, homo reformetur, utraque pars suam sibi propriam habet purgationem. Hinc distinctio inter purgationem passivam sensibilem vel sensus, et purgationem passivam spiritualem vel spiritus », ait Comp. Scaramelli.

1418. — **Purgationes passivae sensus seu partis sensitivae**: « Sunt cumulus afflictionum mere sensibilium, quae, appetitum sensitivum domando et in servitutem spiritus redigendo, illam procreant pacem et quietem, quae, ut anima per quemdam dulcis et suavis contemplationis gradum ad Deum sese elevet, requiritur » (id.).

1419. — **Purgationes passivae spiritus seu partis intellectivae seu spiritualis**: « Sunt cumulus suppliciorum mere spiritualium, quae spiritum, quantum humana permittit fragilitas, Deo similem faciendo, illam gignunt puritatem, dispositam facientem animam ad unionem amoris et transformationem in Deum » (id.).

1420. — « Sensus purgatio, ait S. Ioannes a Cruce, Noct. obscur. lib. 2, cap. 2, ianua est dumtaxat, principiumque contemplationis illius, quae est spiritus, potiusque ad sensum spiritui accommodandum, quam ad uniendum Deo deservit. Remanent tamen nihilo secius in spiritu veteris hominis maculae (quamvis illi aliter esse videatur, nec eas cognoscat) quae nisi smigmate, fortique purgationis huius lixivio (purgationem spiritus intelligit) eluantur, nequibit spiritus ad divinae unionis puritatem pervenire ».

1421. — Lopez Ezquerra, cum aliis, triplicem admittit purgationem passivam: sensus, spiritus, amoris; sed tertia, quae est perfectissima, facile ad secundam reduci potest. Eius doctrina summarie sequentia comprehendit, quae fuse explanat: Purgatio passiva animae duplex est: una fit in sensibus exterioribus et interioribus, ad hoc, ut pars inferior hominis non sit obstaculum superiori. Alia fit in spiritu, ut anima cum Deo perfecte uniri valeat. Alia etiam datur consummativa purgatio, quae purgatio amoris dici potest. Harum purgationem principale instrumentum est lumen infusum et ardor charitatis erga Deum, similiter ac in supernaturalibus favoribus, quia Deus ipso quo mortificat vivificat, et quia hoc lumen et amor superexcedunt animae capacitatem, et quia intellectus reflexione caret, et nihil percipit; inde illi eveniunt obscurissimae et poenosissimae tenebrae. Hoc lumen, et amorem aliquando Deus in

anima modo illuminativo infundit, et tunc suam operationem, et profectum clare cognoscit, et delectabiliter intuetur.

1422. — **Duratio purgationum passivarum** incerta omnino est, quamvis generatim magis duret purgatio passiva partis sensitivae seu sensus, quam purgatio passiva partis intellectivae seu spiritus. Schram, § 246, ait: « Derelictio non habet certum temporis terminum; per viginti et plures annos subinde durat, usquedum contemplatio succedat ».

1423. — Cardinalis Bona, Via comp. ad Deum, cap. 10, n. 6, scribit: « Et ne videar temere loqui affero exempla: Ubertinus de Casali quatuordecim annis laboravit priusquam introduci ad intimam perfectionem mereretur. S. Theresia octodecim annis intolerabiles angustias passa est. S. Franciscus per biennium gravissimo moerore tabescebat. B. Clara de Montefalco quindecim annos huic privationi impendit. B. Catharina Genuensis martyrium suum in suo Dialogo ipsa describit. Altera Catharina Bononiensis per quinque annos valde desolata fuit et a daemonibus exagitata. Maria Aegyptiaca septemdecim annis afflicta ad purum decoxit scoriam suam. B. Maria Magdalena de Pazzis per annos quinque et deinde per alios sexdecim tantam ariditatem passa est, ut videretur a Deo derelicta. B. Henricus Suso per decennium divina caruit consolatione. Balthasar Alvarez, vir eximiae sanctitatis, e societate Iesu, non nisi post sexdecim annos in vita mystica cum tenebris et labore decursos divinae lucis adeptus est illustrationem ».

1424. — Comp. Scaramelli ait: « Etiam quoad tempus nulla est regula. Purgationes quantumque breves integros tamen annos durare solent, aut modo continuo, aut cum intervallis consolationibus plenis.

Purgationes diuturnae et rigidae ordinarie contemplationis sublimis praesigna sunt ».

1425. — S. Ligorius, Praxis conf. n. 129, dicit: « Ariditas spiritus durat quousque reddatur (anima) capax divinae unionis: quamvis aliquando etiam post unionem permittat Dominus, ut anima redeat ad hanc ariditatem, ea potissimum de causa ne anima seipsam negligat, et ut identidem suum nihil agnoscat ».

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Teste S. Damasceno, Ipsa est: Altitudo ad supernum, cuius fastigium cogitationes hominum ascendere nequeunt.

Mariam invoca. — O Maria Immaculata, quae ab eodem S. Damasceno rite dicta es: Lucerna aurea, lucernam extinctam cordis nostri accendens; ora pro me, ut noscam Filium tuum, noscam te, noscam me, et doctus ero satis.

Mariam laetifica. — Humillima consideratione Maiestatis Divinae et Augustissimae dignitatis eiusdem B. V. Mariae. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. II. — DE PURGATIONE PASSIVA SENSUS.

1426. — **Praenotanda.** — « Quamquam purgatio sensus in se distinguatur a purgatione spiritus, nunquam tamen in praxi una sine altera invenitur, ita ut in purgatione sensus aliquid purgationis spiritus, et in purgatione spiritus aliquid purgationis sensus, reperiatur. Ut diiudicet quali purgatione crucietur anima, director attendat, quaenam praevaleat. Rarissime una simul cum altera in anima eodem tempore ac eodem tenore reperiuntur » (Comp. Scaramelli).

1427. — **Causae purgationis passivae sensus** ita describuntur a Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 2, disp. 8, a. 1 : « *Causa materialis* est pars sensitiva hominis, in qua exercetur talis purgatio, tam quantum ad affectum, quam quantum ad cognitionem... *Causa formalis* est subtractio gratiae sensibilis... ex qua subtractione variae et admodum angustae desolationes et continuae in sensu tam affectivo quam cognoscitivo procedunt ariditates... *Causa efficiens* seu effectiva est Deus ipse bonus et misericors [saepe tamen *permissive* agens ; nam tentationes quasdam permittit tantum ut eveniant ex malitia diaboli, ex humana fragilitate etc.], quamvis tunc incipienti austerus et plurimum iratus appareat... *Causa finalis* purgationis passivae in parte sensitiva est, ut haec pars inferior apte purificata conformetur parti superiori, cui subordinatur, etiam a pravis dispositionibus suis purificandae, ut sic utraque bene disposita, simulque consentiens facile ad intimam Dei concurrat unionem » (1).

(1) **Varia.** — I. Angelus Satanae, se transformans in Angelum lucis in communicationibus gratiae sensibilis, potest,

1428. — *Purgatio sensus praecedit purgationem spiritus:* « Licet Deus possit hunc ordinem invertere et tempora non servare, raro tamen aut nunquam visum est; et potius ex pravo homine aut femina

Deo permittente, immisceri, et incautos vel elatos incipientes in errorem, imo et in ruinam adducere, ut sanctorum Patrum doctrina, sacrae Scripturae multiplici testimonio et etiam frequenti experientia comprobatur (Ph. a SS. Trin. p. 1, tr. 3, l. 1, a. 3, t. 1, p. 357).

II. Sed antequam sapientia imbuatur anima, priusquam Dei Verbo amoris vinculo confoederetur, saepe labitur, errorem pro veritate suscipiens; plerumque tamen, permittente Sponso, ut sibi ardentius dilectam copulet, aut ad altiora provehat, aut prudentiorem efficiat, Satanas in lucis angelum transformatur, atque illo tamquam sancto contubernio admiscetur: quem cum anima, adhuc coelestium ignara visionum, erroris admiserit spiritum, et veluti Domini se illi substraverit, sine mora secedit Sponsus, et illico succedunt tenebrae, ac quaedam opaca mentis hebetudo; continuo obdurescit animus; et propria confusione contunditur, atque ex his quae patitur, perspicue intelligit spiritum quem suscepit inimicum (S. Laur. Iust. L. de disc. et perf. monast. conv. c. 8).

III. Dulcis in Deum affectus quodammodo carnalis est et fallax, et humanitatis interdum potiusquam gratiae, cordis quam spiritus, sensualitatis quam rationis, ita ut magis accedat aliquando ad minus bonum, et minus ad maius, et ad aliquid quod sapit amplius quam quod expedit... Sic affectuose interdum carnalis aliquis et imperfectus ad Deum afficitur, non quod valde diligat, sed quia dulcedinem gratiae degustat, quae quantum durat, tantum iuvat; quamdiu durat dulcedo, durat et dilectio. Sed non agnoscetur in bonis amicus (Rich. a S. Vict. Expl. in Cant. c. 6).

IV. Haec sunt praecipua motiva propter quae Deus, per subtractionem gratiae sensibilis, incipientes ad noctem obscuram sensus reducit: per ipsam enim vult partem sensitivam divinae unioni praeparare; vult deceptiones daemonis evitari,

subito faciet perfectum, ut egit in Paulo et Magdalena, quam seorsim purget primo spiritum quam sensum, vel ante arreptam viam virtutis in qua homo proficere incipiat, inchoet spiritus purgationem » (Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 17).

1429. — **Triplex est instrumentum purgationis passivae sensus:** *Lumen infusum modo purgativo, quo habetur subtractio devotionis sensibilis; appetitus et passiones naturales; daemonum astutia* (1). De singulis hisce instrumentis agendum est.

Lumen infusum purgativum.

1430. — *Primum instrumentum purgationis passivae sensus seu partis sensitivae est lumen infusum modo purgativo.* **Lumen infusum purgativum,** est illud

vult supernaturales communicationes a naturalibus operationibus discernere; vult dona iustis et impiis communia evacuare, ut maiora concedat; vult imperfectiora et minora tollere, ut perfectiora et maiora liberaliter praebeat; vult occasionem superbiae removere; vult carnales impuritates aliaque pericula praecavere; et tandem vult corporis sanitatem conservare, ut his mediis incipientes ad optatam perfectionis metam perducat (Phil. a SS. Trin. p. 1, tr. 3, d. 1, a. 3, t. 1, p. 363).

(1) Ariditates, quas Deus animae ad contemplationem non electae solet immittere, sunt minus rigidae, et tenebrae eius minus spissae, nec diuturnae, nec continuae; ariditates autem animae, cui donum contemplationis reservatur, sunt rigidiores et continuae: et licet Deus ab initio, eius debilitati sese accommodans, tenebris lucem et siccitati gustus immisceat, in progressu autem annos integros omni solatio destitutam, quasi sine interruptione, et sine ullo spiritus levamine eam derelinquit, ait Comp. Scaramelli.

quo mens ad mysticam et spiritualem Dei cognitionem, quae penitus ei occulta et abscondita est, reducitur; tum quia Deus aufert ab ea reflexionem et formas imaginarias in oratione, nec proinde intelligit illam novam loquelam, tum quia frustra revertit ad planam meditationis viam; unde non intelligens cibum contemplationis nec habens alimentum meditationis, credit se a Deo derelictam. Hoc lumine anima intimae vacuitati assuescit et ad intimum sui spiritus fundum colligitur.

1431. — **Inchoatio purgationis passivae sensus.** — Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 2, ait: « Inchoat Deus purgationem passivam sensus, ut amicos suos ab uberibus sensibilibus immodicae spiritualis delectationis, quas in suis exercitiis requirebant penitus ablactet... Quia nimirum dum lacte consolationis sensibilis gaudent, parvuli sunt, et velut parvuli sapiunt, cogitant, et loquuntur. Quos quidem necessarium est evacuare, et purgare, ut ad spiritualem virilitatem pervenire possint ».

1432. — Et addit: « Haec inchoatio purgationis fit paulatim, animae subtrahendo gustum et sensibilem devotionem in meditationibus in quibus antea delectationem comparabat, quae ariditas breviter vertitur in insaporem et impotentiam meditandi et discurrendi, ita ut nulla diligentia et cura possit sicut antea discurrere et considerare, et si forte per nimium conatum aliquam meditationem vel discursum exprimat, nullam exhaurit devotionem, nec suavem motionem voluntatis, imo insaporem et ariditatem; perinde putat se esse perditam, et a via orationis recalcitrasse: quod pulchre describit Laurentius Iustinianus lib. de perfect. monast. cap. 18, et in fascic. amor. cap. 14, per haec verba: Solet quidem interdum divina bonitas ab orantis affectu

se subducere, eumque totum aridum, totumque reddere indevotum » etc..

1433. — Item: « Si director per signa statim dicenda cognoverit, animam esse in hac purgatione, curet quod nimios meditandi conatus praetermittat, ut docet B. Ioannes a Cruce lib. 1. noct. obscur. c. 10, et probat Philippus a SS. Trinitate, Theol. Myst. p. 1, tract. 3, disc. 1, art. 6, neque aliud extorquendae devotionis medium procuret, nisi pacificam illam spiritus amatoriam occupationem conservare, atque ad modum auscultantis se disponere, ut agebat Psalmista Regius, cum dicebat: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor (Ps. 84, 9). Si enim anima non ad materiales formas, sed ad cor suum spiritualiter convertatur, atque in formam auscultantis se disponat, utique Deus, cuius locus in pace factus est, ei verba aeternae vitae loquetur, ut manifeste a posteriori cognoscat ».

1434. — Merito igitur scribit Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 2, disp. 8, a. 2, n. 4: « In hoc consistit purgatio passiva: in subtractione gratiae sensibilis, quae dabatur incipientibus, et in cibo perfectorum, qui consistit in gratia interna et perfecta ». — Et Rich. a S. Victore, De quatuor grad. viol. charitatis: « Sed prius oportet Aegyptum deserere, prius oportet Mare rubrum transire. Prius necesse est Aegyptios in aquis perire, prius necesse est Aegypti cibos deficere, quam possimus hoc spirituale alimentum cibumque coelestem percipere... Prius subiugentur Aegyptii, pereantque mores perversi, ne degenerem convivam dedignentur cives angelici ».

1435. — « Animae, quas Deus ad contemplationem infusam praeparat, antequam etiam in purgatione

reponantur, multos extraordinarios favores in parte sensitiva recipere solent. Ingentibus dulcedinibus, ferventibus cordis inflammationibus, locutionibus internis, oculariis aut imaginariis visionibus et aliis gratiis recreantur: sicut contigit B. Angelae de Fulginio, S. Mariae Magdalenae de Pazzis, S. Theresiae et aliis » (Comp. Scaram.).

1436. — **Signa verae purgationis passivae sensus** ita describuntur ab eodem Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 2: « Triplex est huius passivae purgationis signum, ut tenet B. Ioannes a Cruce lib. 1, noct. obscur. cap. 9. Primum est, quod anima sicut ex rebus spiritualibus nullam capit devotionem, ita similiter neque ex sensibilibus et terrenis nullum capiat oblectamentum, quia haec purgatio aeque arescit appetitum circa spiritualia, quam circa temporalia... Quodsi anima, quae in spiritualibus non delectatur, in sensibilibus et malis delectari percipiat, non erit in purgatione sensus, sed in relaxatione, negligentia, vel culpa.

1437. — « Secundum signum est, quod anima valde sollicita sit eorum, quae sunt divini obsequii et propiae perfectionis, ita ut propter nullum dolorem, laborem, vel insaporem ea praetermittat; imo avidius et solicitius se habeat.... Si autem cognoverit director, quod nihili, aut parvi aestimat profectum suum, nec divinum colit obsequium, sed in his negligenter se habet; non in purgatione, sed in relaxatione, aut culpa constituta est...

1438. — « Tertium signum est, quod non possit meditari, nec uti imaginatione ad exercitium orationis, sicut antea poterat... Veruntamen haec impossibilitas meditandi non debet esse ita continua, quod semel, aut iterum meditari non valeat; hoc enim non hominis, sed statuae proprium esset, sed sufficit quod

valde difficulter, et violenter meditetur, vel saltem ex meditatione nullam devotionem, vel fructum, sed improfectum et insaporem eliciat, quamvis frequentius per hanc purgationem omnino tollitur facultas meditandi ».

1439. — Et addit: « Primum et tertium signum possunt ab aliquo humore melancholico et grave procedere; quandoquidem praedicti humores hominem reddunt, tam ad spiritualia, quam ad temporalia taediosum, et ad quamlibet laboris operationem ineptum. Quamobrem poterit falli magister, putans huiusmodi hominem esse in purgatione passiva sensus: unde recurrere debet ad secundum signum, nempe ad curam sollicitam proficiendi, quam non habebit qui humore melancholico laborat. Demum recurrat ad permanentiam ariditatis et ineptitudinis meditandi; nam si ex hac purgatione proveniat, semper in dies crescet, quia Deus est in operibus suis constans et immutabilis, donec opere compleat quod incepit: humores vero naturales passim variantur, et eorum impedimenta tolluntur ».

1440. — Alii similia habent; et purgationem sensus non venire ex culpabili tepore, neque ex naturali melancholia, affirmant: 1° Si anima non amplius quidem sensibile solamen et gustum invenit in rebus divinis, sed neque in aliqua re creata talia quaerit. 2° Si anima, licet arida et desolata, non amittit Dei memoriam, sed in ipsa sua tribulatione Deum quaerit eique fidelis esse conatur. 3° Si anima quae in meditationibus prius delectabatur, incapax fit piorum ratiociniorum (1).

(1) « Ex his tribus indiciis, et praecipue ex duobus primis, director morali cum certitudine deducere potest, huiuscemodi ariditatem oriri, neque ex culpabili tepore, neque ex socordi

1441. — Igitur director non credat devotis in hac purgatione positis, qui dicunt: I. Ore tantum sese actus amoris, conformitatis, humilitatis, etc. efficere, non autem corde. — II. In suis piis exercitiis nec orationem facere, nec gratias a Deo postulare posse. — III. Non tantum se non posse orare, sed nec actum aliquem cuiuscumque virtutis elicere. Et prae oculis habeat hoc documentum S. Laurentii Iustiniani, tr. de perf. monast. cap. 18: « Tunc quidquid meditanti offertur, desipit; quidquid cogitare disponit, inconcussum prae ariditate spiritus derelinquit: nihil sapit, nihil delectat, nihil reperitur quod pascat affectum: quin potius ubique tenebrae densissimae palpantur, ubique sterilitas sentitur, quasi prius nihil dulce degustatum sit: fiunt quoque intus fragores, tonitrua, coruscantes immissiones per angelos malos, ut avertant a sua stabilitate animum, faciantque illum ab oratione cessare. *Eo autem tempore, quo haec fiunt, orationis actus praetermittendus non est, sed perseveranter custodiendus* ». — Quapropter devoti, hac non obstante probatione, perseverent in suis consuetis orationibus, mortificationibus internis et externis, aliisque piis exercitationibus, et multum proficient multaque merita acquirent.

1442. — **Varia.** — « Purgationes ergo sensus consistunt in privatione omnis devotionis accidentalis sensibilis, non autem in privatione omnis devotionis accidentalis spiritualis. Quod ut rite intelligatur, sciri oportet, devotionem esse voluntatem

melancholia, sed a Deo in purgationem et spiritualem animae profectum immitti. Nondum autem potest concludi eam ad contemplationem ordinari: siquidem sublime hoc donum nequaquam omnibus, Deo etiam fideliter servientibus animabus, sed paucis tantum conceditur » (Comp. Scaram.).

prompte faciendi quod ad Dei servitium pertinet. Quum autem voluntas ista, aut sicca, arida, et omni suavi affectione expoliata esse, aut cum delectabili affectu etiam coniungi possit, substantia devotionis ab eius accidentibus distingui debet. Essentia devotionis est promptus voluntatis actus, quo divini cultus opera intenduntur; dulcis affectus autem, qui cum obsequioso voluntatis actu saepe coniungitur, eius est accidens. Devotio ista accidentalis aliquando tantum in spiritu subsistit et intra potentias spirituales continetur, et tunc devotio accidentalis *spiritualis* appellatur; quando autem, uti saepe accidit, in potentias sensitivas redundat, ita ut dulces emotiones, suspiria et lacrymas eliciat, devotio accidentalis sensibilis » (Comp. Scaram.).

1443. — Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 2, disp. 8, a. 6, n. 1, ait: « Purgatio passiva partis sensitivae duo facit: primum ordine generationis, et executione, ac ex parte incipientis est removere omnia impedimenta divinae unionis, ad quam ordinatur; secundum est inducere debitas dispositiones ad talem unionem.

1444. — Et n. 3, addit: « Fructus privativi purgationis passivae... sunt. Primo, quippe per illos omnes defectus et imperfectiones partis sensitivae recensitae sub titulo vitiorum capitalium, superbiae, etc., evacuantur, ut sic impedimenta, quae ex parte sensitiva divinae unioni poterant obstare, removeantur... Secundo, per illam incipientes multis ineptis vanis imaginationibus, et daemonum illusionibus, aut imperfecto saltem operandi modo liberantur. Tertio tandem, multa pericula cadendi in anima, et deficiendi quantum ad vires naturales in corpore, praecaventur ».

1445. — Comp. Scaramelli notat: « Effectus aridatis, mea opinione, clarissimum sunt indicium utrum ad contemplationem ordinetur necne. Si quis post ariditatem semper ad suas ratiocinationes revertatur et in prioribus sensibilibus affectibus semper sese exercere pergat, signum vocationis est ad meditationem. Si quis autem quoad affectus sensibiles semper sterilem et omnis ratiocinationis quasi continuo incapacem sese inveniat, et tantummodo experiatur subinde simplicem, quietum et amantem Dei obtutum, ex quo nullam sensus sed spiritus tantum refectionem hauriat, sine dubio iudicari potest ariditatem ad contemplationem ordinari, et iam eius principium et initium esse ».

1446. — Ut purgationum utilitas comprobetur, semper prae oculis habenda est vera conditio sensibilium consolationum. De quibus scribit Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 2, disp. 8, a. 4, n. 4, 5: « Etsi concedatur huiusmodi communicationes gratiae sensibilis esse veras, et a Deo procedere, non a daemone, aut a propria imaginatione, non ita tamen aestimandae sunt, cum impiis aliquando, et imperfectis communes sint. — Licet admittatur praedictas communicationes a solo Deo, et (ordinario) solis amicis concedi, sunt tamen imperfectae, et incipientibus propriae; unde conveniens est, ut animus eis purgetur, ut ad maiores et perfectiores communicationes gratiae aspiret ».

Appetitus et passiones naturales.

1447. — *Secundum instrumentum purgationis passivae sensus sunt appetitus et passiones naturales:* de

quibus scribit Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 3: « Veluti tigrides furentes, aut catuli leonum, animam prorsus destitutam invadunt, et delaniant... unde anima tenebris purgationis obcaecata putat, in omnibus consentire, et in infinita peccata prolabi; maxime dum conspicit, nulla diligentia posse effraenes appetitus compescere; quamobrem veretur suam perditionem esse infallibilem ».

1448. — Sed notandum cum Schram, § 233: « Nobis hic non est sermo de ordinariis tentationibus contra castitatem, quibus omnes homines, incumbant necne ad spirituales exercitationes, obnoxii sunt: rarissimi enim inveniuntur Aloysii Gonzagae, qui non tantum angelicis moribus, sed angelica quasi natura praediti, nullum carnis stimulum toto suae vitae tempore experti sint ».

1449. — Et cum Philippo a SS. Trinitate: « Unde tentatio contra castitatem est pene purgatio universalis incipientium, amara quidem, sed efficacissima: dum enim examinantur per illam interius operantem, miris modis conturbantur et torquentur conscientiae praecordia; tum scrupulis consensus qui passim exurgunt; tum foeditate materiae quam purae horrent animae; tum metu ruinae quam ut possibilem infirmitati naturae, et quasi praesentem aliorum exemplo territi formidant; tum quia tentationem huiusmodi, velut effectum peccati gravis de novo commissi suspicantur; tum denique, quia per illam se coram Deo reddi credunt abominabiles et exosos... Vix enim concipi potest quam efficaciter purget, dum animum incipientium sibi complacentem et ex receptis sensibilis gratiae favoribus elatum ad propriae vilitatis et tunc apparentis infirmitatis confusionem adducit » (p. 1, tr. 3, l. 2, a. 1, t. 1, p. 380).

1450. — Et cum Lopez Ezquerra, ibidem: « Ut ergo director eruditionem capiat, et possit eiusmodi animas consolari, quia afflictis non est danda afflictio, scire debet, quod haec vehementia deordinatarum passionum, licet interdum ope daemonis fiat, saepe saepius provenit ex causa supradicta, utpote ex famelicarum passionum praecipiti motu; quo in hac purgatione appetitus laborat.

1451. — **Signa dissensus in tentationibus partis sensitivae.** — Quatuor ponit Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 3: Primum sit quod affert Apostolus ad Rom. 7, 22, 23, dicens: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Manifestum igitur signum dissensus in his actibus erit, si in superiori animae parte adsit condelectatio, aut appetitus divinae legis; si vigeat amor virtutis; si percipiatur desiderium placendi Deo, licet tunc pars inferior in affectum pessimae delectationis rapiatur... — Quamobrem director per antecedentia et subsequentia tentationis debet hoc signum investigare: si enim his temporibus anima habeat aestimationem legis divinae, et firmissimum propositum non peccandi; potest moraliter sibi persuadere, quod in illo luctaminis intermedio resistit tentationi, et superior voluntas non consentit.

1452. — Secundum signum superioris dissensus animae est, si praetermissa tentatione reperitur stabilis et firma in Dei timore, et quantum in se est millies mori est parata, antequam voluntarie ad eamdem et similem tentationem redeat, quia hoc est magnum signum dissensus.

1453. — Tertium signum est cura et diligentia animae in divino obsequio, quae semper et ubique

Deo placere desiderat, et omnia quae illi displicere possunt dolet, et contristatur. Haec est ingens coniectura dissensus.

1454. — QUARTUM signum est quod anima ad operis peccaminosi consummationem non accedat; sed dum fervescente furore praeceps ruere incipit, illico lumen illud supradictum irradiat, quo ab opere peccaminoso, et ab insania appetitus resilit. Haec quidem non tam est dissensus coniectura, quam moralis evidentia.

1455. — Si igitur per huiusmodi signa cognoscat director, deliberatum consensum tentationis non adfuisse, curet animam sic afflictam et desolatam suadere, quod amicitiam Dei non amisit; quinimo et quasi validum militem sibi eum in strictiorem amicum assumpsisse; ac demum quod per multas tribulationes oportet eam ad felicissimum unionis statum pervenire... — Praeterea, quod dum impetus passionis furere incipiat, se muniat firmissima dissentiendi protestatione; et quantumcunque indevotus et aridus sit, plures actus amoris eliciat; ad Deum clamet, et Beatissimam Mariam Matrem nostram, et suum Angelum custodem.

1456. — Quodsi haec non sufficiant, praecipiat ei quod foras exeat, et bonorum hominum honestam adeat conversationem... — Et denique omnia, quae illi in tentationibus contingant, faciat ad cautelam clavibus Sacramenti Poenitentiae [in genere potius quam in specie] submittere; raro enim, aut nunquam huiusmodi tentationes culpis saltem venialibus vacare solent. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1457. — Angelicus, opusc. 18, de perfect. vitae spiritualis, varia contra tentationes impuras remedia proponit, dicens: « Contra huiusmodi incontinentiae impedimentum multiplex remedium invenitur. Quo-

rum primum et praecipuum est ut mens circa contemplationem divinorum et orationem occupetur... Secundum remedium est studium Scripturarum... Tertium remedium est quibuscumque bonis cogitationibus animum occupare... Quartum remedium est ut homo ab otio desistens, etiam in corporalibus laboribus seipsum exerceat... Quintum remedium adhibetur contra carnis concupiscentiam, etiam per aliquas animi perturbationes... Ex parte autem exteriorum rerum... sunt opera instituta... huiusmodi exercitia expediunt ad vitanda peccata, et ad perfectionem consequendam ».

Daemonis astutia.

1458. — *Tertium instrumentum purgationis passivae sensus seu partis sensitivae est daemonis astutia.* De quo tertio instrumento haec scribit Lopez Ezquerra tr. 6, cap. 4: « Adeo difficile et arduum est opus quod per hanc purgationem agendum est, quod iure possumus dicere, nihil esse minus quam animas e terrenis reddere coelestes; quandoquidem sensibilibus delectationibus mortuae, et spiritu tantum viventes, in illud quod supra naturam est divinum obiectum, omnium virium suarum efficacia habitualiter debeant assurgere, in illo assidue inhabitare, et cum illo mystice et perfecte uniri.

1459. — « Sunt tamen nonnulli adeo rudes et divino scalpo rebelles, quod ad huiusmodi transformationis dispositionem regularis purgatio non sufficit; quapropter indigent severiori instrumento ut disponantur. Cum autem Dominus ita benignus et misericors sit, quod (si ita dici potest) quasi doleat per se ipsum horribilem hanc purgationem in-

fligere... saevissimi hostis manibus eas per dirissimos cruciatus torquere permittit, ut tenet B. Ioannes a Cruce. Et veluti charissimus pater, qui filii sui resectionem brachii vel cruris videre non sustinens, permittit quod se absente chirurgus sectionem exequatur; eodem modo permittit, daemonem per dirissima tormenta carnalis hominis putridam naturam resecare (1).

1460. — « Constituit igitur daemonem huius purgationis ministrum, quatenus suo odio implacabili omnibus quibus potest mediis eas mortificat; propterea tametsi crudelius, brevius purgatio percipitur, ut bene notat Philippus a SS. Trinitate... Quod

(1) Silvester Prierias, de Strigimagarum daemonumque mirandis, l. 1, cap. ult. doctrinam Angelici circa ea quae possunt daemones quasi compendiat dicens: « Daemon, omnes hominis sensus, cum interiores, tum exteriores, immutare potest (1 p. q. 111, a. 3 et 4. — *Verit.* q. 1, a 3, q. 12, a. 8. — *Pot.* q. 6, a. 3, ad 3. — *Mal.* q. 16, a. 1. ad 16). Quod intellige sic, et eo modo, ut etiam homo decipiatur, aliter re apprehensa quam sit: quod equidem fieri potest multipliciter. Primo, ex eo quod ex aere corpora format, ostendens quae vere non sunt, sicut aliquos terruit aliquando sub forma draconis. Secundo, applicando per motum localem activa quaedam naturalia, quae hoc possunt, sicut apud D. Thom. quaedam herba fumigans trabes facit apparere serpentes. Tertio, reducendo spiritus qui in homine sunt ad phantasiam, et eam suo modo immutando, et consequenter etiam sensus, ut de praestigiis dictum est, ut apparet in phreneticis, arreptitiis, et insanis. Quarto, per aorasiam, quae caecitas est, qua celantur nobis non omnia, sed quaedam, sicut oculi discipulorum euntium in Emmaus tenebantur ne Christum cognoscerent: potest enim graphio quod quaeris praetendere chartam, aut tabulae cui insidet, supra ponere aliam similem, in qua non sit graphium; et strigimagae praetendere formam bovis et reliqua ».

interdum (ex divina permissione) daemon agit per se ipsum, et interdum per satellites suos ».

1461. — De hac purgatione scribit Philippus a SS. Trinitate: « Haec purgatio passiva partis sensitivae quae media daemonum persecutione perficitur, admodum amara et efficacissima est; nam, ex una parte, daemones, ut incipientes ab ardua perfectionis via deterreant, saevissime in illos iuxta intentionem et extensionem divinae permissionis eos affligunt; ex alia vero parte, hac persecutione territi incipientes se miserrimos et quasi reprobos existimant. Cum enim illam in peccatorum suorum poenam evenisse arbitrentur, et latens ibi divinae bonitatis arcanum ignorent, credunt se iam daemonibus traditos, ut ex tunc in aeternum exactas peccatorum suorum poenas luant. Unde miris affliguntur et coram Deo humiliantur; et sic a praeteritis purgantur immunditiis » (tr. 3, d. 2, a. 2, t. 1, p. 387).

1462. — **Per seipsum solet daemon huiusmodi animas perturbare** (addit Lopez Ezquerra, ibidem), visionibus horribilibus, moestissimis spectris, et horrisonis vocibus, blasphemiis, et minis; simulque acerbissimos dolores, nervorum contractiones, et obscuritates illis infligendo.

1463. — Ad has omnes daemonis fabulationes potissimum remedium est perseverare in patientia et resignatione (ut docet Ignatius de Loyola) sustinentes rabiem et amaritudinem, aut dolorem incussum, Deumque intimis clamoribus invocando, seseque signo crucis muniendo, obtestantes daemonis fallaciis dissentire, et providentiae Altissimi in omnibus et per omnia se submittere, et in Domino confidentes superbi hostis machinationes despicere, quia est maximum medium ad profligandam daemonis fortitudinem.

1464. — Si autem anima tunc possit tranquillo spiritu in Deum assurgere, ibique permanere, gaudens pro eo tribulationem pati; absque dubio statim daemon fugiet, quia ille unionem animae cum Deo sustinere non potest, et anima ex divino consortio consequitur miram et invincibilem fortitudinem, quam daemones horrent.

1465. — Nullo modo permittat director, quod anima daemonem lacessat, aut in praelium vocet, neque similiter quod eius fabulationibus attendat, nec satisfacere procuret, cum eo argumentando et respondendo; efficacior quippe in illum syllogismus erit contemptus et vilipendium illius; quod fieri debet humiliter, non in propria virtute innixa, sed in Domino, a quo omnis fortitudo et robur procedit; audacter tamen, et absque formidine, quasi muscam aut contemptibilem formicam despiciat. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1466. — **Diabolica perturbatio animarum per alios.** — Addit idem auctor, tr. 6, cap. 5: Solet etiam daemon in familia animae purgandae magnam adversus eam aversionem et fastidium generare, ita ut eius singulos quasi ad nauseam provocet, et aliquando vasa seu aliqua supellectilia domus confringit, ut adversus eam dominorum iracundiam commoveat; qui si famulus sit, nimis angitur, maxime si illic eum perseverare oporteat, quia absque dubio exponitur expulsioni, et incommoditati.

1467. — Debet (tunc director) *primo* animam hortari ad patientiam, resignationem, et firmam spem in Deo, qui eam non patietur ultra vires tentari, et dum illud hospitium ei abstulit, commodius aliud conferre potest. — *Secundo* eam moneat, quod diligentius, et hilarius solito heris et domesticis famuletur atque eorum humores et aspera verba studeat tolerare,

mitissimaque semper responsa dare. — *Tertio,* si videat magister quod supradicta non proficiant, sed quod effectu famulum illum vel famulam e domo eiicere tentant, debet heros eius adire (casu quo oporteat illic permanere, quia saepius non oportebit) et hortari, ut apud se illam famulam retineant [vel prudenter hortari piam aliquam familiam ut illam apud se ex charitate suscipiat]... Veruntamen in huiusmodi casu debet caute procedere, maxime si hoc evenire contingat cum puellis, aut feminis gratiosi vultus, quia cum a daemone purgationis causa haec sit tempestas excitata, poterit mundo suggerere aliquam inhonestam vel foedam magistri suspicionem.

1468. — Procurat etiam daemon, quod aliqui imposturam vel foeda crimina animabus purgandis imponant, ut tamquam hypocritae, vitaeque perversae ab omnibus reputentur.

1469. — Insuper solet daemon animas perturbare per aliam perniciosam suggestionem, in eis inferendo odium, aversionem, vel contemptum erga earum magistrum: quae quidem suggestio est valde nociva, quia exinde provenit sui interioris occultatio, quae ad recipiendas diabolicas fallacias disponit. Si haec tentatio manifestatur directori, statim evanescit. Si autem anima ex verecundia tacere incipiat, multa mala gignit. Poterit Director cognoscere in ea hanc tentationem, licet illam studiose celare procuret, quando videat quod ex suis monitis et doctrina non consolatur, sicut heri et nudius tertius; imo cum sui interioris rationem reddit, tepide se gerit... (1).

(1) *Bona sensibilia.* Etiam extra astutiam daemonis, Deus ad purgationem permittit iacturam in bonis, in valetudine, et persecutiones hominum. Unde Vallgornera, q. 2, disp. 8,

— Ergo si observet (in discipulis), quod cum antea aperti essent, nunc penitus fiunt taciturni, indubie credat, aliquam adversus eum habere tentationem, et tunc eis ad cautelam incommoda et pericula huius pessi-

a. 10, ait: « Bona fortunae, consanguinei et affines, honores et dignitates, inter res sensibiles, quantum attinet ad praesens institutum, computantur. Quorum omnium iactura Deus utitur ut servos suos viam perfectionis ingressos a pravis affectibus purificet. Cum enim affectus humanus naturae corruptae potius ad visibilia, quam ad invisibilia connaturaliter tendat, ex eo quod illa sunt homini pervia, et pro statu mortalis vitae magis proportionata; inde est quod Deus, ut ab inordinato rerum visibilium affectu nos abstrahat, et ad seipsum alliciat, misericorditer per eorum subtractionem liberat, quos miserabiliter eorum possessio ligatos tenet. Non dubito, quin haec purgatio per iacturam omnium sensibilium amara sit, sed si patienter de manu Domini sustineatur, dulcescit ».

Similia habet Philippus a SS. Trinitate, qui ait: « Inter res sensibiles quantum attinet ad praesens institutum, computantur bona fortunae, consanguinei et affines, honores et dignitates, quorum omniun iactura Deus utitur ut servos suos viam perfectionis ingressos, a pravis affectibus purificet, ut singillatim exemplis e sacra Scriptura deductis, vel etiam Sanctorum historiis demonstrabitur » p. 1, tr. 3, d. 2, a. 4, p. 393).

Et addit: « Sub bonis corporis sequentia numeramus: perfectam videlicet sanitatem, connaturalem omnium membrorum usum, non impeditas quinque sensuum operationes, decentem pulchritudinem et alia huiusmodi, in quibus homines, carnales praesertim, magnam beatitudinis partem, et aliquando totalem beatitudinem constituunt; ipsique viri spirituales, etc... Unde quibusdam infirmitates ordinarias, et aliquando continuas, aliis membri alicuius carentiam, aliis sensus alicuius privationem, aliisque denique corporalem immittit deformitatem, quibus eos perfecte purificatos sanctificet, ut in Sanctorum historiis manifestum habetur (p. 1, tr. 3, d. 2, a. 5, p. 398).

Purgandus etiam honoris appetitus, de quo Angelicus, 2. 2,

mae taciturnitatis latius exponat. — *Haec Lopez Ezquerra.* — Nunquam tamen cum discipulis loquatur director de tentatione inhonesta eumdem directorem respiciente: quia tunc ipse magister fieret quasi tentator discipulorum, misere deciperetur a diabolo, et facile ad ruinam duceretur spiritualem et propriam et alienam.

Obsessiones et possessiones diabolicae.

1470. — Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 6, ait: « Inhumanum prorsus atque ferinum est tormentum, quo per se ipsum daemon (permittente Deo) animas torquet et dilaniat; in earum scilicet corporibus ingrediendo, ad eas tantummodo exercendas.

q. 131, a. 1, ait: « Tripliciter autem appetitum honoris contingit esse inordinatum: uno modo per hoc quod aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet; quod est appetere honorem supra suam proportionem: alio modo per hoc quod honorem sibi cupit, non referendo in Deum: tertio per hoc quod appetitus eius in ipso honore quiescit, non referens honorem ad utilitatem aliorum ». Hoc triplex periculum per iacturam honoris a Deo permissam tollendum est.

Persecutiones. Teste Schram, § 200, 201: « Purgatio passiva partis sensibilis perficitur subinde per tentationes et persecutiones ab hominibus inductas, quales etiam S. Iob ab uxore et amicis suis sustinuit. — Persecutiones etiam pro purgatione sua, subinde animabus perfectioni studentibus moventur ab improbis catholicis ». — De quibus persecutionibus scribit Philippus a SS. Trinitate: « Sensibilior nonnunquam est hominum persecutio quam daemonum (p. 1, tr. 3, d. 2, a. 3, t. 1, p. 388). Et Card. Brancatus, addit: « Aliqui iusti a Superioribus etiam ecclesiasticis et supremis, male informatis, Deo permittente, purgantur et mortificantur » (Opusc. 6, de Oratione, c. 5).

— Ante eius manifestationem, summe difficile est et impenetrabile negotium, utpote quia daemon cavillose se dissimulat, ne tormentis exorcismorum verberetur... quia nimirum daemon non solum species imaginationis perturbat et confundit, verum etiam eas complicando et obscurando, imaginationem infatuat ».

1471. — Teste Alardo Gazaeo, cap. 11, collat. 7, communis theologorum « distinctio hoc discrimen statuit inter obsessos et possessos: quod in his sit daemon, sicut erat in statuis idolorum nonnunquam; illos vero extrinsecus tantummodo divexet, obsideat aut comitetur ».

1472. — Iuxta Comp. Scaramelli et alios doctores: « **Obsessio seu circumsessio diaboli** propria est animabus quas Deus purgare et ad perfectionem vult elevare, possessio autem daemoniaca eiuscemodi animabus non convenit. *(Sed vid. n. 1472).* **Possessio daemoniaca**, solis energumenis propria, est peculiaris potestas aut supremum quasi dominium, quod daemon in personae alicuius corpus, sensus et humores ita acquirit, ut quaecumque hominis contradictio, ac repugnantia potestati huic frustra obnitatur ».

1473. — Iuxta Angelicum, 3 p., q. 71, a. 2, ad 1: « Energumeni dicuntur, quasi interius laborantes ex intrinseca operatione diaboli ». — Et Card. Bona. addit: « Ut aliquis vere dicatur energumenus sive arreptitius, non satis est ut vexetur extrinsecus sicut Iob et Antonius abbas, atque alii sancti, sed requiritur ut diabolus sit in illo intime praesens, sicut motor in mobili, et in eo aliquid operetur ».

1474. — Dicit quidem Viguerius: « Non legimus Deum misisse diabolum ad vexandum interius iustos... Interius aliquem vexatum absque peccato non legimus ». Sed Comp. Scaramelli, rite notat: « Ex

eo autem quod possessio sit tantum poena peccati et non purgatio ad contemplationem, non concludas, homines sanctos non possideri posse a daemone. Deus aliquando permittit, ut etiam viri sancti a daemone possideantur ad plectenda, non gravia sed levia servorum suorum peccata. Abbas Moyses, ob durius verbum in disputando cum Abbate Macario sibi elapsum, statim adeo a daemone correptus fuit, ut humanas egestiones proprio ori ingereret. Religiosa quaedam monialis ideo a daemone fuit possessa quia lactucam in horto, non praemissa benedictione, avide manducaverat. Alia in vita SS. Patrum relata legimus exempla. Istae autem possessiones non erant diuturnae : Abbas Moyses orationi Macarii statim fuit a daemone liberatus, et monialis ista mox eamdem obtinuit gratiam oratione S. Equitii ».

1475. — Nota tamen, quod possessio diabolica ideo *per se* non habenda est ut purgatio passiva, quia teste Schram, § 217 : « Status arreptitii valde impedit exercitium perfectionis, uti ex recensendis mox impedimentis apparebit, et satis apparet ex perturbato et everso, in illo statu, usu rationis, qui tamen ad augenda merita et perfectionem per ea promovendam omnino requiritur, qui est totus finis animas sanctas per diabolicas vexationes probandi et perficiendi ; atque haec est ratio cur animae sanctae potius per obsessionem probentur et perficiantur ; possessionibus vero, vel raro admodum vel nonnisi ex parte et transeunter ; quod vix ad propriam possessionem sufficit ».

1476. — Iterum ergo dicendum cum Comp. Scaramelli : « Quamobrem si director personas energumenas inveniat, non eas in purgatione passiva constitutas putet, nec ea illis praecepta iniungat, quae animabus in illo statu praescribi solent. Ante omnia

curet ut tollant causam possessionis ; et tunc mediis utatur ab Ecclesia praescriptis, ut quam citius liberet eas ab hoste illo molestissimo ».

1477. — **Signa verae possessionis diabolicae.** — Card. Bona, de discr. spir. c. 11, n. 14, ait: « Signa autem univoca et fere certa sunt, cum quis lingua peregrina loquitur, quam nunquam didicit : cum litterarum atque artium ignarus legit, scribit, pingit, et ex arte cantat, aut de rebus altissimis disserit, qui nunquam studuit : cum occulta revelat adeo ignota, ut nulla industria vel ingenio humano sciri possint :... cum iussus recitare symbolum apostolorum vel petere veniam peccatorum omnino renuit : cum cessante vexatione eorum quae dixit non recordatur, aut de his interrogatus nescit respondere ».

1478. — Notat Angelicus, 1. 2, q. 80, a. 3 : « Diabolus... potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum qui de suo genere peccatum est : non autem potest inducere necessitatem peccandi... Homo motivo ad peccandum non resistit nisi per rationem ; cuius usum totaliter impedire potest movendo imaginationem et appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis patet. Sed tunc, ratione sic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum ».

Utilitates purgationis passivae sensus.

1479. — De hac re sapienter scribit Lopez Ezquerra, qui tr. 6, cap. 7, quatuor commoda seu utilitates huius purgationis ponit: **Primum.** « Quantumcumque enim illa poenosa sit, atque horribiles sint in ea divinae permissiones, tanto amplius anima in fortitudine crescit, et passionum suarum quoddam quasi

dominium assequitur; quo eas compescit, ordinat, et ad regulam rectae rationis reducit. Demum efficitur cauta, prudens, ad divinam unionem aptior, et ad aliorum eruditionem doctior.

1480. — « **Secundum** commodum est, quod per hanc purgationem disponitur anima ad aliam purgationem passivam spiritus, quae est immediata dispositio ad unionem divinam et supernaturalem, ad quam accedere absque hac sensus purgatione non potest.

1481. — « **Tertium** commodum est, quod per hanc purgationem ingreditur anima in illam habitualem et amatoriam notitiam Dei, quae active solet et potest comparari, ut tenet B. Ioannes a Cruce, lib. 1, noct. obscur. cap. 12, n. 4, utpote absque materialibus phantasmatibus et formis imaginariis (quae impropriae divini obiecti sunt) subtilius, intimiusque cum eo confabulari assuescit, quod quidem absque hac sensus purgatione minime habere potest ex habitu, quatenus sensibilibus delectationibus sensuum et materialibus formis assuefacta.

1482. — « **Quartum**, et ultimum commodum est, quod anima ab immediata daemonis [quasi] iurisdictione liberatur, ut tenet Augustinus, lib. de moribus Ecclesiae, et Ioannes a Cruce, lib. 1, noct. obscur. cap. 13, n. 9, quandoquidem (ut saepius diximus) nequit ille spirituales potentias immediate invadere, nisi mediis sensibus et materialibus formis, quas dum anima non transcendit, in proxima daemonis [quasi] iurisdictione versatur ».

1483. — Et addit: « Alia plurima oriri animae commoda ex hac sensibili purgatione affirmat idem extaticus Doctor; scilicet, profundam humilitatem, debitam conversandi cum Deo reverentiam, eiusque

sedulam recordationem, atque ad expugnanda vitia mirabilem fortitudinem, et alia ».

1484. — Item: « **Tempus, quo haec purgatio durat**, non est in omnibus aequalis, ut docet B. Ioannes a Cruce, lib. 1. noct. obscur. cap. 14, per haec verba. = Neque certus durationis eius terminus praescribi potest, quatenus non in omnibus eodem modo, neque eisdem tentationibus agitur, quia hoc a Deo disponitur, et iuxta maiorem vel minorem imperfectionem animae purgandae, et similiter iuxta gradum unionis et amoris, ad quem elevanda est, magis aut minus intense et diuturne eam humiliat et purgat. Debiles vero remisse et morose, parvisque tentationibus per huiusmodi purgationis noctem diuturno tempore conducit; eis plerumque concedendo sensibiles consolationes, ne quasi pugiles et ad labores sustinendos impotes terga vertant, aut recalcitrent; quamobrem in hac vita sero ad purum spiritum perveniunt, et aliquae nunquam. = Haec Extaticus Doctor ».

1485. — **Pauci Deo fideliter respondent in hac purgatione.** — Unde, ibidem, addit idem auctor: « Haec purgatio solet esse vorago spirituum, et stagnum animarum, ab ea siquidem paucissimae resiliunt; tum propter earum ignaviam et desidiam, quatenus scilicet purgationem sustinere nolunt, aut [quasi] nequeunt; quapropter consolationes sensibiles et materiales gustus, quos devotiones vocant, quaesitare non cessant. Tum propter inscitiam directorem, qui ad labores et tenebras animae caecutientes, et semitas puri spiritus ignorantes, ab intima et spirituali arrepta via, ad sensibilem et iam praetermissam viam revocant: Tum denique... propter debilitatem, aut velleitatem animarum, quandoquidem hae, vel horroribus et tentationibus conterritae, vel

a persistentia tam duri itineris defessae, illud penitus relinquunt, vel saltem per illud passim recalcitrantes incedunt ».

1486. — Et quidem, teste Philippo a SS. Trinitate: « Ceterorum omnium bonorum tam externorum quam internorum ipsius corporis privatio tolerabilis, imo suavis est, quâmdiu quis se eam pro Christo credit tolerare, et simul praedictorum affluentia bonorum amarescit, ut ait Bernardus in cantico: – Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere mundum. – Sed in hac purgatione passiva partis sensitivae, vir devotus, per subtractionem gratiae sensibilis, sic obscuritatibus involvitur, ut potius se derelictum et inimicum Dei iudicet quam amicum, potius se ei displicere credat quam placere, ita quod vereatur omnia opera sua » (p. 1, tr. 3, d. 2, a. 6, p. 402).

1487. — Exinde merito timenda **cessatio a bonis operibus**, nisi purgatus fideliter contra tentationes purgativas pugnet. Unde addit idem Philippus a SS. Trinitate: « Haec tentatio valde frequens et pene communis est in purgatione passiva partis sensitivae, non autem in purgatione partis intellectivae. Ratio utriusque est: quia purgatio passiva partis sensitivae praecedens intellectivam solis convenit incipientibus nondum in virtute firmatis, qui potius amore concupiscentiae et motivo dulcedinis spiritualis qua in virtutum exercitio perfruuntur quam amore amicitiae, seu unico placendi Deo ducuntur motivo, et sic ad maximam difficultatem terrentur et a bonis operibus cessare tentantur » (p. 1, tr. 3, d. 5, a. 1, p. 439).

1488. — **Monitum S. Ligorii**: « Post hanc purgationem sensus solet Dominus concedere donum contemplationis quae dicitur gaudii; scilicet recol-

lectionis supernaturalis; quietis et unionis... sed ante unionem et post recollectionem et quietem, solet Deus purgare animam ariditate spiritus, quae dicitur ariditas substantialis, qua Dominus vult ut anima se totam in seipso annihilet » (Praxis confess. n. 129. Idem docent alii).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Teste S. Damasceno, Ipsa est: Civitas animata Dei viventis, de qua dicta sunt gloriosa, Canticum Angelorum, Coelum animatum Regis coelorum.

Mariam invoca. — O Maria Immaculata, quae a S. Damasceno rite dicta es: Coelum novum, de quo diem festum splendide agit rerum natura, Coelum in terra factoris coeli et terrae; ora pro me, et ab omni inquinamento peccati libera me.

Mariam laetifica. — Coelestium conversatione, amore et desiderio. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. III.
DE PURGATIONE PASSIVA SPIRITUS.

Purgatio passiva spiritus in genere.

1489. — **Purgatio passiva spiritus seu partis intellectualis**, in privatione devotionis intellectualis accidentalis, seu rationalis consolationis et dulcedinis consistit (vid. n. 1442). Eam Card. Bona (de disc. sp. c. 13), ita describit: « Est mentis obtenebratio, et voluntatis aegritudo adeo terribiliter excrucians animam, ut poenis inferni similis esse videatur... In parte vero superiori densissima caligine mens obscuratur, languet voluntas, nusquam inveniens consolationem, nec in Deo, nec in creaturis: omnis aestus amoris refrigescit; et quod gravissimum est, tot tentationibus premitur, ut sibi saepius videatur diffidentiae, blasphemiis, ac desperationis assensum praebuisse. Hoc horribile tormentum poenis inferni assimilant, qui experti sunt ». Purgatio passiva spiritus seu partis intellectualis potissimum perficitur in memoria et phantasia, intellectu eiusque operationibus, et voluntate eiusque actibus, ut notat Schram, idque cum totius hominis eiusque etiam appetitus sensitivi confusione et tormento.

1490. — Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 3, disp. 6, a. 1, ait: « Explicans illud ad Rom. 1: *Manifestum est illis*, dicit sanctus (Thomas): Deus dupliciter aliquid homini manifestat, uno modo infundendo lumen interius, per quod homo cognoscit. Ps. 42. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Alio modo proponendo suae sapientiae signa exteriora. —

In purgatione passiva partis intellectivae infundit lumen primo modo, et hoc lumen manifestat omnia conscientiae propriae secreta et omnes maculas, et atomos quarumcumque imperfectionum alias latentes ».

1491. — Probatio haec igni comparatur, iuxta comparationem Angelici, qui, *Pot.* q. 7, a. 5, ait: « Dicitur etiam ignis, quia operatur ad modum ignis, dum purgat, quod ignis suo modo facit ». — Et in *Expos.* in Isai. c. 33, addit: « Deus dicitur ignis primo purgans. Matth. 3: *Baptizabit vos Spiritu Sancto, et igne.* Secundo inflammans. Luc. 12: *Ignem veni mittere in terram.* Tertio condemnans. Deut. 32: *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* ». — Unde merito concludit Vallgornera, q. 3. disp. 6, a. 3, n. 1: « Lux ista ex divina dispositione se habet sicut ignis purgatorii, qui virtute divina elevatus, purgat affligendo spiritualem animam ».

1492. — Philippus a SS. Trinitate, p. 1, tr. 3, d. 3, a. 1, ait: « Vix sermone potest etiam ab expertis exprimi, quantae sint huius noctis (purgationis) angustiae, quantus horror, et quam intima spiritus afflicti tribulatio ».

1493. — S. Ioann. a Cruce, Noct. obs. l. 2, cap. 5, dicit: « Sensus enim et spiritus, ac si immenso aliquo, obscuroque onere premerentur, affliguntur, adeoque agonizant, ut mortem pro refrigerio libenter eligerent. Hinc in spiritu quidam dolor, gemitusque adeo profundus promanat, qui vehementes in ea rugitus, ululatusque spirituales producit, quos etiam aliquando verbis exprimit, in lacrymasque tota, si vires suppetant, ut hoc praestare possit, resolvitur, quamvis rarius levamine huiusmodi recreetur ».

1494. — Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 8, scribit: « Prima purgatio sensus efficitur, ut pars inferior proportionetur superiori, eique perfecte subordinetur. Purgatio vero spiritus efficitur ut pars superior disponatur ad unionem animae cum Deo. Unde cum sit infinite maior distantia inter creaturam rationalem et Deum, quam sit inter partem inferiorem et superiorem eiusdem naturae et suppositi, ut ex se patet; ideo purgatio spiritus necessario debet maior (esse) et fortior, quam sit purgatio partis sensitivae. Propterea igitur haec purgatio spiritus, tanto horribilior, et fortior est praeterita, quanto distat coelum a terra; caro ab spiritu, et afflictio corporis ab intima et subtili afflictione animae ».

1495. — **Tempus intermedium inter purgationem passivam sensus et purgationem passivam spiritus.** — De hac re ita loquitur idem auctor, ibidem: « Purgatio spiritus non statim ac perfecta et absoluta expurgatione sensus initium sumit (ut docet B. Ioannes a Cruce), sed magis vel minus procrastinatur, secundum maiorem vel minorem animae dispositionem, et comparatam fortitudinem ad sustinendos labores venturos; in cuius temporis intervallo, manet anima tranquilla, pacifica, quieta, et ad simplicem atque amatorium Dei intuitum (seclusis sensibus et phantasmatibus) habilis et prompta ».

1496. — Philippus a SS. Trinitate notat: « Quamvis haec purgatio (intellectiva) non immediate sequatur purgationem passivam partis sensitivae, solet enim proficientibus post longum contemplationis exercitium et copiosam rerum supernaturalium communicationem advenire; quia tamen aliquando praecedenti purgationi sensitivae coniungitur, et maxime propter connexionem materiae, de illa nunc agitur » (p. 1, tr. 3, l. 3, praeamb.).

1497. — Scribit Comp. Scaramelli: « Iuxta sanctum Ioannem a Cruce purgatio spiritus contingit ordinarie post purgationem sensus. Postquam anima, nocte sensus finita, per aliquod tempus suavis contemplationis deliciis fruita est, supervenit ei, dum minime opinatur, nox secunda multo obscurior et molestior, quae purgatio spiritus dicitur. Deus hoc pacis intervallum concedere solet, ut anima novas acquirat vires ad tremendas secundae purgationis afflictiones sustinendas. Quum autem Deus non sequatur regulas certas in sanctificatione animarum, sed unamquamque fere ducat per viam particularem ad contemplationis et perfectionis gradum quem ipsi destinavit; nullum tempus spiritus purgationi assignari potest tamquam certum. Beata Angela de Fulginio ambabus, et sensus scilicet et spiritus, purgationibus simul, ut in vita eius relatum legimus, purgata est ».

1498. — Philippus a SS. Trinitate, ait: « Aliqua superius adducta sunt documenta circa modum procedendi in purgatione passiva partis sensitivae, quae etiam pro hac purgatione passiva partis intellectivae valde sunt utilia, et multo magis necessaria; primum maxime de eligendo directore apto, scilicet prudente, docto et experto, si fieri potest. Cum enim, huius purgationis via non sit ordinaria et a paucis trita, ductore magis experto opus est, ne in ipso viae processu periculum adsit, et incauta pereat anima » (p. 1, tr. 3, d. 1, a. 6, t. 1, p. 375; d. 3, a. 6, p. 440).

1499. — Idem Philippus a SS. Trinitate, addit: « Nec media superius adducta et sensitivae purgationi de servientia, ab hac intellectiva penitus excluduntur; imo etiam aliqualiter ad illam concurrunt, cum purgatio sensitiva compleatur cum intellectiva, et

propter identitatem suppositi utriusque partis sensitivae et intellectivae, et connaturalem ipsarum sympathiam, angustiae et dolores unius redundent in aliam » (p. 1, tr. 3, d. 4, praeamb.).

1500. — Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 8, ait: « In hac intercapedine curare debet director, quod anima brevibus meditationibus utatur, nec sensui, aut eius exercitio vacet, sed per discursum et pondus rationis statim in termino meditationis conquiescat, et per species fidei edocta et ducta, in simplicem et amatorium divinae veritatis intuitum resurgat; faciliter namque, et interdum per solam Dei memoriam in eo ocius conquiescet. Quodsi diu ibi permanere non valeat, brevissimam meditationem, vel aliquam amatoriam et fervidam iaculatoriam eliciat et illico ad requiescendum in termino aspiret. — Exercitium virtutum, et omnimodae et solicitae mortificationis, studiosius hoc tempore colere debet; alioquin breviter retrorsum revocabitur ».

1501. — Et addit: « In hoc tempore solent esse visiones, deliquia, lacrymae, et revelationes; quia, ut bene docet B. Ioannes a Cruce: Huiusmodi res fiunt quando communicationes animae non sunt pure spirituales, id est, non pro solo spiritu, sicut illae quae fiunt perfectis ». — *Sed rite monet:* « Igitur reputare debet magister, tamquam vere spirituales, eos nimirum, qui per viam virtutum, mortificationis, et puritatis, in paupertate spiritus, et terrenarum omnium abnegatione Christum consectantur, atque in se ipsis induere concertant; nec eos qui extraordinariis rebus et sensibilibus visionibus onusti sunt, propter eas aestimet ».

1502. — **Tempus quo incipit haec purgatio passiva spiritus.** — Igitur, prosequitur idem Lopez Ezquerra, ibidem, « post aliquod tempus, aut annos,

quibus praedictae animae interdum laboribus exercitae, et interdum consolationibus refertae, iter suum fervide obsequuntur, si tamen in eis sit dispositio, et in earum directoribus diligentia, cum ..... feliciter suaviterque cum divino suo Sponso cubant in meridie, repente eis supervenit horribilis et atra nox; atque subita quasi violentia ablato lumine, palpabili tenebra, et densa caligine obteguntur; ad instar illius qui dum solis splendorem conspicit in suo auge, aut meridie, improvise ei absconditur lux, et profundae noctis umbris circumvolvitur ».

1503. — **Causae purgationis passivae spiritus seu partis intellectivae**, variae numerantur. — Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 3, disp. 6, a. 1, ait: « Quatuor causas assignavimus purgationi passivae in parte sensitiva... sic in praesenti... *Causa materialis* purgationis passivae in parte intellectiva est pars superior animae, dicta intellectiva ab intellectu principali eius potentia. In hac superiori parte consideratur anima rationalis seu intellectiva cum propriis potentiis secundum se sumptis, et ut docet D. Thomas, Opusc. 35, in natura intellectuali sunt duae solum potentiae, scilicet intellectus et voluntas... *Causa formalis* est lux clarissima contemplationis, quae intima cordis arcana, et centrum animae penetrans, omnes eius defectus quantumcumque latentes et minimos ei manifestat, et adiunctis circumstantiis, maxime personae offendentis et offensae, mirabiliter cruciat, intellectum tenebris obvolvendo, et voluntatem quadam abiectione et desperatione ad extremas angustias reducendo... *Causa efficiens* est Deus benignus et misericors, qui purgando suorum electorum animas, ad sui disponit unionem... *Causa finalis* est unio intima cum Deo, ad quam huiusmodi purgatio condigne praeparat animam et apte

disponit: summae namque puritati divinae anima propriis infirmitatibus impura convenire non potest, nec nisi purificata et purificatione proportionata valet ei coniungi, et ab aliis omnibus creatis segregari ».

1504. — **Triplex subiectum purgationis passivae spiritus**: I. **Memoria**; II. **Intellectus**; III. **Voluntas**. In difficillima hac de passiva purgatione spiritus quaestione, praeter causas supra descriptas, expedit et *potentias praecipue subiectas purgationi* et *instrumenta eiusdem purgationis* accurate considerare. De istis Lopez Ezquerra, de illis Schram sapienter inter alios scripserunt, quamvis eorum explanationes quasi compenetrentur, sintque veluti diversi modus eamdem difficillimam rem exponendi, quod quidem et in aliis mysticis fieri solet.

1505. — **Memoria.** — *Primo igitur purgatio passiva partis intellectualis perficitur per derelictionem memoriae, phantasiae et imaginationis;* quae consistit, ait Schram, in quibusdam poenalibus tenebris et terrificis obscuritatibus, per quas anima affligitur, ita ut omnia sua obiecta inverso ordine imaginetur. Unde 1° licet sit grata Deo, tenaciter apprehendit, quod ipsi sit inimica. 2° Imaginatur sibi iratum, et ad vindictam accinctum Deum. 3° Sive orationem, sive animam perditum iri autumat. 4° Persuadet sibi, iam non vitae in melius commutandae, nec forte salutis aeternae viam suppetere. 5° Solent tunc exurgere magno cum tumultu intricatae repraesentationes, et scrupuli contra fidem, spem et charitatem, atque simul cum rebellante phantasia tumultuatur appetitus sensitivus, et in totam animam inexplicabile tormentum, et confusionem derivat.

1506. — **Intellectus.** — *Secundo. Purgatio passiva partis intellectualis perficitur per derelictionem intellectus,* qui adinstar solis eclipsim patientis, quadam

ingenti obscuritate in lumine intellectuali obruitur, quo fit, ut habitus scientifici se abscondant, consolatio deficiat, discursus non concludat, prudentia non valeat, experientia sit in oblivione, ignorantia dominetur, dubia, suspiciones, scrupuli etiam contra rectam rationem in unoquovis obiecto occurrant.

1507. — **Voluntas.** — *Tertio. Purgatio passiva partis intellectualis perficitur per derelictionem voluntatis,* quae tempore derelictionis fornax est, in qua totum, quod in tam terrifica purgatione amarissimum est, cuditur: imo est veluti centrum, in quo innumerabilium laborum, taediorum, obstinationum, indignationum, tentationum, furiarum, angustiarum, blasphemiarum contra Deum ac sanctos, lineae concurrunt. In hac cruce et conflictu anima posita, sentit in semetipsa vagari, et effraeni licentia rebellare vitia, et passiones suas, ac si essent totidem immundae cloacae, toxicum suum in eam exhalantes. — Haec Schram, § 227-229.

1508. — Similia habet Comp. Scaramelli: « Purgationis hac luce potentiae sensitivae et intellectuales non solum affliguntur, sed etiam, quod ultimum horum cruciatuum complementum est, actibus suis quasi expoliantur. — *Intellectus*, huius lucis vehementia in malorum et miseriarum suarum obtutu violenter defixus, neque ad terrena, neque ad rerum coelestium considerationem sese elevare, neque ad terrenorum cognitionem divertere potest. — *Voluntas*, per obscuram illam contemplationem, molestissimis affectibus profunde pariter immersa, nec ad ullos alios coelestes affectus sese elevare, nec in aliis terrenis affectionibus occupari valens, omnibus expoliata, in extrema haeret paupertate... — *Memoria* recordationi propriarum miseriarum vehementer affixa, ab omnibus aliis rerum naturalium et

spiritualium speciebus alienatur, ita ut personae in hac purgatione versantes valde sint obliviosae, cadant frequenter in ingentes animi stupiditates, et insolitos memoriae defectus; per integras horas nesciant quid egerint, quid agant, aut quid agere velint. Etiamsi sibi ipsis invigilent, non possunt hos defectus impedire. — Tandem etiam in appetitu sensitivo plena omnium affectionum expoliatio sequitur. Est enim erga res sanctas aridus et exsiccatus ».

1509. — **Triplex est instrumentum purgationis passivae spiritus**: I. **Lumen infusum modo purgativo**; II. **Amor infusus modo purgativo**; III. **Commercium creaturarum**. De qua re fuse agit Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 9-11, cuius doctrinam hic compendiamus.

1510. — **Lumen infusum modo purgativo.** — *De primo hoc instrumento purgationis passivae spiritus seu partis intellectivae*, ita scribit auctor iste, cap. 9: Princeps instrumentum huius obscurissimae noctis est lumen infusum modo purgativo; de quo sermonem fecimus supra... quod in hac purgatione valde efficacius animam torquet, et aliquos effectus diversos ab alia purgatione parit; quia non solum in ea inducit caliginem, caecitatem, et interiorem et irreflexam conversionem ad eius fundum, unde arescunt sensus et mortificantur, simulque obcaecatur potentia per excessum infusi luminis; verum etiam eam quasi per immensam molem et ponderosum plumbi talentum, ita assidue onerat et opprimit, quod quasi viribus suis confracta, succumbit, et quasi suffocari vel crepari videtur.

1511. — Praeterea hoc lumen in anima parit dolorem intimum, et profundissimam annihilationem, ut confirmat Philippus a SS. Trinitate, quatenus

animam componit Deo, utpote demonstrando eius altissimam Maiestatem oppositam nimiae deiectioni et miseriae animae, et simul quam dignus sit omnium creaturarum obsequio, et quam ingratissime peccata pro cultu retribuit. Exinde divinam iustitiam, Deique vultum, quasi vindictam sumere volentem, in pauperculae animae oculus exponit, quae nimio horrore perculsa, barathri potius cavernas eligeret, quam iratum Dei vultum intueri.

1512. — Ex huiusmodi contrapositione nimis depauperatur anima, quandoquidem nihil in se boni considerans, divinae sanctitati composita redditur quasi squallida, et polluta menstruis... Amplius depauperatur anima: « Quia sentit in se (ait B. Ioannes a Cruce, lib. 2. noct. obscur. c. 6) quoddam profundum vacuum, et paupertatem ex triplici bonorum genere, quae ad animae gustum ordinantur; videlicet, naturalium, temporalium, et spiritualium, quandoquidem se conspicit in manus adversariorum traditam; hoc est miseriarum imperfectionis, quae in comparatione sanctitatis divinae, quasi maxime pravitates videntur: ariditatis, quia lumen omnino arefacit omnes delectationes sensuum; carentiae apprensionum, quia lumen infusum in ullo naturalium discursuum inniti permittit. Denique desolationis spiritus in caligine, quia haec profunda caligo ab infuso lumine procedens, una cum praeconcepta Dei severitate, adeo afflictam generat desolationem, quod teste Iobo, c. 23, 8, anima circumquaque conspiciendo, nullum invenit auxiliatorem ».

1513. — Hinc evenire solent animae... non solum mortis angores, et desperationis affectus, qui vere dolores inferni a David vocantur: Dolores inferni circumdederunt me... sed etiam ex huiusmodi caligine oritur et spiritus vertiginis, qui adeo animam in

suis operationibus obscurat, quod trepidando timore, ubi non erat timor, in omni opere peccare lethaliter timet.

1514. — Tot denique sunt angustiae, dolores, scrupuli, et horrores, quos in anima efficit hoc lumen purgativum, quod eos impossibile est referre, et ad numerum reducere, ex quibus plura refert B. Ioannes a Cruce... et fiunt a lumine dupliciter. *Uno modo per vim infusionis*, qua anima immenso divinitatis pondere premitur, concutitur, deficit, et obscuratur; *alio modo per ablationem reflexionis*, qua omnium quae bene egit, et agit, et quae ei afferre poterant consolationem, penitus obliviscitur, et eorum tantum, quae male egit, et suo obscuro videri male egit, et quae ei magnam afferunt afflictionem, tantummodo recordatur; perinde desolata amaritudine oppressa, de sua sulute pene desperat.

1515. — Haec omnia sapientissime molitur Deus, ut occulte animas erudiat, et a rubigine vitiorum in fornace tribulationis emundet; inter famosam caliginem abscondens flammam, terram animam reddit, ut nec bona videat quae agit, ne immoderato amore sibi complaceat, et ut mala quae egit per fumum defluentibus oculis dolorose conspiciat, et eorum radices penitus evellat; unde nec in sua iustitia valet consolari, neque de sua iniustitia non horribiliter timere. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1516. — Rem illustrat Comp. Scaramelli dicens: « Lux, quam Deus, spiritualis purgationis tempore, animae infundit, pura, sublimis et clara est; anima autem eam recipiens debilis adhuc et imperfecta: ita ut lucis claritate non illuminetur sed obcaecetur, eodem modo ac oculi corporis, faciem solis intuentes, perstringuntur. Anima ex una parte luce ista quasi obcaecata, ita ut Deum contemplari non possit, ex

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

altera parte valde illuminatur ut cognoscat sua peccata praeterita, omnes imperfectiones praesentes, illas etiam quas nunquam agnovit. Videt tunc suam extremam miseriam, summam paupertatem, et sentit se adeo omnis boni vacuam, ut tantorum suorum malorum conspectu quasi consumetur. Sic ista lux atrocissime etiam cruciat voluntatem ».

1517. — Teste S. Ioanne a Cruce, noct. obsc. l. 2. c. 5,,7: « Haec animae poena ob ipsius impuritatem est immensa, quando nimirum serio est ab ista luce divina transverberata et irradiata. Quando enim lux haec pura pertransit animam ad purgandam eam, adeo se anima impuram, miserabilem sentit, ut Deum sibi esse contrarium, seque vicissim Deo arbitretur... Tunc anima ob apprehensionem, sensumque miseriarum in quibus se versari conspicit, se iam periisse, suaque bona in aeternum finita suspicatur. Hinc in spiritum quidam dolor, gemitusque adeo profundus promanat, qui vehementes in ea rugitus, ululatusque spirituales producit... Qui rugitus, res summi certe doloris est, aliquando enim ob repentinam, acutissimamque miseriarum istarum, in quibus se conspicit anima, memoriam, tantum dolorem, afflictionemque percipit, ut non videam modum quo explicari possit, nisi forte per similitudinem, quam Iob, dum in eadem tribulatione versaretur, adducit hisce verbis: tamquam inundantis aquae rugitus meus ».

1518. — **Amor infusus modo purgativo.** — *De secundo hoc instrumento purgationis passivae spiritus*, haec habet idem Lopez Ezquerra, cap. 10: Inseparabilis omnis luminis purgativi, et infusi est amor vivus et ardens, similiter infusus, et purgativus; qui duplicem... parit in anima poenosissimum effectum.

1519. — *Primus* est dirissime torquere et opprimere potentiam, propter suam exuberantem fortitudinem, et potentiae debilitatem et indispositionem, ita ut merito affirmare possimus, quod licet hic ignis non sit materialis, neque elevatus ut ignis Purgatorii, tamen torquet animam superiori et excessiva activitate... ita ut ei videatur amandi virtutem penitus amisisse, et oculorum mentis obcaecato lumine, cor infuso igne consumptum perdidisse.

1520. — *Secundus* effectus amoris purgativi est, causare in anima dolorosam poenam eorum quae antea concupivit et dilexit; itaque potitum bonum fit ei quasi gladius biceps, qui corpus et animam confodit; et ratio est, quia cum omne quod naturaliter dilexit, immoderate amavit, cuius speciem apud se retinet, contra cuius deordinationem amor iste purgativus dirigitur; quot sunt species imperfecti, amoris, tot habet contrarios, quos destruere debet amor purgativus; quod quidem fieri non potest absque ingenti dolore voluntatis... Deinde praeterita gaudia voluntatis, quae in bonis spiritualibus habuit, quasi omnino deperdita, et irrevocabilia offeruntur; quorum ablata spe remanet voluntas in omnimoda paupertate et desolatione, dolenter plangendo antiquam illam opulentiam, qua nunc privari (quasi) in aeternum conspicit.

1521. — Acrius deploratur amissa prosperitas, quam paupertas nativa. Potita fuit olim voluntas amplexibus dilecti; sed repente obtenebrata, et ab ulnis sponsi avulsa, amissas delicias acrius dolet, quam si unquam eas possedisset.

1522. — Circumcursitat voluntas varia obiecta, ut aliquod solatium capiat; sed dum in omnibus laborem et dolorem experitur, nullis sese tradere audet; omnia formidat; quod durius est, Deum quem

iratum concipit, non solum adire perhorrescit, sed etiam de illo loqui, et recordari formidat (B. Ioannes a Cruce ubi supra) quamobrem in se ipsa praecluditur, ubi crescente flamma, et aestuante purgativo igne, quasi in calcaria fornace inclusa crudeliter dolet, comburitur, et suffocatur.

1523. — Denique purgativus amor ita voluntatem dolorose consauciat, quod quasi sitibundus languens, qui ardenter cupit guttis aquae frigidae linguam refrigerare, sic anima amoris adustione conflagrata, illius cuius caput plenum est rore, et cincinni eius guttis noctium; id est, coelestis sponsi cupit ardenter favoribus irrorari. Sed dum labia eius stillare dulcissimam confectionem putat, et vehementer sitim mitigatura perquirit, labia eius, non dulcem aquam, sed myrrham amarissimam stillare experitur.

1524. — Ex hoc affectu oritur in anima quaedam obscuritas et impedimentum potentiarum, quibus adhuc clamare ad Deum non potest. Putat enim preces eius despicere, minimique eam auditurum, quinimo et pungentium sentium muris se conclusisse, ne voces eius audire valeat, eamque simul septu ignis impenetrabili circumsepisse.

1525. — In hac hebetudine potentiarum ita immergitur anima, quod nec actioni, nec contemplationi apta redditur, et continuo eam occupant quaedam obliviones, et profundissimae absorbitiones, quibus ubi sit, ignorat, quandoquidem neque coeli, neque terrae, neque ipsius suae occupationis reminiscitur; sed tota absorpta, tristis et immersa, potius marmorea statua, quam vivens homo videtur. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1526. — **Creaturarum commercium.** — *De tertio hoc instrumento purgationis passivae spiritus,* ita prosequitur idem Lopez Ezquerra, cap. 11 : *Tertium*

instrumentum huius purgationis est creaturarum commercium, a quo non pauca animae eveniunt tormenta, ut pulchre affert Laurentius Iustinianus in fasc. amor. c. 16; tripliciter enim eam molestant, et affligunt.

1527. — *Primo* in ipsa pia affectione, qua eam consolari intendunt; illae siquidem quasi artificii Domini ignarae, veluti amici Iob, tribulationem, quam vident, non exercitio et purgationi, sed culpis et peccatis referunt.

1528. — Si vero meliori pietate vel sensu ducti, de animae afflictione condoleant; non quod illa exoptat, sed quod odio habet consuadent; utpote quasi carnales, et spiritum nescientes, putant per diversionem et terrenarum occupationum voluptatem, dolorem eius esse levandum; unde vehementer suadent, quod orationem saltem ad tempus relinquat, quod sibi delectationem honestam quaerat, et interdum quod ludis et voluptatibus tristitiam suam eliminare procuret. Et dum per eorum suasionem potius eam desolari quam consolari conspiciunt, eam quasi amentem et fatuam reputant et spernunt, et ex amicis facti sunt ei inimici.

1529. — *Secundo*, quia creaturae fiunt ei obstaculum ad assequendam tranquillitatem spiritus; in eis siquidem nihil aliud reperitur, nisi labor, et dolor. Et si interdum levandi sui doloris causa aliquantulum faciem ad eas convertat, vel eis congaudere procuret, ita illico conturbatur spiritus, quod interius sentiat, affectus suos crudelius solito venire ad arma.

1530. — *Tertio* quia regulariter animae, quae sic purgantur, a creaturis patiuntur dirissimas persecutiones et testimonia (falsa testimonia, quae)... prae caeteris laboribus superbiam domant, qua vetus homo

fuit affectus, et mansuetudinem et humilitatem gignunt.

1531. — Per huiusmodi persecutiones et testimonia crescit in anima tolerantia et patientia, quarum habitus magnopere intenduntur, ita ut sibi superior effecta, quasi puerorum ludos, aut culicis punctiones eas aestimet.

1532. — Propter eamdem rationem contemnit daemonis fallacias et deordinatos motus appetitus; non quia ab utrisque non sentiat invasiones et stimulos; sed quia in suo obscurissimo dolore tota immersa, caetera quasi longe minora contemnens, veluti incus ferreus, malleos malleatorum propulsat et excutit.

1533. — Longe abest ab hac purgatione immediata daemonis astutia, ut tenet Philippus a SS. Trinitate, utpote pure interna et spirituali, atque in animae fundo operante. Verumtamen propter externa signa, atque profundam animae immersionem et tristitiam, maxime cum suas fallacias conspicit despectas, huiusmodi purgationem coniicit... Propterea hic callidus hostis per alias species imaginationi oblatas, curat etiam peccata animae adeo gravia repraesentare, quod ei quasi penitus irremissibilia offerat, ut illa de sua desperans salute, in ultimum desperationis praecipitium labatur. Quae dum hoc affectu iam per infusum lumen praeoccupata est, per hanc daemonis suggestionem maximum incurrit periculum. Perinde a directore indiget sollicite consolari et fulciri.

1534. — Denique magnopere torquetur anima per magistri spiritualis conversationem, et provenit ex pauca consolatione et satisfactione, quam ex eius directione et monitis consequitur; quatenus existimat eum non intelligere, nec veritatem rei cogno-

scere, et hoc est maximum animae tormentum, quandoquidem nulla alia ei remanebat consolatio, neque aliud laborum suorum levamen, nisi directoris sui praesentia et commercium; quo deficiente, omnem prorsus desolationem incurrit. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1535. — Similia docet Comp. Scaramelli dicens: « His omnibus adhuc additur quod ipsae collationes cum directore, animabus hac purgatione afflictis, ingens tormentum afferant. Quum enim director eas consolari conatur, et magna ex hac purgatione proventura bona eis repraesentat, ei non credere possunt, ob propriorum malorum sensum ex luce ista conceptum, et putant, directorem non videre quae ipsae videant, nec intelligere quae ipsae experiantur. Hac ultimi solaminis privatione purgatio quasi completur, ita ut anima, omnibus humanis expoliata, Deo tantum sese committat ».

1536. — **Requisita et signa huius purgationis.** — Idem Lopez Erquerra prosequitur, cap. 12: Non igitur omnes, qui laboribus, et obscuritatibus atteruntur, sunt in hac purgatione, maxime cum Deus nunquam disistat exercere iustos; utpote omnes corripit ad eruditionem, castigat ad satisfactionem, et torquet ad meritum... paucos tamen ad mysticam theologiam, sive ad sui intimam unionem eligit (unde necessaria sunt quaedam requisita et signa ad eam dignoscendam).

1537. — **Quinque requisita ad purgationem passivam spiritus.** — Addit Lopez Ezquerra: *Primum* requisitum est, quod anima de sua perfectione valde sollicita, et in suis operationibus fervida, transgressa iam sit ordinatum cursum viarum purgativae et illuminativae, atque in mortificationibus, meditationibus et virtutibus multum profecerit.

1538. — *Secundum* requisitum est, quod anima suo tempore transgressa etiam sit purgationem passivam sensus... inconsequens esset et difficillimum, spiritum ordinare et perficere, relicto sensu inordinato et rebelle.

1539. — *Tertium* requisitum est, quod anima similiter transgressa sit illam intercapedinem consolationis mediantem inter passivam purgationem sensus, et spiritus... Quamobrem si hoc intervallum factum non est, labores, et obscuritates, quas anima patitur, referendae sunt potius ad purgationem sensus quam spiritus.

1540. — *Quartum* requisitum est, quod licet anima non sit a sensibilibus delectationibus [vitae spiritualis] penitus absoluta, quinimo et eis ad satietatem uti procuret, spiritus tamen aliquo modo (quasi pastus delicatiori cibo) easdem sensibilitates quas appetitus concupiscit, fastidiat, et saepissime in intima solitudine et paupertate consistat.

1541. — *Quintum* requisitum est, quod anima nullatenus de sua sensibili et delectabili fruitione sit secura; sed quod dum abundantia spiritus congaudet, profundam in se sentiat amittendae dulcedinis suspicionem; latet enim intrinsecus quasi delicatissimus dolor, qui est praesagium venturae tribulationis.

1542. — **Signa purgationis passivae spiritus.** — His suppositis requisitis, ait Lopez Ezquerra, ibidem: signa huius purgationis spiritus, quae sollicite et attente debet considerare director, haec sunt: *Primo,* quod anima nullo modo possit per sensibilia phantasmata, et meditationes Deum invenire.

1543. — *Secundum* signum est, quod anima, illa caligine circumsepta, sentiat, se vehementissimo amore comburi et vulnerari, ac si in ardenti for-

nace inclusa, densoque eius fumo obcaecata, nihil praeter ignis ardorem perciperet.

1544. — *Tertium* signum est, quod anima habeat aestimabilem Dei amorem; hoc est, quod solum doleat et angatur, quatenus iudicat in omnibus Deo displicere; non autem quatenus illa tormentis afficitur, ut multis rationibus probat B. Ioannes a Cruce.

1545. — *Quartum* signum est, quod non obstante ariditate (verba sunt B. Ioannis a Cruce), caligine et dolore, valde sollicita sit anima, non solum in vitandis peccatis et imperfectionibus, sed etiam in perquirendis omnibus, quibus magis possit dilecto placere.

1546. — *Quintum* et ultimum signum est, quod anima in hac purgatione nullam molestiam sentiat tentationum, suggestionum, aut persecutionum, ut multis rationibus probat B. Ioannes a Cruce; non quia earum non agitetur stimulis, sed quia longe maiori poenae attenta, minoribus attentionem non praestat; quinimo in sua caligine immensa, tela nequissimi quasi in longinquo manere, et configi intuetur. Itaque si anima, vel ardore libidinis, vel persecutionibus, aut aliis tentationibus angitur et turbatur; absque dubio purgationem huiusmodi non attingit, quandoquidem nullum istorum signorum deficit animae sic purgatae. — *Haec Lopez Ezquerra* (1).

(1) *Notet director:* « Non facile credat animas tenebris, timoribus, angustiis et cruciatibus repletas in purgatione spiritus versari. His afflictionibus omnes fere, qui viam orationis ingrediuntur, subiacent; purgationibus autem spiritus paucissimi a Deo exponuntur, quum paucissimi ad unionem mysticam a Deo sint vocati. Sequentia ergo notet indicia. Ordinarie anima, quam Deus in spiritus ponit purgatione, magna cum constantia et heroica virtute iam sustinuit purgationem sensus, et degustavit

1547. — **Monita ad directores.** — Idem Lopez Ezquerra, cap. 13, scribit: « Omnibus praedictis mature perpensis, si cognoscat director, quod vere anima sit in hac horribili purgatione spiritus, debet cum illa se gerere compassive et humaniter, quia afflicto non est danda afflictio. — Deinde nullo praetextu ei permittat confessionem generalem facere, neque vitae anteactae, aut praesentis scrupulos admittat. — Curet etiam, quod frequentius solito... ad Sacrosanctam Eucharistiam accedat.

1548. — « Si discipulum hunc videat corporaliter aegrotare (multoties enim contingit tam ex naturali, quam ex supernaturali causa), ei humaniter et affabiliter assistat [id est, spiritualiter], atque ab eo damnationis timores auferre procuret. — Si prospera

iam suavissimas spiritus communicationes et divinorum favorum dulcedines. Quod si anima una simul et altera purgatione, et sine ulla pacis consolatione affligatur, iam necesse est ut, gratia non ordinaria adiuta, sese viriliter in perfectione exercuerit, et in virtute rite solidaverit. In ipso tenebrarum tempore observet director dispositiones animae. Si anima afflicta in imperfectionum et miseriarum suarum obtutu adeo defigatur ut ad meditationem, aut rerum coelestium contemplationem elevare se nequeat; si exinde adeo acerbum spirituale supplicium in ipsam redundet, ut quandoque in mortis periculum abducatur; si interni cruciatus tanti sint, ut omnes ipsos Martyrum dolores superent; si praecipue oriantur a dolore ob Deum offensum; si anima diligenter invigilet ne Deo in ulla re displiceat; si nullo modo se aggravatam sentiat a doloribus corporis: tunc director securus esse potest animam in purgatione spiritus versari. Quod si dicta indicia non inveniat, eam in purgatione sensus repositam habeat: nisi forte haec omnia a melancholia, aut pravis appetitibus proveniant, prout in homine valde imperfecto et hypocrita contingere potest. » (Comp. Scaramelli).

valetudine potiatur, eum non oneret poenitentiis et rigoribus; quinimo et solitos temperet, aut si casus exegerit, omnino auferat » [Idque prudenter tamen, ne magis inde turbetur discipulus].

1549. — Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 3, disp. 4, a. 9 n. 11, monet: « Noverint qui huiusmodi purgatione diutius affliguntur, se licite posse filiales ad Deum tamquam Patrem amantissimum dirigere querimonias, et afflicti cordis sensum exprimere: sed prius cum sancto Iob sileant per aliquod tempus, ut sic impatientiae et murmurationis motus evitent, et cautius et humilius cum Deo se gerant ».

1550. — **Consolatio desolatae animae.** — Addit Lopez, ibidem: In tantae obscuritatis offuscatione solet Deus lumen purgativum in illuminativum convertere, ut tenet Richardus, utpote coaptando potentiam lumini, vel lucem accommodando capacitati potentiae, et tunc illico anima ab omnibus suis afflictionibus liberatur... Insuper manifeste cognoscit bona, quae in illa obscuritate assequuta est, et opus mirabile quod in ea operatur, dignum solius manus divini Artificis.

1551. — Item: Tunc ei ardens amor conceditur adeo suavis, sapidus, et dulcis, quod in illa Sponsi vinaria cella, quasi ebria superabundat gaudio et exuberat consolatione, ut confirmat Taulerus; et ita secura dilecto gaudet, ut vere putet, quod iam tribulationum hyems transiit.

1552. — **Haec consolatio saepe est mera suspensio desolationis.** — Si autem (prosequitur idem auctor) purgatio non sit consummata, licet animae videatur praesentem felicitatem metas temporalis durationis pertransire; nihilominus tamen (ait B. Ioannes a Cruce) non omnino tollitur ab anima aliquid (licet nesciat quid sit) quod latet intrinsecus, et animae fe-

licitatem cum aliqua calamitate permiscet, utpote intus sentiendo quemdam inimicum, qui licet quietus, et quasi soporatus videatur, timet tamen quod aliquando a somno excitetur, eamque in maiorem calamitatem inducat. Et vere ita contingit, quia dum magis secura iudicatur, iterum eam deglutit et absorbet in alio caliginis gradu obscuro, duro, lamentabili, et diuturniori, quam praeterito.

1553. — In hac igitur afflictionum parenthesi debet director sui muneris ostendere peritiam, quatenus debet ita animae delectationem mensurare, quod ad reficiendam eam sufficiat, et nihil supersit ad immoderatam delectationem appetitus. Insuper debet eius affectus ita ordinare, quod neque extinguat hoc levamen a Deo misericorditer concessum, neque gaudio eius perfrui usque ad satietatem animae permittat.

1554. — Modus autem practicus temperandi consolationem est, praecipere animae quod statim ac libere possit (si viderit consolationem in sensum derivari), omnino illam delectationem prohibeat, quamvis ad hoc media poenosa adhibeat, totam vero vim consolationis ad purum spiritum reducat; in quo non ad satietatem, sed caute, et moderate motionem amatoriam sequatur; quod quidem sit humiliter, sibi persuadendo breviter eventuram esse maiorem caliginem et tribulationem... Debet anima ita gaudere consolatione, ut habeat pro certo, quod eo poenosior erit ventura caligo, quo maior sit praesens consolatio; quamobrem tremens gaudeat, gaudens tremat.

1555. — In hoc medio tempore solent contingere impetus, non omnino materiales, nec pure spirituales, sed mixti... Omnis eius cura ad duo reduci debet; nempe *ad tempus laboris et caliginis,* in quo

animam debet consolari, et in quantum possibile sit, levare et reficere, et *ad tempus intermediae consolationis*, in quo predicto artificio debet gaudium temperare, et animam ad nudam paupertatem spiritus dirigere, quatenus ab ea dum consolationis inordinationem abstulerit, et pure Deum solum quaerere datoremque magis quam donum aestimare docuerit, velocius purgatio spiritus terminabitur.

1556. — **Commoda seu utilitates huius purgationis passivae spiritus** describere pergit idem Lopez Ezquerra, cap. 14, dicens: Anima quae per hanc purgationem mortificatur a Deo, et sibi ipsi ac veteri homini mortua, mortisque angore experta, in novam transfertur creaturam, novique hominis indumento circumdata, mirabiliter a Deo vivificatur, et dum in suae vilitatis profundum, et dirissimae aemulationis infernum deducitur, ad passivae illuminationis felicem statum reducitur... Multa commoda ex hac horribili nocte, et humiliatione evenire animae, dubium non est, quae breviter referre operae pretium erit.

1557. — *Primum* est, quod per eam evellitur in anima et eradicatur omnis inordinatus creaturarum affectus.

1558. — *Secundum* commodum est, quod voluntas manet immediate disposita ad recipiendas passivas influentias divini amoris, congenito in ea quodam speciali sensu extra omnem sensum naturalem, ad plene et suaviter degustandas illas amatorias et divinas communicationes.

1559. — *Tertium* commodum est, quod intellectus manet immediate dispositus ad divinam unionem... quia nimirum ab omnibus naturalibus formis abstrahitur.

1560. — *Quartum* commodum est, quod haec purgatio plene pertingit usque ad divisionem animae et spiritus, ut tenet Ioannes a Cruce, quia illa praetermissa, cognoscit anima et distinguit motus partis inferioris et superioris, ac perinde in ea oritur libertas spiritus, quia nullis deinceps scrupulis angitur, quatenus clare distinguit operationes carnis et repugnantiam spiritus, subindeque rationabiliter nequit conturbari, sed ingreditur in perfectam libertatem filiorum Dei.

1561. — *Quintum* commodum est, quod facile scit fugere iurisdictionem daemonis immediatam, cum illico ac ille ad imaginationem immittit suggestionem, anima ad sui fundum colligitur, eumque foras illusum et rabidum derelinquit, ex cuius repetita illusione, et praecipue ex perfectissima purgatione, tale super illum acquirit dominium, quod veluti immundam muscam, vel formicam despiciat, et contemnat... Quinimo daemon ita timet has animas purgatas, quod regulariter earum praesentiam absque magno tormento substinere non potest.

1562. — *Sextum* et ultimum commodum huius purgationis est, quod praeter dona, virtutes, et charismata, quibus anima remanet ornata, per eam disponitur immediate ad unionem passivam, quam a Deo frequentissime recipit, ut testantur Laurentius Iustinianus... Adeo enim benignus est divinus amor, quod non solum aperienti statim occurrit, sed mille verbis precatoriis, et amatoriis clamoribus, cordis ianuam reserare, et intrare sollicitat. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1563. — Varia pariter huius purgationis commoda seu fructus assignat Philippus a SS. Trinitate, ex quibus praesertim duo, scilicet *clara sui cognitio*, et *continua Dei memoria*. De primo scribit: « Unus

effectus sive fructus huius purgationis, est clara sui cognitio cum humilitate et maxima afflictione. Cuius ratio est; quia lux contemplationis infusae, quae est principium huius purgationis, ex divina dispositione pervadit omnia conscientiae propriae secreta, et omnes maculas et atomos quarumcumque imperfectionum, alias latentes, manifestat. Quod declaratur exemplo lucis materialis, quae cum radio solis intentius aëri communicata, minimos materiales atomos volitantes demonstrat, qui cum luce ordinaria erant imperceptibiles: ex qua manifestatione tot propriorum defectuum sequitur quod anima, seipsam sic impuram et miseram contemplando, vilissimam et abiectissimam de seipsa habet aestimationem » (p. 1, tr. 3, l. 3, a. 4, t. 1, p. 427).

1564. — De secundo ait: « Alius effectus est continua Dei memoria sive praesentia: cognitio namque sui, et propriae miseriae perpetua in hoc statu contemplatio, perfectam causant Dei notitiam, miseria siquidem humana divinam reclamat misericordiam... Haec tamen cognitio Dei nimis obscura, et saepe imperceptibilis, et dum percipitur, est in aliqua generalitate confusa; distincta namque Dei cognitio, et particularis divinarum, perfectionum contemplatio pro statu unionis reservatur » (Ibidem).

1565. — *In hoc statu obtinentur virtutes sublimiori modo, quae dicuntur purgati animi.* De quibus scribit Angelicus, 1 2, q. 61, a. 5: « Quaedam vero sunt virtutes... quae vocantur virtutes *iam purgati animi.* Ita scilicet quod prudentia sola divina intueatur; temperantia terrenas cupiditates nesciat; fortitudo passiones ignoret: iustitia cum divina mente perpetuo foedere societur, eam scilicet imitando. Quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum ». — Et

lib. 7, Arist. l. 1, addit: « Rationalis pars quandoque in homine perficitur et formatur ultra communem modum humanae perfectionis, quasi ad similitudinem substantiarum separatarum, et haec nominatur virtus divina supra humanam virtutem et communem ».

1566. — Hac via pervenitur ad maiores gradus amoris, de quibus idem Angelicus, opusc. 61, ait: « Magna res est amor, sed sunt in eo gradus. Loquendo ergo aliquantulum magis moraliter quam realiter, decem amoris huius perfecti gradus distinguere possumus, per quos contingit a summo hoc statu viae ad statum patriae scandere ordinate. Primus, in quo facit languere utiliter; secundus, in quo quaerere incessanter; tertius, in quo operari indesinenter; quartus, in quo sustinere infatigabiliter; quintus, in quo appetere impatienter; sextus, in quo currere velociter; septimus, in quo audere vehementer; octavus, in quo stringere inamissibiliter; nonus, in quo ardere suaviter; decimus, in quo assimilari totaliter ».

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Teste S. Damasceno, Ipsa est: Causa familiaritatis humano generi cum Deo, Causa laetitiae in Domo Domini.

Mariam invoca. — O Maria Immaculata, quae ab eodem S. Damasceno merito dicta es: Augusta expandens compassionem et benignitatem tuam super omnes; ora pro me, protege me, custodi me, salva me.

Mariam laetifica. — Humili et contrito corde tribulationes de manu misericordiae Dei suscipiendo. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. IV.
DE PURGATIONE PASSIVA AMORIS.

1567. — **Notio purgationis passivae amoris** (quae purgatio est perfectior purgatio spiritûs, et ad eam pertinet). — Lopez Ezquerra, de hac purgatione ita scribit, tr. 6, cap. 15 : « Cum igitur amor, qui hisce animabus infunditur, non solum pariat habitualem dolorem, sed etiam purget voluntatem ab aliqua indispositione, sive habituali dissimilitudine cum divino obiecto, cui perfecte copulanda est; proinde merito purgationis amatoriae nomine insignitur, de qua brevissime agere oportet, quia in ea parum operis restat directori ».

1568. — Haec amoris purgatio tota dirigitur ad voluntatem (ut ex Augustino probat Dionysius Carthusianus, *De font. luc. art. 17*), licet illius motiva in intellectu recipiantur, quia efficitur vulnerando voluntatem efficaci radio divini amoris, praecedente in intellectu altissimo conceptu dilecti; cui additur quaedam activissima et penetrativa amoris flamma, quae inflammando voluntatem, simul ab ea aliquid imperfectum consumit.

1569. — **Necessitas passivae purgationis amoris.** — Addit idem auctor, ibidem: Licet per secundam purgationem maneat spiritus purgatus et vacuus ab omnibus formis impedientibus divinam unionem, et voluntas simul vacuata a suis imperfectis habitibus, remanet tamen in ea aliquis praeceps motus, vel amatorius impetus, sive aliquod inquietum desiderium de amato. — Et licet haec amatoria inquietudo non sit immunditia, aut vitium culpabile, ut colligitur ex Laurentio Iustiniano, tract. de triumph.

Christ. agon. c. 24, inducit tamen aliquem obicem ad perfecte introducendam formam divinam; sicut in tabula bene perpolita non est vitium radicale, quod non sit quieta, et immobilis, et tamen artifex non potest in ea optimam celaturam facere, donec quieta sit et firma.

1570. — Nullus equidem expertorum negare poterit, quod in matrimonio spirituali, ad quod immediate haec anima disponitur, quanto sunt elevatiores purioresque eius communicationes, tanto necessaria est in anima maior et elevatior dispositio et tranquillitas, quae nimirum assequenda est, non ampliando et dilatando potentiam, sed eam acuminando, et simplificando; quod efficitur, non solum superaddendo, sed potius auferendo ea omnia, quae obstare possunt purae et simplicissimae communicationi divinae, et hanc oblationem merito purgationem vocamus; quo enim purius et subtilius crystallus illuminanda est per radium lucis, eo perfectius a nevis et maculis est purganda.

1571. — Cum autem anima ex arida et profunda nocte purgationis exeat sitibunda et vulnerata, et constituatur in desponsatione spirituali, quia communiter Deus facta secunda purgatione illico animae desponsatur, et cum in hac desponsatione (ut ait Theresia) *multoties Deus ab illa recedat*, ex huiusmodi absentia amati adeo dolens et quasi impatiens redditur, quod (B. Ioanne a Cruce teste, can. 1, vers. ult.) *si Deus illam non roboraret ac fulciret absque ulla dubitatione moreretur*. Tanta est absentiae et amoris poena; quae quidem debet moderari, et pacificari ad assequendum divinum matrimonium, in quo licet amoris flamma animam absumat et consummat, verumtamen omnem poenam et dolorem excludit.

1572. — **Modus et effectus passivae purgationis amoris.** — Addit Lopez Ezquerra, ibidem: Fit haec purgatio per quamdam vividam amoris flammam, quae arescit et consumit in voluntate omnem inquietudinem, impetum, et praecipitationem; simulque eam afficit adeo delicata et suavi poena, ac si gladio subtilissimo et ancipiti transfoderetur; cuius intensissimum, licet suavem dolorem sustinere non posset, nisi divinitus confortaretur. In hoc divini amoris sublimatorio omnis dissimilitudinis habitus, et imperfectionis rubigo penitus extrahitur, et anima secundum hanc potentiam exit sublimata, simplex et plene ad deiformitatem disposita; atque ad recipiendas altissimas matrimonii communicationes apta.

1573. — Et quamvis haec amoris sublimatio, sive purgatio ab statu desponsationis usque ad statum matrimonii continuetur, ibique finiatur, tamen scire oportet, quod etiam in statu matrimonii (quia Deus semper magis magisque communicabilis est) assidue ad ulteriores favores recipiendos eam purgat et disponit; sed quia amor quo illic eam disponit et purgat, nullum habet affectum poenosum, propterea non eum purgativum vocamus, sicut istum, qui dirissimam et suavissimam poenam causat.

1574. — Amplius progreditur hic amor purgativus, nempe ad perfecte purgandum id, quod forte imperfectum permansit ex secunda purgatione spiritus; absumit namque et consumit in anima omne terrenum; quamobrem iam vitam terrenam non vivit. Quae enim per hanc purgativam amoris flammam purgatur, iam non in se, neque sibi vivit, sed tota vivit Deo, et in Deo; unde potest dicere cum Apostolo: *Vivo ego; iam non ego; vivit vero in me Christus* (ad Galat. 2, 20). Sed non propterea tentationes non

sentit, quandoquidem dum in hac degimus mortalitate absque luctamine vivere non possumus. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1575. — Hic quadrant haec verba Richardi a S. Victore: « Quidquid agat, quidquid sibi fiat, desiderium ardentis animae non satiat: sitit et bibit; bibendo tamen sitim suam non extinguit, sed quo amplius bibit, eo amplius et sitit. Avidae enim, imo insatiabilis animae sitis vel esuries non sedatur, sed irritatur dum voto suo pro voto perfruitur... Quid, quaeso, molestius, quidve acerbius cum sitim suam nec resistendo temperare, nec inebriando possit extinguere? Miranda imo et miseranda ingluvies, quae nec ulla accuratione expellitur, nec aliqua satisfactione sedatur. Morbus irremediabilis et omnino desperabilis, ubi semper et remedium quaeritur et nusquam invenitur; imo quidquid praesumitur ad remedium salutis, vertitur in augmentum furoris » (Rich. a S. Vict. De quat. grad. viol. char.).

1576. — Et haec sententia Angelici: « Amans quodammodo penetrat in amatum, et secundum hoc amor dicitur acutus; acuti enim est, dividendo, ad intima rei devenire; et similiter amatum penetrat amantem ad interiora eius perveniens; et propter hoc dicitur quod amor vulnerat et quod transfigit iecur » (2. Sent. d. 27, q. 1, a. 1, ad 4).

1577. — Doctrina haec de purgatione amoris importat doctrinam de *inflammationibus amoris* et de *vulneribus amoris*, de quibus multa habent Scaramelli et alii.

1578. — **Flamma seu inflammatio divini amoris** consistit in extraordinaria existimatione divinae bonitatis, cum magno desiderio Deo placendi in omnibus. Estque substantialis vel accidentalis. — Inflammatio amoris substantialis, iuxta Comp. Scaramelli,

est ingens existimatio divinae bonitatis, quae voluntatem promptam reddit ad quamvis, etiam magnam rem, pro Deo ideo solum praestandam, ut ei placeat, eius gustum attingat, eiusque voluntatem adimpleat. Haec amoris flamma iam in primo purgationis spiritualis principio existit, licet anima eius ardores non sentiat. — Progressu autem temporis, dum anima acri tot cruciatuum et angustiarum lixivio a maculis et infirmitatibus suis purgari incipit, ignis ille amoris, totus hucusque in voluntate latens, in spiritus intimis sese prodere incipit vivacitate, ardore, et angoribus erga Deum, quas cum Angelico, INFLAMMATIONES AMORIS ACCIDENTALES appellamus. Tunc sacer hic ignis omnes animae sinus pervadit, et vehementem ibi amoris passionem succendit, ita ut anima dilectum suum vehementissime desideret, et mille modis inquirat.

1579. — Angores isti amoris tam vehementes sunt, quia inflammatio ista eo ipso tempore accidit, quo animae potentiae, et sensitivi appetitus omni affectione expoliati, aridi, et exsiccati omnis alterius coelestis aeque ac terreni gustus incapaces sunt... et quia eo tempore locum habet quo intellectus adhuc in tenebris versatur et anima a Deo se repudiatam pertimescit. Quae tunc Dei amore vulnerata eo magis inflammatur, quo magis ab eo quem amat, non redamari pertimescit (Idem).

1580. — **Vulnus divini amoris.** — Praeter amoris inflammationes, vulnera adhuc existunt amoris, quae non cordi sed spiritui infliguntur, eumque purgandi et ad excelsos unionis favores disponendi vim habent. Non sunt eadem ac illa dulcedinis et suavitatis plena vulnera amoris, quibus Deus animam afficit in statu unionis, quem doctores mystici matrimonium appellant. S. Ioannes a Cruce varia esse ait vulnera amoris,

de quibus unum tantum exponimus. Consistit in ignito et accenso amoris attactu, vi cuius Deus derepente animam per hoc quod se ab illa sentiri faciat, ad sui possessionem elevat, et mox iterum se abscondit. Ad ardentem hunc attactum anima tota in flammas amoris abit, ad subitaneam et velocem divini sponsi substractionem autem mox dolore adeo acuto transfigitur, ut nullis verbis exprimi possit. Quo ardentior et vivacior excitatus in spirituali illo attactu amor fuerit, eo penetrabilior etiam erit dolor, qui quasi ictu sagittae ignitae animam percit (Idem).

1581. — In descripto hactenus dolorosi amoris vulnere, nullum phantasiae opus intervenit, quia in puro perficitur spiritu. Nihilominus Deo, ut sponsae cuidam sibi dilectae se favorabiliorem exhiberet, quandoque placuit, hoc, quod in eius spiritu modo invisibili perficitur, amoris opus visione etiam imaginaria praefigurare (Idem).

1582. — **Languor amoris**, quo Deus spiritum S. Theresiae expolivit et ad divinum matrimonium proxime disposuit, est ardentissimum et acerbissimum Dei absentis desiderium, quo amantis anima ad mortis agonem deducitur. Hoc desiderium a nulla humana industria pendens, sed a Deo infusum, elevat animam super omnia creata et supra se ipsam; reponit eam in vasta quadam solitudine, in qua creaturarum societatem non tantum non quaerit, sed potius reiicit et repellit, quia solum Deum concupiscit. Deus autem animae istae solitariae e longinquo sese praesentat, id quod maximum eius cruciatum producit (Idem).

1583. — **Monita generalia circa purgationes seu derelictiones.** — Monet Schram, § 230: « Cruciatur igitur anima in hac derelictione, probatur et purgatur ex defectu luminis reflexi, unde nescit ea ipsa, quae voluntas, arida resignatione substantiali,

bene vult; et insuper nova lux oculos mentis illius perstringit, quae illi suos proprios defectus ostendit, qui in ea nondum satis purgata horribiles pavores et terrores excitant: quo tamen non obstante, haec probatio animae potest contingere, quam Deus ob alios fines suae providentiae ad contemplationem non vult perducere ».

1584. — Addit Lopez Ezquerra, tr. 6, cap. 16: Solent multoties spirituales magistri dum animam conspiciunt afflictionibus, laboribus, vel diabolicis persecutionibus affectam, statim putare et affirmare, esse in una ex praedictis purgationibus constitutam, et multum errare possunt, quandoquidem pro animabus purgantibus valde diversa debet esse directio... diversa eis adhibenda sunt remedia. Quamobrem examinare debet causas laborum, et tentationum, quae multifariae esse possunt, et nobis congruum erit aliquas adducere.

1585. — *Prima* esse solet, ut anima assuefacta ad bellum, non amittat praeliandi consuetudinem.

1586. — *Secunda,* ut per labores et aerumnas probetur, an anima Deo digna sit.

1587. — *Tertia,* ut anima iusta suavissimo sui exempli odore, Ecclesiam respergat, et plures alii per eius fortitudinis, patientiae, et resignationis exemplum ad vitae huius pro Christo tollerandos labores stimulentur.

1588. — *Quarta,* ut anima sancta inter adversa discat Deo gratias agere; quamobrem tentavit caecitate Tobiam, et ille sic perculsus, gratias ei agere non cessavit.

1589. — *Quinta,* ut a terrenis rebus anima verberata et afflicta erudiatur, et discat terrena, quae delectando pungunt, despicere, et coelestia quae veram laetitiam et gaudium afferunt, amare.

1590. — *Sexta,* ut anima quae in se aliquas virtutes et fervidas operationes, vel divinos favores intuetur, terram suae vilitatis teneat, et suae virtuti aut potestati non attribuat.

1591. — *Septima,* ut anima per exercitium resistendi tentationibus, contrarias virtutes acquirat, quibus in via Dei multum proficiat... Et praecipue virtutum patientiae, quae opus perfectum habet, et per tribulationem operatur.

1592. — *Octava,* ut anima quae ex assidua Passionis Christi meditatione, ad eius imitationem accensa ardenter postulat labores et dolores experiri, suo pio et devoto desiderio satisfaciat; atque hic complantata similitudini mortis eius, in Patria deinceps gloriose eius resurrectionis particeps fiat.

1593. — Animae autem quae ad coronam et meritum, sive ad exemplum torquentur, licet postea per huiusmodi mysticas purgationes exercendae sint, fere semper labores et tentationes experiuntur; Deus namque assidue iustos exercet, corripit, erudit et perficit... (excepto tantum statu matrimonii spiritualis, in quo nullus est labor, dolor, neque afflictio, sed perpetua laetitia, gaudium et pax in Spiritu Sancto). In caeteris vitae statibus, in eis labores — et solatia, dolores et consolationes, moerores, et gaudia cummiscentur; sicut neque ulla dies est, quae ex luce et tenebris non compingatur. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1594. — Denique, director vere passive purgatorum, nunquam animo deiiciat, sed « consideret, difficillimum quidem, sed et utilissimum opus esse: regimen huiuscemodi animarum. Difficillimum, quia viae per quas huiusmodi animae incedunt, multae et variae, et omnes simul asperae sunt et tenebrosae; utilissimum autem, quia, si animae periculosas has

vias feliciter perficiant, tandem ad sublimem perfectionem et ingentem cum Deo familiaritatem pertingunt. Quapropter director per studium magis ac magis aptum et expertum se reddere satagat; toto zelo et tota sua charitate divinum illud opus amplectatur; et nulli, pro Dei gloria, parcat labori. Ante omnia autem, ne erret, Domino Deo se semper commendet, et lumen ab eo sine intermissione efflagitet » (Comp. Scaram.).

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Teste S. Damasceno, Ipsa est: Defensio fidelium, Defensio nostra firma, Defensio nostra potentissima.

MARIAM INVOCA. — O Maria Immaculata, quae ab eodem S. Damasceno merito dicta es: Delicium humani generis divinitus datum, quo ingloria mortalium conditio gloriosa facta est; ora pro me, et fac me fidelissimum servum Filii tui et amantissimum filium dilectionis tuae.

MARIAM LAETIFICA. — Magna aestimatione tribulationum et persecutionum pro Deo et propter Deum sustinendarum. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

TRACTATUS DE VISIONIBUS, LOCUTIONIBUS, ET REVELATIONIBUS, SEU DE CONTEMPLATIONE PER ACTUS DISTINCTOS

CAP. I. — DE VISIONIBUS.

Visiones in genere.

1595. — **Nomen visionis.** — Notat Angelicus, 1, p. q. 67, a. 1 : « Dicendum quod de aliquo nomine dupliciter convenit loqui; uno modo secundum primam eius impositionem; alio modo secundum usum nominis. Sicut patet in nomine visionis, quod primo impositum est ad significandum actus sensus visus, sed propter dignitatem et certitudinem huius sensus, extensum est hoc nomen secundum usum loquentium ad omnem cognitionem aliorum sensuum... Et ulterius etiam ad cognitionem intellectus, secundum illud Matth. v, 8: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt ». — Hic agimus de visione supernaturali seu extraordinaria.

1596. — **Definitio.** — Visio est cognitio nobis indebita, quae fit cum praesentatione coelestium seu divinorum, ait Schram, § 494. — Vel: Intuitus alicuius obiecti a Deo nobis speciali modo praesentati. — Visio igitur pertinet ad gratias gratis datas, iuxta

illud Bened. XIV, De serv. Dei beat. l. 3, c. 42, 2: « Visiones, apparitiones, revelationes inter gratias gratis datas recensentur, et hinc fit, ut etiam peccatoribus dari possint... Diximus eas esse communes probis et improbis, sed saepius a Deo iis dari, qui probi sunt, et virtutibus emicant ».

1597. — **Visio et apparitio.** — Idem Benedictus XIV, ibidem, c. 50, 1, ait: « Card. de Laurea, in opusc. 1, de orat. c. 8, ait, visiones dici posse revelationes, et contra, si de rebus occultis, sive futuris, sive praesentibus, sive praeteritis sint, atque ex parte quidem Dei, vel deceptoris daemonis praedicta ostendentis, dici posse revelationes, et ex parte recipientis visiones. Card. Bona, in tract. de disc. spir. c. 15, n. 2, ait, visionem et apparitionem pro una et eadem re sumi; sed eam esse differentiam, quod apparitio dicatur, quando nostris obtutibus sola species apparentis se ingerit, sed, quis appareat, ignoratur; visio autem, cum externae apparitioni eius intelligentia coniungitur: et Bordonus, medit. 13, de miraculosa appar. Sanct. n. 20, rem sic explicat, ut apparitiones dicantur visiones ex parte videntium rem mirabilem ».

1598. — Angelicus, in epist. II ad Cor. c. XII, l. 1, addit: « Notandum est quod differentia est inter visionem et revelationem. Nam revelatio includit visionem, et non e converso. Nam aliquando videntur aliqua quorum intellectus et significatio est occulta videnti, et tunc est visio solum... Sed quando cum visione habetur significatio intellectus eorum quae videntur, tunc est revelatio ».

1599. — **Divisio.** — S. Augustinus fundamentum ponit divisionis visionum in corpoream, imaginativam (quam vocat spiritualem), et intellectualem, dicens: « Haec sunt tria genera visionum: *Primum,*

ergo appellemus corporale, quia per corpus percipitur, et corporis sensibus exhibetur. *Secundum,* spirituale: quidquid enim corpus non est, et tamen aliquid est, iam recte dicitur spiritus; et utique non est corpus quamvis corpori similis sit, imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus quo cernitur. *Tertium* vero intellectuale, ab intellectu » (De Gen. ad litt. l. 12, c. 7, n. 16). Cum S. Augustino concordant alii doctores et theologi.

1600. — Et in hoc sensu scribit Schram, § 494: « Iuxta S. Augustinum, S. Isidorum, S. Thomam, Rich. a S. Victore, S. Bonaventuram et communiter SS. Patres ac Theologos, visiones dividuntur: 1° in *corporeas* seu sensibiles, quae visus corporei ministerio contingunt; 2° in *imaginarias* aut spirituales, ut ait Augustinus, quae fiunt per species seu figuras et imagines rerum in phantasia existentes, quod in vigilia vel in somno evenire potest; 3° in *intellectuales,* quae sunt clarissima rerum divinarum manifestatio, quae in solo intellectu absque figuris et imaginibus perficitur ».

1601. — Cui concordat Alvarez de Paz, dicens: « Tria esse apparitionum genera, *corporeum, imaginarium* et *intellectualem,* apud omnes tum Patres tum Theologos, certum est » (De grad. contempl. d. 3, c. 10).

1602. — Et Comp. Scaramelli: « Quando haec visio fit per oculos, dicitur *corporea;* quando fit per phantasiam, nominatur *imaginaria;* et quando locum habet in solo intellectu, vocatur *intellectualis* ».

1603. — **Dignitas harum trium visionum.** — *Corporalis* visio infima est, nam in sensu exteriori seu oculo formatur; *Imaginaria,* nobilior, quia in potentia nobiliori seu phantasia; *Intellectualis,* nobilissima, quia in intellectu fit per puras intelligentias.

1604. — De dignitate secundae et tertiae agens, scribit Angelicus: « Manifestum est autem quod manifestatio divinae veritatis quae fit per nudam contemplationem ipsius veritatis potior est quam illa quae fit sub similitudine corporalium rerum; magis enim appropinquat ad visionem patriae secundum quam in essentia Dei veritas conspicitur. Et inde est quod prophetia per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur secundum intellectualem visionem, est dignior quam illa in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum secundum imaginariam visionem » (2 2, q. 174, a. 2).

1605. — Et iam dixerat S. Augustinus: « Habent utique ordinem suum, et est aliud alio praestantius. Praestantior est enim visio spiritalis quam corporalis, et rursus praestantior intellectualis quam spiritalis. Corporalis enim sine spiritali esse non potest... At vero spiritalis visio etiam sine corporali fieri potest... Item spiritalis visio indiget intellectuali ut diiudicetur; intellectualis autem ista spiritali inferiore non indiget; ac per hoc spiritali corporalis, intellectuali autem utraque subiecta est » (De Gen. ad litt. l. 12, c. 24, n. 51).

1606. — Ant. a Sp. Sancto, tr. 3, d. 5, s. 1, ait: « Certum est enim, quod visio corporea est infima, visio imaginaria est media, visio intellectualis est suprema. Imaginatio namque est magis immaterialis visu corporeo, et intellectus est penitus immaterialis. Et idem, proportione servata, dicendum est de eorum visionibus, non solum quoad modum visionis, sed etiam quoad eius obiecta. Nam per visionem corporalem materialia tantum communicantur: per imaginariam communicantur quaedam magis elevata a materia, simul cum materialibus; et per intellectua-

lem communicantur pure spiritualia, et etiam materialia, quia visio superior potest quidquid inferior et aliquid amplius ob suam perfectionem ».

1607. — **Perfectio maior vel minor subiecti visionum.** — Philippus a SS. Trinitate ait: « Hae tres species visionum coelestium, quamvis in qualibet via contingant, nam et incipientibus non solum corporea, sed etiam imaginaria et intellectualis visio rerum coelestium communicatur, et similiter proficientibus ac perfectis; frequentius tamen accidit quod visio communicata incipientibus in via purgativa sit corporea; visio communicata proficientibus in via illuminativa sit imaginaria; et visio communicata perfectis in via unitiva sit intellectualis, ut sic perfectio visionis perfectioni viae et statui personae congruat. Certum est enim quod visio corporea est infima, visio imaginaria est media, et visio intellectualis est suprema, non solum quoad modum ipsius visionis magis aut minus materialem, imaginatio namque est minus materialis visu corporeo, et intellectus est penitus immaterialis » (Th. myst. p. 2, tr. 3, d. 4, a. 1).

1608. — Comp. Scaramelli scribit: « *Visiones corporeae* magis incipientibus in via perfectionis conveniunt, licet etiam peccatoribus aliquando, et perfectis saepius concedantur. Nullo modo ergo sunt signa perfectionis et sanctitatis, sed potius infirmitatis et debilitatis animae quae eas recipit ». — Et alibi: « Sciat director *imaginarias visiones* incipientibus et proficientibus nondum bene purgatis, esse proprias, licet Deus ex intentionibus peculiaribus eas etiam multoties perfectis concedat. Non ergo nimis existimet animas huiusmodi visionibus ditatas ». — Et alibi: « *Visiones intellectuales* iis proprie conveniunt qui in statu perfectionis sunt constituti, et ad

matrimonium spirituale elevati, licet etiam aliquando, sed rarissime, a Deo, qui est donorum suorum dominus, animabus minus perfectis concedantur ».

1609. — Antonius a Sp. Sancto, tr. 3, d. 5, s. 1, dignitatem visionum exponens, earum simul relationem cum perfectione animae seu subiecti visionis declarat, dicens: « *Corporalis* est, quando exteriori sensu aliquid videtur. Et haec frequentius accidit in via purgativa incipientibus. *Imaginaria* est, quando per formas imaginarias aliquid repraesentatur. Et haec frequentius accidit in via illuminativa proficientibus. *Intellectualis* est, quando per species et radios intellectuales aliquid repraesentatur. Et hoc accidit frequentius in via unitiva. Nam licet omnes hae visiones aliquando contingant incipientibus et etiam proficientibus et perfectis, ordinarie tamen fiunt modo dicto, ut sic perfectio visionis perfectioni viae et statui personae congruat ».

1610. — **Monita ad directores.** — « Duo in materia visionum cum sollicitudine sunt vitanda: nimia credulitas scilicet, quae sine examine et praemissa inquisitione omni visioni, a quacumque muliercula relatae, plenam adhibet fidem; et nimia incredulitas, quae omnem visionem aut supernaturalem apparitionem tamquam vanum debilis phantasiae somnium reiicit. Fateor quidem, in materia visionum illusiones facillimas esse, quia non solum ex parte phantasiae, sed etiam a daemone et malitia hominum hypocritarum fraudes suscitari possunt: sed haec omnia non debent nos reddere incredulos, sed potius cautos, prudentes, circumspectos, harum rerum intelligentes et in illis examinandis valde diligentes » (Comp. Scaram.).

1611. — « Huiusmodi apparitiones *non sunt appetendae,* nec postulandae; sed si acciderint, humi-

liter fugiendae, et rogandus Dominus, ne his insuetis rationibus, sed mediis ordinariis solidioribus, si ita suae maiestati visum fuerit, nostram salutem promoveat. Et ratio est, quia desiderare has apparitiones, est indicium occultae superbiae aut saltem vanae curiositatis, et sic aditus daemoni aperitur. Tum quia illa sola desideranda et procuranda sunt, quibus Deo placemus, in virtute proficimus, ad perfectionem tendimus et aeternam salutem assequimur » (Ant. a Sp. Sancto, tr. 3, d. 5, s. 1).

1612. — « Si alicui, qui tales apparitiones non appetit, nec petit, sed potius metuit huiusmodi apparitiones acciderint in oratione, tria ab eo observanda sunt. Primum, Christum et Beatam Virginem vel alios Sanctos sibi apparentes reverenter et *devote suscipere* et debito culto illos venerari. Nam quamvis aliquando esset diabolus in hac adoratione, nullum est periculum, cum adoratio non ad diabolum, sed ad imaginem Christi vel Beatae Virginis vel Sanctorum tendat. — Debet etiam *attendere, qualis sit finis* et utilitas huius visionis et apparitionis. Et si finis propositus fuerit bonus et sanctus, illum amplecti; secus, si fuerit malus. Quod ut melius fiat, debet suo tempore has visiones suo magistro spiritus referre, vel alio viro prudenti, ut de veritate illius doceatur. Quem si non habuerit, debet attendere, qualis sit ista salutatio, et an sit conformis Sacrae Scripturae et consona sensui Ecclesiae. Suspecta enim est omnis veritas, quam non confirmat Scriptura. — Tandem expendat, *an ad charitatem et omnem virtutem se sentiat excitari,* quia hoc est proprium divinarum consolationum. Si autem haec habuerit, poterit de divina miseratione sperare, quod ab adversario non falletur » (Ibidem).

Visio corporea seu externa.

1613. — **Definitio.** — « Visio corporea est improvisa rei aut obiecti manifestatio, quae oculis nostris per species visibiles seu visivas illis immissas, extraordinario quodam modo obtingit. In obiecti manifestatione, visio corporea convenit cum visione imaginaria et intellectuali; distinguitur tamen ab eis in eo quod haec manifestatio in oculis obtingat, dum in visione imaginaria in phantasia formatur, et in visione intellectuali in intellectu. Fit autem ista manifestatio modo extraordinario, aliter enim nihil a visione naturali differret » (Comp. Scaram.).

1614. — Vallgornera, Theol. myst. D. Thom. q. 3, disp. 5, a. 1, n. 1, ait: « Corporalis visio est, quando exteriori sensu aliquid videtur, in quo latet significatio mystica, hoc est, quod non sua virtute videri, vel manifestari potest, sed superiori virtute opus est ad illud cognoscendum ».

1615. — Hanc quaestionem de visionibus corporeis sapienter exponit Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 3, ubi legitur: « Visiones externae et materiales sunt quaedam repraesentationes corporeae et materiales, sensibus externis supernaturaliter oblatae. Infunduntur enim absque aliqua praeveniente sensuum dispositione, et citra eorum liberam receptionem, repente, et supernaturaliter; quamvis impulsu supernaturali praetermisso, potest homo eas libere admittere, aut repudiare » (1).

(1) *Nota tamen circa visionem bonam.* « Infusio huius visionis nequit ullo modo, aut quamvis diligentia impediri; cum enim a Deo qui est efficacissima omnium causa procedat, nulla potest ei creatura resistere; scriptum est enim: *Tu terribilis es, et quis resistet tibi?* » (Ibid.).

1616. — Item: « Fiunt hae visiones (Doct. D. Thomae, 2. 2, q. 173, art. 2) per species materiales supernaturaliter infusas potentiae visivae illius obiecti, quod vult Deus, ut oculis externis videat... quod (obiectum) non repugnat quod existat, aut non existat; sit absens, vel praesens; neque quod impedimenta intermedia removeantur: potentiae enim sufficit quod quoquo modo speciem obiecti in se recipiat: unde evenire contingit, quod stante anima in conclavi et in secreto cubiculo orante, clare possit videre elevationem Sacrosanctae Eucharistiae, quae fit in aliqua Ecclesia, quamvis plura aedificia, et parietes intercalentur, quae nullo quidem modo scinduntur, aut removentur (licet ita animae videatur) sed per infusas a Deo species Ecclesiae, Sacerdotis, et Sacrosanctae Synaxis, vere et clare haec omnia videt, quin necesse sit, impedimenta parietum et aedificiorum amovere; quod quidem Deo facillimum est ».

1617. — **Obiecta visionis corporeae** « possunt esse omnia quae in coelo, in inferno, in purgatorio et super terram existunt. Deum apparuisse hominibus in multis Scripturae locis relatum legimus, et apparitiones Iesu Christi eiusdem auctoritate constant. Etiam B. V. Mariam, sanctos Angelos et in coelo Beatos saepe saepius sese mortalibus ad videndum praestitisse Ecclesiae annales referunt; sicut et apparitiones animarum in purgatorio purgantium et damnatarum, licet harum apparitiones sint rariores. De apparitionibus daemonum nemo dubitat, quia earum multa existunt exempla. De solis infantibus cum culpa originali defunctis, teste Card. Bona, nulla reperitur apparitio. Ipsi homines adhuc viventes, modo extraordinario aliis hominibus et in diversis simul locis, apparere possunt » (Comp. Scaram.).

1618. — **Apparitiones seu visiones Christi.** — Docet Angelicus, 3 p. q. 57, a. 6, ad 3: « Dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus *quandoque* corporaliter ad terram descendat: vel ut ostendat se omnibus, sicut in iudicio; vel ut ostendat se alicui specialiter, sicut Paulo, ut habetur Act. 9 ».

1619. — Et Bened. XIV, de Serv. Dei beat. l. 3, c. 1, n. 6, ait: « Post Ascensionem ad coelum, non omnes Christi apparitiones, de quibus in Novo Testamento, fuerunt impersonales, personalem fuisse illam, de qua Apost. 1 ad Cor. 15, 3... quamvis probabiliter caeteras quae post Christi Ascensionem contigerunt, apparitiones personales non fuisse dici possit... — Suarez, in 3 p. D. Th. t. 2, q. 58, a. 4, in fine, ait simpliciter et absolute verum esse, Christum post Ascensionem aliquando in terra fuisse ».

1620. — Severius scribit Card. Bona, de discr. spir. c. 19, 4: « Quod vero nonnulli audacter scribunt, Christum Dominum alicui sancto, non per Angelum, sed per seipsum corporaliter apparuisse; id unanimi Sanctorum Patrum sententiae opponitur, asserentium a solo Paulo post Ascensionem in proprio corpore visum, nec ulli solido fundamento innititur: nam in Symbolo fidei ipsum ascendisse in coelum, sedere ad dexteram Patris, et inde venturum profitemur, non ad aliquam particularem personam, quantavis sanctitate conspicuam, sed ad iudicandos vivos et mortuos, ut iustis praemia, supplicia reprobis aeternum duratura decernat ». Sed magis placet sententia benignior.

1621. — **Apparitiones sanctorum triplicis Ecclesiae**, seu thriumphantis, purgantis, militantis. — Iuxta Comp. Scaramelli: Apparitiones..... Beatarum animarum, in Purgatorio languentium, et Sanctorum in terra adhuc viventium per Angelorum fieri mi-

nisterium, communis SS. Patrum est sententia, licet quidam etiam eas per propriam personam, Deo omnipotente adiuvante, fieri solere putent. Quidquid sit, libenter fateor cum S. Augustino : « Res altior est quam ut a me possit attingi, et abstrusior, quam ut a me valeat perscrutari ; et ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque sit, aliquando ista fiant per ipsam praesentiam Martyrum (et aliorum Sanctorum), aliquando per Angelos suscipientes personam eorum, definire non audeo : mallem a scientibus ista perquirere ».

1622. — Notat Angelicus, 1 p. q. 51, a. 2, ad 2 : Corpus assumptum unitur Angelo non quidem ut formae, neque solum ut motori, sed sicut motori repraesentato per corpus mobile assumptum... Corpora sensibilia divina virtute sic formantur ab Angelis, ut congruant ad repraesentandum Angeli intelligibiles proprietates. « Angeli boni, sive repraesentent principaliter Deum, sive dum se solos visibiles reddunt, corpus aliquo modo vere tale ab ipsis confectum assumunt » (Schram, § 497).

1623. — Corpus tamen assumptum non est organizatum. Unde ait Suarez : « Poterit ergo Angelus simile corpus assumere, et illud ita movere, ut et visui, et auditui, et tactui vivum esse videatur. Respondeo in primis non posse Angelum naturali virtute tale corpus formare » (De Ang. l. 4, c. 35, n. 4, p. 544).

1624. — Et paulo ante dixerat : « Nihilominus dicendum est corpora quae Angeli assumunt sub specie humana, non habere organizationem corporis humani, etiam quoad dispositiones accidentales singulorum membrorum, ut carnis, ossium, etc » (Ibid. n. 3).

1625. — Et in hoc sensu intelligendus est Card. Bona dicens : « Vera item corporis assumptio illa censeri debet quae tactu percipitur, ut cum Abraham angelorum pedes humana forma apparentium lavit; cum ipsi Loth manu apprehensum e civitate comburenda eduxerunt; cum Iacob tota nocte cum uno ex illis luctatus est ». (De discr. spir. c. 19, n. 6).

1626. — Ait Alvarez de Paz: « Sciendum est alio etiam modo has apparitiones exteriores fieri posse, scilicet per immutationem sensuum nostrorum. Ita scilicet ut Angelus apparens nullum corpus assumat; sed solum oculum videntis immutet et similitudinem aliquam inferat rei quam videri vult » (De grad. cont., l. 5, p. 3, c. 10).

1627. — **Apparitiones mortuorum generatim.** — Ait Angelicus: « Hoc quod mortui viventibus apparent qualitercumque, vel contingit per specialem Dei dispensationem, ut animae mortuorum rebus viventium intersint, et est inter divina miracula computandum; vel huiusmodi apparitiones fiunt per operationes Angelorum bonorum vel malorum, etiam ignorantibus mortuis (S. Thom., Sum. 1, p. q. 89, a. 8, ad 2).

1628. — **Daemonum apparitiones vel daemoniacae visiones.** — « Eodem modo fiunt ac Angelorum. Vel corpus ex aëre sibi fabricant, vel visibiles species hominum oculis immittunt, vel, quod angeli et coelestes spiritus nunquam faciunt, corpora damnatorum aut etiam bestiarum cadavera assumunt et in iis apparent » (Comp. Scaram.).

1629. — Unde Angelicus, q. 114, a. 4, ad 2, scribit: « Cum ipse (daemon) possit formare corpus ex aëre cuiuscumque formae et figurae, ut illud assumens in eo visibiliter appareat, potest eadem ra-

tione circumponere cuicumque rei quamcumque formam corpoream, ut in eius specie videatur ».

1630. — **Apparitiones damnatorum.** — Scribit Lopez Ezquerra, tr. 4, c. 13 : « Quidam aestimaverunt animas damnatorum quasi aeterno carcere reclusas, nullo unquam modo posse ab illa horribili reclusione ad hunc mundum regredi : propterea omnes earum apparitiones iudicant esse a daemonibus factas, qui fingunt esse animas eorum, qui vel vere in illo profundo lacu commorantur, vel ipsi intendunt quod credatur esse damnatos.... Nos vero non solum fatemur posse animas damnatorum (Deo permittente et disponente) e fetidissimo illo carcere ad nos egredi (ut variis exemplis comprobabimus), verumetiam (Domino volente) posse iterum ad sua corpora revocari, dummodo earum sententia damnationis non fuerit definitiva, ut expresse docet D. Th. in 1, dist. 43, q. 2, a. 2, ad 3 ; et in 4, dist. 45, a. 1, ad 3... Forsan evenire poterit directori, quod aliqui ad eum accedant affirmantes, se alicuius animae damnatae visionem vidisse; quo in casu..... habenda est cautela; quia ut plurimum non erit vera visio, sed imaginatio : raro quippe a Deo permittitur, propter horribiles et violentos effectus quos parit in vidente ».

1631. — **Visio corporalis sumitur etiam pro aliis sensuum experientiis.** — De qua re scribit Seraphicus : « Ad hanc potest referri quorumlibet sensuum experientia, ut auditus et gustus, odoratus et tactus, quia visus pro quolibet sensu poni potest (De prof. relig. l. 2, c. 76).

1632. — Et Card. Bona : « Corporeae (visionis) nomen tribuitur tam illi quae visus quam quae aliorum sensuum ministerio fit. Nomen quippe visionis primo impositum est ad actum visus significandum,

ad omnem quoque aliorum sensuum functionem, propter eius certitudinem et dignitatem extensum est » (De discr. spir. l. 15, n. 4).

1633. — Et Comp. Scaramelli : « Ad visiones corporeas referendae sunt etiam quaedam amoenae voces, certi personarum coelestium cantus, et melodiae suavissimae, quibus Dei servorum aures subinde demulcentur; certi suaves odores, grati sapores et gaudia certa spiritualia quibus homines sancti quandoque a Deo recreantur. Nam, licet visiones proprie dictae ad visum tantum spectent, siquidem, « ad oculos proprie videre pertinet : utimur autem hoc verbo etiam in caeteris sensibus, quum eos ad cognoscendum intendimus; dicimus enim non solum vide quid luceat, quod soli oculi sentire possunt : sed vide etiam quid sonet, vide quid oleat, vide quid sapiat, vide quam durum sit ».

1634. — **Quomodo tractanda sit a subiecto visio personae sanctae.** — In apparitionibus quae diabolicae non videntur, iuxta Valgornera, q. 3, disp. 5, a. 1, n. 13 : « Tria facienda sunt. Primo, Christum sibi apparentem, vel Virginem Mariam, vel aliquem ex Sanctis aut Angelis, reverenter et devote suscipiat, et congrua adoratione vel cultu se illi submittat. Nam quamvis ille esset diabolus, nullum est in hac adoratione periculum, ex quo ipse diabolum non adorat, nec veneratur, sed Christi aut sanctorum imaginem sibi ostensam : quae adoratio non in diabolum fertur, sed in Christum repraesentatum terminatur ».

1635. — Idem iisdemque verbis docet Alvarez de Paz, qui addit : « Se etiam ad Domini et Sanctorum amorem afficiat, et quid boni et utile sibi dicatur, quisque sit finis illius revelationis, attendat » (De grad. contempl. l. 5, p. 3, c. 10).

1636. — *In dubio abstinendum,* et tenendum cum Angelico, 3, dist. 9, q. 1, a. 2, quaest. 6, ad 3: « Dicendum quod non potest diabolus, in specie Christi apparens, sine peccato adorari, nisi sit conditio actu explicata; non enim sufficit solo habitu: quia ipsa novitas rei insolitae, considerationem et attentionem requirit ». Unde necessaria expressa conditio: Si tu es Christus.

1637. — Idem ex eodem Angelico docet Comp. Scaramelli, dicens: « Si in quapiam visione diversos ab illis, quos antehac experta est effectus persentiret, omnem iterum actum suspendat, ac omnia reiiciat. Nam non raro contingit, ut inter veras quas Deus suis servis elargitur visiones, daemon quandoque falsam repraesentationem intrudat. Non autem potest diabolus sub specie Christi apparens adorari; et in dubio necesse est ut ponatur conditio actu explicito: si tu es Christus ». — Similia habet Ant. a Spir. Sancto, in textu adducto n. 1620.

1638. — Unde rite scribit Binsfeldius: « Dubium hic esse potest utrum angelus Satanae transfigurans se in speciem sive formam Christi, absque peccato possit adorari?... Dicendum: Qui existimat vel advertit esse daemonem sub forma Christi, et adorat, committit crimen idololatriae, quia sciens et prudens adorat daemonem, et ipsi tribuit cultum divinum, quod est pessimum scelus idololatriae » (De confess. Malefic. prael. 12).

1639. — Quare tenendum monitum Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 3, disp. 5, a. 1, n. 13: « Convenienti tempore hanc apparitionem magistro spiritus, vel alii viro prudenti manifestabit, ut ab eodem de veritate apparitionis doceatur... Et consideret an apparitio sit divinae Scripturae et sensui Ecclesiae consona... An ad charitatem et omnem

virtutem se sentiet excitari... Demum, curet vitam coelestem aemulari, et ita vivere ut mundo mortuus, Deo vero vivus sit et appareat, et per omnimodam sui abnegationem magis ac magis ad coelestia dona se disponat ».

1640. — **Distinctio inter veras et diabolicas visiones.** — Bene notat Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 3 : Saepe enim fiunt praedictae visiones ante arreptam viam spiritualem, ut anima efficacius ad eam assequendam stimuletur, ut de multis legitur. Cum autem fiunt spiritualibus et viam ingressis, fieri solent interdum in oratione recollectis; interdum extra orationem distractis, sed repente, nulla praecedente dispositione, et ad modum fulguris coruscantis; licet multoties per aliquod tempus visio conservetur; sed hoc raro contingit, et regulariter statim evanescunt.

1641. — Aliquando anima statim cognoscit, quod illa visio sit supernaturalis, atque ita per novitatem natura movetur, quod toto corpore contremiscat... Si haec visio fit a bono spiritu, quamvis anima sic contremiscat, paveat et conturbetur, sensim tamen roboratur et conquiescit, atque in se mirabile lumen et altissimam obiecti cognitionem percipit, pariterque ardorem in voluntate, fervidamque promptitudinem ad bene operandum; non autem omnino pacificam, eo quod nondum est purgata, nec ad plenitudinem receptionis bene disposita.

1642. — Si autem haec visio fiat a spiritu nequam, regulariter contrarios effectus parturit; nam in eius exordio animam occupare solent sensibilis laetitia, dulcedo et gaudium, ut confirmat Ignatius de Loyola, et interdum motus impuri, qui ex illa sensibili exuberante delectatione insurgunt, ut testantur Bonaventura et Richardus, sensim vero incipit in-

troduci inquietudo insipida, qua inter voluptatem et poenam, inter gaudium et moerorem cor tangitur, subindeque tepescit, pavet et conturbatur. Insuper lumen, sicut in vera visione, est vivum, hilare et suave; in hac, e converso, est mortuum, triste et insipidum.

1643. — **Monita circa visiones corporeas** seu exteriores et materiales. — Scribit Comp. Scaramelli: « Cognita veritate et sanctitate visionum, director omni cum sollicitudine et attentione curet, ut anima postquam visio praeteriit, sese ea expoliet, nec sensibilis delectationis causa quam eius recordatio ingerit, eam in mentem revocet, sed ut sanctos solummodo affectus quibus se iam accensam sentit amplectatur: profundas scilicet humiliationes, generosam ab omnibus creaturis avulsionem, vehementia se castigandi, pro Deo operandi ac patiendi desideria, charitatem erga Deum, amorem et zelum adversus proximum, et alia similia quae ad solidarum virtutum exercitationem spectant ».

1644. — Addit Lopez Ezquerra, tr. 5. cap. 4: Quia huiusmodi visiones Deus tribuit animabus, non ut conserventur, sed ut ab eis exercitatione assumpta, animae ad spiritualem et a sensibus absolutam Dei notitiam, in fide pura et fervida charitate assurgere possint; subindeque ut earum corticem et materiale indumentum renuntient, ut late et sublimiter docet extaticus D. Ioannes a Cruce, lib. 2, ascen. mont. carmel. c. 17, et deinceps; propterea in praedictis visionibus, licet a bono spiritu procedant, debet curare magister, quod accepta earum medulla (1) sive

(1) Per corticem intelligitur materiale visionis, quod sensibus percipitur; per medullam vero donum excitationis, quod omnes supernaturales favores magis aut minus afferunt (Ibidem).

excitatione, accidentia et corticem materialem quamprimum possint, repudient, atque ad simplicem Dei intuitum per fidem et charitatem assurgere conentur.

1645. — Quodsi anima propter efficaciam infusionis et sensuum impinguationem non possit penitus visionis corticem relinquere, sed semper illius imago aut species materialis maneat tenaciter in imaginatione, curet in quantum ei possibile sit, obscuritati fidei magis quam visioni inhaerere; suaviter tamen, ne per nimiam capitis applicationem, cerebrum debilitetur et laedatur, quia laeso capite, habet dispositionem, ut daemon mille fallacias imaginationi ingerat. Quodsi neque hoc consequi valuerit, patienter sustineat, et ibi propter Dei amorem fixa permaneat; tum namque ille disponet quod nullum ei damnum visio illa inferre possit.

1646. — Si magister cognoscat per signa et effectus quod visio a malo spiritu processit, animae iniungat, quod quanto citius possit eam a se propellere nitatur, atque signo se Crucis muniat. Propterea in loco orationis semper debet esse Crux et aqua benedicta, ut adversus diabolicas fallacias possit defendi. Insuper curet, quod suaviter consurgat in Deum, eumque roget quod tam horribile monstrum compescat; locum autem orationis nunquam relinquat, sed ut validus Christi miles arenam non resiliat, nec locum fugiat certaminis, atque ibi firmus consistendo, non materialibus conatibus, sed intellectualibus operationibus in Deum directis debet concertare, et praecipue actibus fidei vivae.

1647. — Nunquam permittat magister quod anima daemonem lacessat, nec ad certamen vocet, neque iactantes in eum minas infligat, ut aliquando vidimus in quodam validae naturae homine daemonem provocante, qui ei in aspectu horribilis draconis appa-

ruit, et homo iste adeo ab eo fuit percussus et laceratus, quod miraculose ab eius manibus potuit vivus evadere. — *Haec Lopez Exquerra.*

1648. — **Monita circa visionem Pueri Iesu in Hostia Eucharistica.** — Item addit idem auctor, ibidem : « Quaedam ex praedictis animabus dum Sacrosancto Missae Sacrificio intersunt, ad Eucharistiae elevationem Puerum in Hostia formosissimum intuentur, et interdum eam vident refulgentem, atque in carnem versam. Doceat eas director... Deumque in spiritu et veritate adorare, ab eis errorem eripiendo, quo putant Christum Dominum eo modo quo ab illis videtur in Sacramento assistere, et eas doceat quod tenere et credere debent ».

1649. — Ideoque director mente retineat hanc Angelici doctrinam, 3 p. q. 76, a. 8 : « Dupliciter contingit talis apparitio, qua quandoque in hoc Sacramento miraculose videtur caro, aut sanguis, aut etiam aliquis puer. Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte Sacramenti. Et hoc quidem videtur contingere quando uni videtur... Quandoque vero contingit talis apparitio non per solam immutationem videntium, sed specie quae videtur realiter exterius existente, et hoc quidem videtur esse quando sub tali specie ab omnibus videtur, et non ad horam, sed per longum tempus ita permanet... – Corpus Christi non potest in propria specie videri nisi in uno loco, in quo definitive continetur. Unde cum videatur in propria specie et adoretur in coelis, sub propria specie non videtur in hoc Sacramento... Et ideo dicendum est quod manentibus dimensionibus quae prius fuerant, fit miraculosa quaedam immutatio circa

alia accidentia, puta figuram et colorem et alia huiusmodi, ut videatur caro, vel sanguis, aut etiam puer... Et sic patet quod remanentibus dimensionibus, quae sunt fundamenta aliorum accidentium... remanet vere corpus Christi in hoc Sacramento ».

1650. — Similia habet Comp. Scaramelli: « Sic fieri etiam possunt, dicit S. Thomas, apparitiones Iesu Christi in SS. Eucharistia sub specie carnis et sanguinis, vel sub specie infantis si ab una tantum persona videtur apparitio. Formant enim Angeli in huius personae oculis impressiones organicas, ac si videret carnem et sanguinem, vel Iesum infantem, nulla mutatione in Sacramento facta. Quando autem ab omnibus et per longum tempus videtur in apparitione ista, admitti debet, iuxta eumdem doctorem, aliqua mutatio in speciebus, ita tamen ut praesentia sacramentalis Christi maneat intacta ».

1651. — **Monita circa visionem corporalem a multis perceptam.** — Scribit Card. Bona: « Asserit S. Thomas quod imaginariam apparitionem ille solus percipit ad quem fit; externam autem et corporalem omnes percipiunt, quod enim extra videntem positum est, omnes videri possunt... Non est tamen haec nota infallibilis: Paulo siquidem corporaliter apparuit Christus, viri autem qui comitabantur cum eo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Idque proprium est corpori glorioso ut se uni manifestare possit, subtracta reliquis praesentia sua, quamvis nullum obstaculum interponatur » (De disc. spir. c. 19, n. 6).

1652. — Addit Benedictus XIV: « Loquendo de illis, qui de sibi factis apparitionibus testantur, saepe contingit ut, coram aliis sint factae, sed unus viderit, alii autem non viderint, unus vocem audiverit, alii non audiverint, et hinc oritur dubitatio an asse-

renti se vidisse aut audivisse fides demenda sit, eo quod alii non viderint aut audiverint... Ex quibus proinde infertur, si probata sit fides eius qui sibi factam refert apparitionem, esto ea contigerit dum esset cum aliis at alii non viderint, ex hoc firmum deduci non posse argumentum adversus apparitionis veritatem; quia potuit esse imaginaria, aut quia, si corporalis fuit, Deus facere potuit, ut unus videret, caeteri autem non viderent, qui apparuit » De serv. Dei beat. l. 4, p. 1, c. 32, n. 15).

1653. — Et Schram, § 510, ait: « Si visio vel apparitio ab omnibus praesentibus indifferenter percipiatur, fere evidens signum est visionem seu apparitionem esse exterius sensibilem, seu corporalem ».

1654. — **Monita circa aestimationem huiusmodi visionum.** — Teste S. Ioan. a Cruce, Ascen. Mont. lib. 2, cap. 18: « Si spiritualis vitae pater ad revelationum spiritum ita fuerit proclivis, ut illas magni pendat, in illisque complacentiam et satisfactionem sentiat; non poterit non imprimere spiritui discipuli illam ipsam earum satisfactionem et existimationem, nisi forte discipulus maiori quam ille perfectione polleat: et quamvis polleat, si sub eius cura spirituali diutius perstiterit, insigne poterit illi afferre detrimentum ».

1655. — Addit Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 4: « Caveat, ut bene suadet Cancellarius Parisiensis (Gerson. lib. de probat. Spirit. §. Cave ergo) quod vel verbis, vel signis ostendat eiusmodi visiones aliquo in pretio habere, quia ad talem aestimationem nulla suppetit ratio, cum interdum sint effectus imaginationis vivae et tenacis; interdum fabulationes daemonis; et quae a Deo sunt, si suo tempore non abdicentur, animas avertunt ab obscuritate fidei...

1656. — Caeterum eis indicet, quod teneritatis et

exiguae perfectionis causa eis loquitur Deus per sensus et imagines exteriores, quia non sunt capaces ut eis loquatur per purum spiritum quasi spiritualibus, sed per sensum quasi carnalibus... praedictis iniungat, quod assuescant Deum quaerere absque figuris materialibus et circumscriptione loci, sed in eius immensitate, ut fides eum repraesentat.

1657. — Denique eas hortetur, ut penitus sint ei apertae, et nihil ex his quae eis contingant celent aut occultent; sed sincere et integre manifestent ei, et aut praedictam manifestationem, et absque suo consilio, nihil operari audeant, et aliis non manifestent, sed occultent ». — *Haec Lopez Ezquerra.*

1658. — Quoad veras visiones, eas existimet spiritualis director « tamquam dona Dei, et inferioris ordinis quam est contemplatio infusa; non autem earum causa magis existimet personam quam iis ditatam vidit. Magis adhuc caveat, ne minimum visionis existimationis signum poenitentibus manifestet ». Item: « Neque iudicet visiones esse falsas et diabolicas, eo quod persona eas recipiens adhuc sit imperfecta et in virtutum exercitio debilis. Visiones enim non sunt gratiae quae sanctitatem et perfectionem in personis quibus conceduntur supponunt, sicut unio mystica, extases et raptus perfectiores; sed ideo a Deo conceduntur ut anima perficiatur » (Comp. Scaram.).

1659. — Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 3, disp. 5, a. 1, n. 10, ait: « Ista apparitio visibilis est omnium infima... Est insuper illusioni daemonis multum exposita: quoniam virtute naturali potest ex aëre formare, sicut possunt Angeli boni, et in illo Christum Dominum aut Virginem Mariam aut sanctum aliquem exhibere, vel seipsum angelum lucis esse mentiri ».

1660. — Alvarez de Paz addit: « Sciat ille hanc apparitionem visibilem esse omnium infimam, et illusioni diaboli magis expositam. Est omnium quidem infima ex eo quod sensibus exterioribus percipitur qui imaginatione et intelligentia longe sunt imperfectiores; nisi forte huic visioni corporali visio intellectualis adiungatur... Sciat etiam has apparitiones ad veram sanctitatem non spectare, quia eas habens propter illas non est sanctior, et illis carens, propterea quod sibi non suppetunt, non est imperfectior. Dantur hae occulto et iusto iudicio Domini tum bonis, tum malis. Nam et Pharao et Balaam visum viderunt, et Nabuchodonosor et Balthasar, et alii multi, et propter haec insueta visa meliores non facti sunt (De grad. Contempl. l. 5, p. 3, c. 11).

1661. — Et Seraphicus: « Nec faciunt sanctum nec ostendunt; alioquin Balaam sanctus esset, et eius asina quae vidit Angelum » (De Prof. Relig. l. 2, c. 76, n. 2).

Visiones imaginariae.

1662. — **Definitio.** — Scribit Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 3, disp. 5, a. 2, n. 1: « Visionem imaginariam diffinit D. Th. in expos. sup. c. 1 Isaiae, *cognitionem habitam per speciem receptam in imaginatione*, repraesentantem aliquid divinum et coeleste, non minus clare, quam si corporeis oculis cerneretur. Potentia imaginativa est perfectior sensitiva exteriori, quia percipit res praesentes, praeteritas et futuras, et impossibiles fingit... Fit autem haec apparitio per species seu figuras et imagines rerum quas iam habemus, vel fit alicuius obiecti, non prius quidem in seipso corporaliter visi, sed

visi in aliquo sibi simili, et per partes, et tunc coordinantur species acquisitae, quibus divinitus coordinatis, ipsum obiectum adaequate repraesentatur; vel per novas imagines a Deo immissas ».

1663. — Visio imaginaria « consistit in interna obiecti cuiusdam repraesentatione, quae in phantasia per species sive combinatas, sive recens infusas, ac superno lumine illustratas, ita efformatur, ut dicta potentia obiectum illud maiori cum claritate videat, quam corporis oculi illud suis obtutibus intueri possint. *Distinguitur ergo a visione corporea* in eo quod haec in repraesentatione consistat externa, a sensibus externis percepta; et ista in repraesentatione interna, a phantasia, quae est sensus internus, visa ».

1664. — Addit Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 5: « Visiones imaginariae... sunt altioris gradus quam praeteritae, et in medio externarum et spiritualium constitutae.

1665. — « Hae visiones imaginariae (Diva Theresia teste, in Vita sua, cap. 28) transeunt cito et ad instar fulguris corruscantis; imago tamen earum remanet tenaciter impressa in potentia; interdum per aliquod tempus, interdum per totam patientis vitam, et interdum (experientia teste) per exiguum temporis spatium et penitus obliviscuntur; nam haec imaginis impressio tantum durat, quantum ad optatum Dei effectum deservit. » (1)

(1) Ibidem, infra addit: « Sciendum est, quod visiones externae, vel imaginariae quae a Deo sunt, in ictu oculi pertranseunt; quarum imago (ut diximus) remanet penes imaginationem, quam si anima statim non reiicit, diabolus qui eius calcaneo semper insidiatur, curat illico suas ibi fabulationes ingerere, et quod a Deo initium habuit, ille pervertere intendit propter animae proprietatem, quae in huiusmodi visionis con-

1666. — Affirmat Comp. Scaramelli, *visionem imaginariam facile in intellectualem transire:* « Visio imaginaria, quum intellectuali semper sit iam quodammodo unita, in eam transire solet, ita ut anima omni materiali ac sensibili visu orbata, potentiis spiritualibus in Deo suspensa haereat. Nam dum phantasia visione imaginaria coelestes et divinas repraesentationes contemplatur, et in earum forma figura, splendore, pulchritudine et gratia externa intuenda defixa haeret, intellectus luce quadam coelesti illuminatus videt, scrutatur et intelligit in iisdem visionibus quae phantasia videre non potest, dignitatem scilicet earum, internam excellentiam et praerogativas. Sic visio imaginaria et visio intellectualis, iuxta doctrinam S. Thomae et S. Theresiae, sunt unitae, et prima in secundam statim transit ».

1667. — « Lumen verae visionis tantum excedit potentiae capacitatem, quod ad eius receptionem anima immutatur et contremiscit, propter novitatem et efficaciam luminis, et modum intimae, velocissimae, et vivae repraesentationis, quam manifeste cognoscit, vires naturae superare; propterea nullatemus potest eam diu intueri, et irreverberatis oculis conspicere; alioquin non vera visio infusa erit, sed profunda et propria imaginatio ». (Lopez Ezquerra, ibid.).

1668. — De qua re scribit S. Theresia, Mans. 6, c. 9: « Oportet notare, quod cum anima potest per multum temporis hunc Dominum intueri, non credo quod vera visio sit, sed aliqua vehemens consideratio per imaginationem formata, vel figura et imago mortua in comparatione visionis verae;

servatione introducitur; quae omnia proculdubio evitaret, si continuo visionis corticem abdicaret ».

contingit enim non paucis, qui tam debilis imaginationis vel efficacis intellectus sunt, quod ita imaginatione immerguntur, ut omnia quae cogitant, se suo iudicio clare videre affirmant; quod si veram visionem vidissent, absque dubio eorum errorem cognoscerent, et quod ipsi sua imaginatione ea quae vident effingunt; unde nullum effectum causant eorum de quibus dicemus, quinimo manent frigidiores ac si imaginem ex ligno conspexissent. Quamobrem eiusmodi visiones nihili aestimandae sunt, quae veluti res somniatae statim e memoria excidunt. In vera autem visione non ita contingit, sed procul stante anima a recipiendae visionis cogitatione, celeriter et collective ei repraesentatur, omnesque animae sensus et potentias, quodam pavore ac tumultu commovet, ut illico eas in illam felicem pacem constituat ».

1669. — Notandum cum Angelico, 1 p. q. 111, a. 3 ad 2: « Dicendum quod angelus transmutat imaginationem, non quidem imprimendo aliquam formam imaginariam nullo modo per sensum prius receptam. Non enim posset facere quod caecus imaginaretur colores ». — Addit in opusc. De malo, q. 16, a. 9: « Non potest daemon influere novas formas... in sensum et imaginationem ».

1670. — Iuxta Schram, §. 492: « *Visio simplex imaginaria duobus modis fieri potest:* 1° *Per* imagines vel species per sensus externos haustas, ita Deo disponente et ordinante, ut id referant quod ipse intendit. 2° *Per* novas species, Deo formante, per quas illustrat intellectum ad cognoscendum et penetrandum quod illae repraesentant. Et quia Deus hoc communiter per Angelos facit, Angeli homines illuminare dicuntur, quatenus licet per se phantasmata non imprimant; movent tamen humores et spiritus vitales, quibus

commotis, phantasia ad operandum excitatur, et per illam intellectus ordinate et convenienter ad distincte cognoscendum movetur ».

1671. — **Divisio visionis imaginariae.** — Scribit Alvarez de Paz : « Quadrupliciter ergo homo apparitionem imaginariam potest habere. Primo vigilans et absque abstractione a sensibus... Secundo, positus in extasi ; et tertio, constitutus in raptu qui vehementior est... At si quarto modo apparitio imaginaria fiat, nimirum in somnis » (De grad. cont. l. 5, p. 3, c. 11).

1672. — Item : « Accidit autem haec visio imaginaria homini in vigilia, et in somno ; et in vigilia, vel cum est sui compos, vel cum in extasi aut raptu est ab usu sensuum externorum avulsus... Accidit etiam in vigilia, cum anima pie Deo intendens ad id inspiciendum erigitur, quod Deus illi, vel in se existenti, vel a sensibus externis abstractae revelare disposuit » (ibid).

1673. — « Quando visio vel apparitio, sive in vigilia sive in somno, contingit interne, sine omni obiecto exterius in sensus externos occurrente, vel si etiam exterius in sensum externum fieri videtur, totum tamen in sensu externo praestigiosum est, imaginaria censenda est » (Schram).

1674. — Monet Benedictus XIV : « Visiones non semper extasi esse coniunctas bene animadversum fuit a Card. De Laurea in saepe citato opusc. de Oratione, c. 8 » (De serv. Dei beat. l. 3, c. 50, n. 1).

1675. — Et Ioannes a Iesu Maria : « Quando abstractio vel alienatio a sensibus imperfecta est, non facile discerni queat id quod quis tantum imaginatur ab eo quod exterius videtur. Quod magistros et doctores spirituales notare oportet, ut prudenter

de hisce rebus iudicent » (De Orat. cont. tr. de Rapt. n. 10, t. 2, p. 605).

1676. — Et Angelicus, 2 2, q. 173, a. 3 : « Quando fit revelatio prophetica secundum formas imaginarias, necesse est fieri abstractionem a sensibus, ut talis apparitio phantasmatum non referatur ad ea quae exterius sentiuntur. Sed abstractio quandoque fit perfecte, ut scilicet nihil homo sensibus percipiat, quandoque autem imperfecte, ut scilicet aliquid percipiat sensibus, non tamen plane discernat ea quae exterius percipit, ab his quae imaginaliter videt ».

1677. — Addit Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 3, disp. 5, n. 6 : « Certum est, quod non semper est aeque perfecta, nec tam viva visio imaginaria... dum aliquid aliud ab humanitate Christi manifestatur, ut ipsa constat experientia ».

1678. — **Visiones imaginariae per somnium.** — « Veritas autem catholica est, haec somnia et a Deo et a daemone immitti posse », ait Suarez, de Relig. l. 2, c. 13, n. 18. — Addit Card. Bona : « Cur vero in somnis plures quam in vigilia apparitiones et revelationes fiant, diversae sunt causae. Solet enim animus in vigilia multis rerum humanarum curis et negotiis, variisque studiis occupari et distrahi, atque a se ipso avocari, et turbidis affectibus agitari, quibus impeditur ne videat et discernat quae recta et iusta sunt. At, cum dormit, ab omnibus curis et interpellationibus liber, sibique praesens et attentus, quidquid internis facultatibus obiicitur, facile percipit et incorrupte diiudicat. Deinde cum vigilat, quicquid menti seu phantasiae occurrit, humanae ratiocinationis trutina expendere ac discutere, et si quid ab ea discrepare videtur, reiicere consuevit. Dormiens autem, agitur potius quam agat, magisque promptus et idoneus est ad divinas operationes percipiendas,

non disquirens credendi causas, sed credens. Accedit noctis silentium, sensuumque exteriorum et rerum omnium, quibus mentis attentio alio diverti et remitti potest, placida quies : unde fit ut res obiectae magis animo imprimantur, et tenacius haereant. Et quoniam, si divinitus immittuntur, vim aliquam significandi semper habent, homo de illis, sopitis sensibus, efficacius instruitur, ablato quoque extrinseco impedimento, quamvis dormiens discernere nequeat quomodo res ipsas viderit et intellexerit » (De discr. spir. c. 16, n. 3).

1679. — Teste Alvarez de Paz, in somniis: « Deus suam in hominem potestatem manifestet. Nam homo hominem nisi vigilantem, audientem et attendentem docere non potest. Deus autem altissime dormientem et somno indulgentem, et sui ac omnium oblitum docet, et suum imperium in facultates nostras, quomodocumque impediantur, ostendit (De gr. cont. p. 3, c. 11).

1680. — Scribit Angelicus, in Iob. c. IV, l. 3: « *In horrore visionis nocturnae, quando sopor solet occupare homines ;* tempus enim nocturnum, propter quietem, magis est congruum revelationibus percipiendis: in die enim a tumultibus hominum, et occupationibus sensuum mens quemdam strepitum patitur, ita ut susurrium verbi absconditi percipere nequeat... *Stetit quidam, cuius... imago coram oculis meis...* Considerandum est, quod huiusmodi visa, quandoque apparent dormientibus, quandoque autem vigilantibus ; et veriora solent esse et certiora, cum vigilantibus apparent, eo quod in vigilando est ratio magis libera, et quia in somno spirituales revelationes minus discerni possunt a somniis frivolis et consuetis ».

1681. — **Signa ad discernenda somnia.** — Teste Card. Bona, *De discr. spir.* c. 16, 4: « Sunt quae-

dam signa sive regulae ex ipsis somniis assumptae, quibus vir sapiens et expertus facile potest coniicere ex qua causa proveniunt... — 1. Naturalium alia sunt temere et fortuito occurrentia, et quae nihil prorsus significant, nec ullam cum futuris connexionem habent: et haec omnino reiicienda atque spernenda sunt. Alia statum et constitutionem, sive temperamentum somniantis indicant; et ex his solent medici morborum causas investigare. Nulla autem sunt, quae naturaliter futura contingentia praesagiant. — 2. Somnia quae inutilia, superstitiosa, et vana suggerunt: quae tetra, horribilia, aut obscena repraesentant, vel ad malum quocumque modo provocant: seu quibus occulta manifestantur ob solam curiositatem vel ad inanem scientiae ostentationem spectantia: aut futura praedicuntur, quae postea ex eventu falsa dignoscuntur, a daemone vel a natura oriri evidens est. — 3. Si somnia accidant incomposita, turbulenta, ridicula, monstruosa, et quae statim evanescunt ac dissipantur, non sunt a Deo: ipse enim omnia facit in numero, pondere, et mensura, nec est aliquid inordinatum vel inutile in operibus eius... — 4. Divinorum indicia sunt res ipsae, quae per somnium innotescunt, si eius generis sunt, ut nonnisi a Deo revelari queant... nisi forte talia fuerint, ut ea diabolus ex coniecturis vel aliunde scire possit. Solet etiam Deus, cum somnia immittit, miro quodam fulgore mentem illustrare, et voluntatem sic afficere, ut illis firmiter haereat, et certo sciat a Deo esse, nec ullo unquam tempore eorum obliviscatur. — ... 5. Tutiora et certiora indicia sunt quae ex ipsis rebus in somniis ostensis desumuntur. — Quibus et illa adiungi debent, quae allata sunt, cum de spiritibus discernendis actum est ».

1682. — **Monita circa visiones imaginarias. — An renuntiandae vel conservandae formae earum sensibiles.** — Scribit Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 5 : « Hae imaginariae visiones regulariter eveniunt vel incipientibus, vel proficientibus nondum bene purgatis... Animadvertendum tamen est, quod in his visionibus maius quam in praeteritis adest deceptionis et illusionis periculum ; non solum quia **imaginatio est daemonis officina,** ubi suas fabulationes componit, sed quia facilius et vehementius obiecta offeruntur imaginationi, quam sensui externo.

1683. — Istae visiones, sive falsae sint ex parte daemonis, sive verae et ex Deo, debent similiter ac praeteritae renuntiari, et intellectus ab illis expediendus est, et ad ignorationis et discretionis divinae essentiae caliginem aspirare.

1684. — Et cap. 6 addit: Quia hae visiones imaginariae periculis plenae sunt, et valde obnoxiae illusionibus, debet director sollicite se gerere, et praesertim cum his, qui sunt imaginationis vivae et tenacis ; hi namque facile credunt videre ea quae vehementer imaginantur, atque se habere supernaturales visiones credunt et affirmant, et si magister inexpertus sit, vel huiusmodi rebus affectus, sibi et animae (ut docet Fr. Philippus a SS. Trinitate) magna pericula conferre poterit ; quibus potissimum obnoxiae sunt feminae, quia sunt valde imaginativae, curiosae et acuminosae ; ideoque omnia quae vehementer concipiunt, se videre supernaturaliter putant... Quamobrem eas arguat, humiliet, et severissime tractet ; quia si verae visiones sint, satis se explicant, nullusque in eis remanet ambigendi locus ; quia nimirum dum natura a supernaturali agente patitur, subito mutatur, et in extraordinarios affectus prosilit.

1685. — **Timendae in eis fallaciae daemonis.** — In his imaginariis impressionibus callidiora diabolus occulit arma (prosequitur Lopez Ezquerra): potest quidem per easdem animam exterius occupare, et materialibus deliciis et suavitatibus a sui fundo ad exteriora allicere, ubi ille habet dominium et commercium. Praeterquam quod imaginatio solet esse cathedra pestilentiae, ubi ipse sedet et perversitatis dogmata docet.

1686. — Ex parte etiam animae datur ei *(diabolo)* per has visiones aliqua quasi potestas, ut eas facilius seducat; cum enim anima rebus immoderate utitur, unde aliqua vitia contrahat, tribuit diabolo aliquam quasi potestatem, vel maiorem fortitudinem ad eam decipiendam, sicut et illa per huiusmodi imperfectionem et vitia, redditur debilis, et ad ruinam facilis...

1687. — **De renuntiatione formis sensibilibus istarum visionum**, addit idem auctor: Formae istae sensibiles nimis adhaerent potentiae, unde difficile renuntiari possunt; sed nihilominus debet magister curare, quod ab imaginatione fortiter et suaviter propulsentur, et anima ad exercitium pure spirituale assurgere nitatur... Praeterea profectus animae, non in visionibus et materialibus formis, vel favoribus extraordinariis consistit, sed in altissima Dei cognitione, quae est per fidem, et in ferventissimo amore charitatis; quia, ut saepius diximus proportionari debent cum obiecto ad quod diriguntur.

1688. — Ratio eorum qui eiusmodi formarum conservationem defendunt, ea potissimum est, quod multum iuvant ad spiritualem, et mysticam unionem; quod non negamus, si verae sint, eisque (ut par est) bene utatur anima. — *Sed dicendum, ex doctrina S. Ioan. a Cruce, cum Sp. Carthusiano:* « Quo maiori

cum studio et affectu se nudat anima speciebus, imaginibus et similitudinibus, quibus vestitae veniunt communicationes supernaturales, quas diximus, intelligentiae, et amoris, et suavitatis; non solum non se illis privat, verumetiam eisdem maiori cum puritate et simplicitate, ubertate, claritate et libertate spiritus recipiendis eo amplius se disponit ». Haec ille... — Debet igitur magister docere, quod corticem visionum reiiciant, et medullam et excitationem, quae ad divinam cognitionem et amorem inducit, conservent.

1689. — Praeter adducta inconvenientia conservandae visionis, extat periculum subversionis, et diabolicae illusionis, quibus visio imaginaria obnoxia est; a quibus omnibus liberabitur anima, eiusmodi formas negando *(abnegando)*; quae, ut docet B. Ioannes a Cruce Ascen. mont. Carmeli, lib. 2, cap. 17, animae conceduntur ob eius incapacitatem ad maiora et sublimiora percipienda.

1690. — **Causae concessionis visionum imaginariarum. Cur concessae etiam perfectis et sanctis.** — Addit Lopez Ezquerra, ibidem: Quamobrem non tanti ponderis et aestimationis sunt, ut aliqui in suis commentis exaggerant. Audiat obsecro magister Bonaventuram, De profect. Relig. libr. 2, c. 72, sic dicentem: *Aliqui putant esse aliquid momenti, quod in se nullius est momenti.* — Causas afferunt multi, et praecipue Ioannes Gerson, *de ver. et fals. visione.* Conceduntur autem a Deo in sensu ob varias causas; *una* est, quia anima adhuc est parvula, et incapax puri spiritus; unde si aliunde Deus loquatur, non ab ea intelligeretur; *secunda,* quia forsan cognoscit, animam esse ad sensibilem delectationem in spiritualibus proclivem, quae melius cum sensibilibus, quam cum insensibilibus addiscet; *tertia,* quia percipit Deus

abesse ab anima palatum ad manducandum panem doloris et perfectorum escam, atque habere appetitum ita suo commodo affectum, quod aliqua mercede ad ulterius progrediendum indigeat, sine qua spiritus eius languescet et deficiet. Quae causae indicant communicationes huiusmodi fieri animabus nondum perfectis; quamobrem male agit director, si eas multi faciat, aut animam propter eas reputet perfectam.

1691. — Nec huic obstare poterit, quod B. Theresia, Catharina Senensis, Birgitta, et aliae sanctissimae et perfectissimae feminae in statu perfecto visiones imaginarias habuerint; quia Deus suorum favorum Dominus est. Et licet ex sua natura visio imaginaria sit communicatio spiritus imperfecti, secundum vero divinae dispositionis propositum, et in illo tunc poterit esse status perfecti. Propterea praedictis Sanctis datae sunt visiones imaginariae, quia pro tunc erant illis necessariae; quod quidem non semper, sed raro contingebat illis; nam licet visiones fuissent rerum corporalium, regulariter erant intellectuales, quia ex statu favores supernaturales statui animarum respondere solent. — *Haec Lopez Ezquerra.*

Visiones intellectuales.

1692. — **Definitio.** — Iuxta Alvarez de Paz, visio intellectualis est: « Manifestissima quaedam rerum divinarum aut coelestium ostensio, quae soli intellectui inspicienda obiiciuntur » (De grad. contempl. c. 12).

1693. — Iuxta Card. Bona, est: « Clarissima rerum divinarum manifestatio, quae in solo intellectu absque figuris et imaginibus perficitur » (De discr. spir. c. 18, n. 1).

1694. — Addit idem Card. Bona: « Visione intellectuali, tam res corporeae quam incorporeae videri possunt. Et primo quidem Deus, et singulae personae Sanctissimae Trinitatis; deinde Christus, B. Virgo, Angeli et Sancti, tum multae veritates de quibus anima instruitur, sive ad fidem spectent, sive ad mores: res denique omnes materiales, licet absentes, quae sunt in coelo et in terra » (ibid. n. 5, p. 301).

1695. — Iuxta Philippum a SS. Trinitate: « Tertia species visionis rerum coelestium est intellectualis, quia fit in intellectu, qui est suprema animae potentia cognoscitiva, pure spiritualis. Unde visio intellectualis est pure spiritualis » (p. 2, tr. 2, d. 5, a. 3).

1696. — Iuxta Comp. Scaramelli: « Visio intellectualis, quae est visionibus corporeis et imaginariis perfectior et excellentior, ita ut angelis et sanctis in coelo beatis magis conveniat quam hominibus in mortali corpore adhuc viventibus, consistit in clara et certa intellectus circa obiectum quoddam notitia, absque omni illud repraesentante forma, figura, aut imaginatione, ita ut in ipso actu a phantasia nullatenus pendeat ».

1697. — Iuxta Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 7: « Visio intellectualis est: quaedam altissima notitia passive intellectui donata, vel per species acquisitas, vel nove a Deo productas; sed a solo Deo immediate absque sensuum et imaginationis medio applicatas intellectui ».

1698. — Scribit Benedictus XIV: « Inter exempla intellectualis visionis, recenseri debent visiones omnes et apparitiones in quibus certum est Deum locutum fuisse et apparuisse, et incertum an externa forma visus et humana voce locutus fuisse dicatur » (Ben. XIV. De serv. Dei beat. l. 3, c. 50, n. 3).

1699. — S. Ligorius monet: « Haec visionum species, teste sancta Theresia, tota est spiritualis; nullam enim in ea partem habent sensus neque externi, neque interni, qui sunt imaginativa et phantasia. Notandum quod neque oculis, neque phantasia potest anima cernere res sibi repraesentatas, nisi in apparentia corporea, etiamsi essent substantiae spirituales. E contra, beneficio intellectus, res cernuntur tamquam spirituales, etiamsi fuerint materiales; vel, ut melius dicam, noscuntur, non videntur; sed noscuntur longe melius quam si oculis cernerentur » (Prax. confess. n. 139).

1700. — Docet Angelicus, 2 2, q. 173, a. 2, ad 2: « Visio intellectualis non fit secundum aliquas similitudines corporales et individuales; fit tamen secundum aliquam similitudinem intelligibilem... quae quidem similitudo intelligibilis in revelatione prophetica quandoque immediate a Deo imprimitur, quandoque a formis imaginatis resultat secundum adiutorium prophetici luminis, quia ex eisdem formis imaginatis subtilior conspicitur veritas secundum illustrationem altioris luminis ».

1701. — Et Card. Bona: « Media est haec visio inter obscuram quae habetur in via per fidem, et claram in patria per lumen, recedens a prioris obscuritate, sed ad posterioris claritatem non perveniens » (De discr. spir. c. 16, n. 5, p. 301).

1702. — **Divisio seu gradus visionis intellectualis.** — Scribit Alvarez de Paz: « Sciendum est altissimae visionis ac perfectissimae contemplationis Dei tres esse gradus, alterum obscurum, alterum omnino clarum, tertium medium. *Primus* potest comparari crepusculo, quando lux dubia est, nec satis dignoscitur an nox abeat et dies accedat. *Secundus* comparatur aurorae, quando lux manifesta est ac ini-

tium diei, sed lux modica et maioris perfectionis indiga. *Tertius* comparatur meridiei, quando lux est clarissima et omnino perfecta » (De grad. contempl. l. 5, p. 3, c. 14).

1703. — Iuxta Schram, §. 505 : « Visio intellectualis potest fieri vel *negative et obscure*, quando anima non videt in qua forma sit obiectum; videt tamen in qua non sit...; vel *positive et clare* quando anima videt aut potius experimentaliter sentit obiecti formam sub modo spirituali : qui uterque modus ad duos illos gradus contemplationis, claraе, et in nebula seu caligine, revocari potest » (1).

1704. — Vallgornera, Myst. Theol. D. Th. q. 3. disp. 5, a. 3, n. 3 : « Sicut enim datur in visionibus intellectualibus Dei, una quidem obscura, quae habetur per fidem, altera vero penitus clara, quae habetur in patria per lumen gloriae, tertia vero media, ad donum sapientiae vel ad specialem gratiam luminis cuiusdam supernaturalis pertinens... Sic in visionibus intellectualibus rerum corporearum distinguenda est triplex visio : *una obscura*, quam diximus, *alia omnino clara* et intuitiva repraesentans rem prout

(1) Addit Comp. Scaramelli : « Huiusmodi visiones sunt aut *indistintae* aut *distinctae*. Sunt *indistinctae*, quando anima per certam ac clarissimam divinitus infusam notitiam, ita ut nullo modo dubitari possit, Redemptorem suum, B. V. Mariam, vel aliud quid corporale obiectum praesens videt, aut sibi vicinum sentit, quin eius staturam, figuram et singulares eius partes dignoscat. Talis fuit (quaedam) visio S. Theresiae in historia vitae suae relata. — Sunt *distinctae*, quando anima non solum praesentiam alicuius obiecti videt et sentit, sed etiam membra, pulchritudinem et alias partes et qualitates eius indubie et maxima cum claritate cognoscit, quin ullam eorum videat imaginem vel realem vel phantasticam. Visiones distinctae indistinctis perfectiores sunt ».

in se est, et *alia media*, quae neque in obscuritate prioris manet neque ad claritatem posterioris pervenit ».

1705. — Et ibidem, n. 4, addit: « Visio intellectualis diverso contingit medio, ut docet D. Th. *de verit.* q. 12, a. 7. *In infimo gradu* fit per species acquisitas in intellectu praeexistentes divinitus tamen applicatas, cum reali aliquando praesentia rei visae. *In sublimiori gradu* fit per species novas divinitus infusas cum eadem aliquando reali praesentia. *In supremo gradu* compossibili cum fide, videtur fieri in ipso Deo, non tamen clare viso. Quodcumque tamen si medium in quo perficitur haec visio, *medium quo* semper est aliquod lumen spirituale, quo facile, clare et suaviter percipit anima quae Deus ei manifestat, sive coelestia, sive terrestria ».

1706. — Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 7, ait: « Species infusae, per quas fit haec visio intellectualis, interdum sunt ex eis, quae repositae erant in spirituali memoria; quas tamen ita disponit... ut admiranda repraesentent. Interdum sunt a Deo de novo inditae et infusae, ut altitudo rei revelatae requirit. Primas coaptat Fr. Philippus a SS. Trinitate visioni intellectuali infimi gradus; secundas vero visioni altissimi gradus ».

1707. — Modus visionis intellectualis multiplex esse solet; habet enim plures gradus, quos longum foret enumerare. B. Ioannes a Cruce sic modum explicat: « Communicat Deus animae quamdam lucem spiritualem et supernaturalem, in qua faciliter et clarissime videt ea, quae vult Deus, sive coelestia sint, sive terrestria, quin hoc impediat, quod sint absentia, vel praesentia. Hoc evenit veluti si porta clarissima ad intuendum reseraretur repente, plerumque adinstar fulguris cum in obscuris-

sima nocte subito omnia clarificat, quo omnia clarescunt et manifesta efficiuntur; eoque transgresso illico omnia obscurantur, quamvis eorum formae et figurae in imaginatione persistant. Hoc utique in anima proprius et perfectius contingit ». Haec Mysticus Doctor, lib. 2 Ascens. Mont. Carmel. cap. 24.

1708. — Idem fatetur B. Theresia, Mans. 6, c. 8,, hisce verbis: « Accidit animae, cum Deus ita disponit quod anima orans atque in suis sensibus consistens, subito suspenditur, ibique a Domino magnis mysteriis instruitur, quae in ipsa divina essentia videre putet. Sed quamvis dico quod videt anima, vere nihil videt, quia non est visio imaginaria, sed valde intellectualis, ubi clare percipit quomodo in Deo omnia contineantur et videantur, et licet transeat in momento, manet tamen fixa et sculpta in intellectu ». Haec Seraphica Mater.

1709. — Ad hunc duplicem modum videndi intellectualiter possunt caeteri reduci: et sciendum est, quod licet effectus et memoria visionis plus vel minus durent, iuxta divinum beneplacitum et animae necessitatem... visio tamen in momento transit; nec in hoc differt a visione imaginaria. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1710. — **Effectus visionis intellectualis.** — Teste Vallgornera, *Myst. Theol. D. Th.* q. 3, disp. 5, a. 3, n. 5: « Effectus huius visionis sunt plurimi ac pretiosi: quies animae, mentis illuminatio, gaudium gloriosum, suavitas, puritas, amor Dei, humilitas, inclinatio seu elevatio spiritus ad Deum... Qui similem a Deo consequuntur favorem, non turbentur, sed tamen timeant in virtutis exercitio deficere. Si cum debita humilitate in huius visionis communicatione se habeant, certo et tute procedent, sive

visio fuerit vera a Deo procedens, sive falsa a daemone ficta ».

1711. — Iuxta S. Ioan. a Cruce, Ascens. Mont. lib. 2, cap. 24: « Effectus porro quos visiones intellectuales in anima producunt, sunt quies, illuminatio, laetitia ad normam gloriae, suavitas, puritas et amor, humilitas, pronitas seu elevatio spiritus ad Deum; evenitque hoc aliquando plus, aliquando minus, aliquando plus unius, aliquando plus alterius iuxta mensuram spiritus recipientis, vel quemadmodum Deus voluerit ».

1712. — Similia habet Ph. a SS. Trinitate: « Effectus huius visionis sunt plurimi ac pretiosi: quies animae, mentis illuminatio, gaudium gloriosum, suavitas, puritas, amor Dei, humilitas, inclinatio seu elevatio spiritus in Deum. Qui omnes effectus aliquando magis, aliquando minus percipiuntur; quandoque singuli aequaliter, quandoque inaequaliter, prout Deus voluerit, et iuxta diversam animae dispositionem » (p. 2, tr. 2, d. 4, a. 3).

1713. — Concordat Lopez Ezquerra, dicens: « Effectus huius visionis sunt sublimes et pretiosi; ab illa enim gignitur habitualis animae tranquillitas, mentis illuminatio, ingens gaudium, suavitas, humilitas, puritas, castitas, aversio creaturarum, elevatio spiritus in Deum; rubor et repugnantia manifestandi favores divinos, ob propriae vilitatis cognitionem; difficultas et repugnantia conversandi cum hominibus; ineffabilis certitudo visionis, sed non absque formidine seductionis, licet spiritus semper intimam sentit securitatem ».

1714. — Et addit: « Hae visiones plerumque sunt circa substantias corporeas, tam coelestes, quam terrestres: aliquando circa substantias incorporeas, vel separatas, ut sunt Angeli et animae rationales,

quae quidem expetunt sublimiorem lucem et speciem, quam corporeae, et raro evenire contingunt. Primae fiunt frequenter per species acquisitas. Secundae vero per species de novo creatas » (tr. 5, c. 7).

1715. — Teste Comp. Scaramelli: « Visiones intellectuales non cito evanescunt sicut visiones imaginariae, neque brevi transeunt, sed hebdomadas et menses imo integros, etiam annos durare possunt... Neutiquam ergo miretur director animam inveniendo quae, per menses et annos integros, vel Christi, vel B. V. Mariae, vel alicuius Sancti intellectualem habeat visionem ».

1716. — **Causae visionis intellectualis.** — Teste Alvarez de Paz, t. 3, lib. 5, p. 3, cap. 12: « Visiones intellectuales a solo Deo produci possunt. Solus enim Deus potest memoriam intellectivam in bono figere, ita ut strepitu phantasmatum alio non vocetur: solus ille potest lumen hoc supernaturale infundere, vel lumen sapientiae quod antea infuderat, perficere et confortare. Solus ille potest sine concursu sensuum inclinare voluntatem ad bonum, et habitus charitatis et virtutum suaviter eam ducentes immittere, quae omnia lumen theologorum Thomas docuit ».

1717. — Et addit: « Hinc autem constat quod in hac visione, si mere intellectualis est, nulla potest illusio daemonis intercedere, quin nec bonus Angelus potest ad eam cooperari... Et quia in his ut a sensu et imaginatione non pendent, nihil omnino aliqua creatura potest: hinc est quod nec mens in illis possit a daemone illudi » (Ibid.).

1718. — Scribit Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 7: « Causa efficiens huius visionis pure intellectualis est solus Deus absque Angeli ministerio ».

1719. — Iuxta Card. Bona, De discr. spir. c. 17: « Visioni pure intellectuali nulla potest diabolica

illusio intercedere, sive rerum in intellectu repraesentatio per species a Deo infusas consideretur, sive iudicium de rebus eisdem, quod fit per lumen desursum veniens a Patre luminum: nam cum haec duo a sensu et imaginatione non pendeant, nulla est creatura, quae possit se illis immiscere ».

1720. — Notat tamen Philippus a SS. Trinitate: « Quamvis haec visio intellectualis tutior appareat ac magis ab illusione daemonis immunis, potest tamen a daemone fingi. Potest autem huiusmodi fictio contingere per hoc quod daemon phantasmata coordinando, media imaginationis operatione excitat intellectum ad aliquid considerandum tam distincte, ut videre dicatur; hoc modo credunt aliqui doctores quod daemon Christo Domino ostendit omnia regna mundi et gloriam eorum. Sed talis visio a daemone ficta multum differt a vera, et contrarios praedictis habet effectus » (p. 2, tr. 3, d. 4, a. 3).

1721. — Addit Schram, § 505: « In visione intellectuali solus Deus est causa principalis, non vero Angelus, nec bonus nec malus, nequidem mediate ».

1722. — **Monita Lopez Ezquerra**, tr. 5, cap. 8: Si director clare cognoscat, visionem fuisse pure intellectualem; de eius veritate et bono spiritu nullatenus dubitet; sed quia valde difficile est, et adeo subtiliter diabolus se ingerit, quod tam anima, quam eius director putare possint et affirmare visionem fuisse intellectualem, cum revera non ita sit; necessarium duximus aliqua discretionis signa praebere.

1723. — *Sit primum:* status animae, et exercitium eius ordinarium orationis, quod in rebus supernaturalibus semper est attendendum: nam si anima adhuc consistit in statu meditationis imaginariae, vel licet interdum absque imaginibus meditetur, ad

exercitium tamen pure spirituale non penitus transmigravit; regulariter visio erit imaginaria, ob superius adductam rationem, nempe quod Deus statui animae se accommodet. Si vero sit anima, cuius exercitium est purum et spirituale, et sit assueta faciliter sensus relinquere, si clare non cognoscat visionem esse imaginariam, absque dubio erit intellectualis. Quod si adhuc dubitet magister, ad sequentia signa recurret.

1724. — *Secundum:* si visio sit imaginaria, eius memoria aut species ita fixa sculptaque manebit in potentia, quod evidenter cognoscat ei ponderose et sensibiliter adhaerere, et quamdam quasi ingluviem et pinguedinem causare, ad cuius crassum et palpabilem motum in varios et sensibiliter vehementes effectus appetitus sensitivus irrumpet... Visio autem intellectualis non movet immediate appetitum sensitivum, sed rationalem, qui nec laborat in opere, nec in effectus sensibiles irrumpit, et quamvis appetitus sensitivus moveri possit per redundantiam, motio tamen illa non est ita sensibilis et ponderosa, sicut illa, quae causatur ab immediata infusione visionis imaginariae... Quamobrem si motio appetitus sit valde sensibilis, visio illa non erit intellectualis, sed imaginaria.

1725. — *Tertium*: ab effectibus sumendum est, quia visio imaginaria regulariter causat deliquium materiale (vulgo arrobamiento), impetus sensibiles, lacrymas poenosas et eiulatus; visio vero intellectualis producit extases, raptus et alia, quae materiali strepitu et sensibili praecipitatione carent.

1726. — Diaboli astutia eo devenire solet, ut haec signa occultare satagat, ut ipse suas fallacias tutius ingerere possit; offert igitur plerumque imaginationi species imaginarias valde subtiles, impediendo earum

reflexionem, quibus anima clare cognosceret esse visionem imaginariam, et adeo simpliciter ei obiecta repraesentat, quae dum modum ignorat propter reflexionis carentiam, putat indubie visionem factam fuisse immediate intellectui; quamobrem ipsa et eius director decipiuntur.

1727. — Ut ergo eiusmodi cavillosam astutiam cognoscere possit magister, diligenter attendat ad effectus materiales quos parit visio, iuxta praelibata... Quamobrem quanto ille in materialibus potentiis se velit magis dissimulare, tanto amplius impressiones materiales multiplicando manifestatur, quia non potest mutare earum naturam, et necessario materialis causa debet materiales parere effectus.

1728. — Debet insuper attendere ad effectus morales quos utraque visio, scilicet vera et falsa producit... Nunc ex ore B. Ioannis a Cruce, Ascen. Mont. Carmeli, cap. 24, ad maiorem auctoritatem, referre placet: « Effectus (inquit) quos verae visiones intellectuales pariunt in anima, sunt, quies, illuminatio, laetitia ad modum gloriae, suavitas, munditia, amor, humilitas, et proclivitas vel elevatio spiritus in Deum, secundum magis aut minus; interdum plus in uno quam in alio, respective ad spiritus receptionem et beneplacitum divinum ». Effectus malae visionis sic idem Sanctus Doctor exponit: « Effectus quos praedictae habent, valde dissimiles sunt ab eis quos bonae pariunt; imo causant ariditatem spiritus in ordine ad divinam conversationem, proclivitatem ad sui et suarum visionum aestimationem; neque ullo modo pariunt mansuetudinem humilitatis, neque ardorem charitatis, neque earum formae manent in animo impressae cum illa suavi charitate, qua bonae imprimuntur; neque durant, quinimo et statim ab anima decidunt. Quodsi illa huiusmodi visiones aestimet,

tunc ex propria aestimatione excitatur earum memoria, sed sine affectu amoris et humilitatis, quam rememoratio verarum visionum producit ».

1729. — Necessarium est etiam attendere ad intelligentiam per talem visionem communicatam; per illam siquidem manifestabitur spiritus, quia si a daemone sit, continebit utique aliquam inconsequentiam, vel malam doctrinam, vel aliquam imprudentiam, vel veritatibus Catholicis dissonantiam... — Director, nunquam relationi sibi factae fidem praebeat, sed per se ipsum experimentum capiat, et omnia diligenter examinet, quia innumeris periculis obnoxia sunt. Nam licet visio haec non posset a daemone modo praedicto procedere, plerumque oritur ex vehementi imaginatione subiecti, putantis intellectualiter videre quod ipse proprio discursu et apprehensione investigat. — *Haec Lopez Ezquerra.*

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Teste S. Damasceno, Ipsa est: Laetitia orbis universi, Imago plene exculta, cuius pulchritudine delectatur Deus.

Mariam invoca. — O Maria Immaculata, quae teste eodem S. Damasceno, merito dicta es: Lumen cordis nostri, Manuductio nostra ad divinae cognitionis semitam; ora pro me, laetifica me ardentissima charitate erga Filium tuum et te, custodi me, illumina me.

Mariam laetifica. — Hilari, prompto, fidelique corde in Dei servitio. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. II. — DE LOCUTIONIBUS DIVINIS.

1730. — **Notio divinarum locutionum.** — Teste Comp. Scaramelli: « Locutiones divinae, si ex parte causae considerantur, nullum continent actum contemplationis: nam aliud non sunt quam verba quibus Deus, vel coelestis quidam spiritus, voluntatem suam manifestat. Si autem passive sumuntur, et ex parte effectus et finis considerantur, veri actus sunt contemplationis: siquidem idem sunt ac auditio qua anima huiusmodi verba excipit ». — « Audire autem ait Alvarez de Paz, t. 3, l. 5, cap. 6), quod est attentio quaedam animae et actio intellectus eius ad se dicta percipientis, contemplatio est, seu simplex quaedam cognitio veritatis ostensae ». Eadem ergo existit relatio inter locutionem et auditionem, ac inter apparitionem et visionem.

1731. — Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 9, ait: « Secundi generis spiritualium notitiarum sunt locutiones, aut verba supernaturalia et infusa; quae interdum fiunt animabus, tum in oratione recollectis, tum extra orationem distractis. Solent enim in se ipsis interiora verba percipere... quae non externo auditu, sed intellectu percipiuntur ».

1732. — Addit Vallgornera, Myst. Theolog. D. Th. q. 3, disp. 5, a. 8, 1: « Advertendum est, locutionem a visione nullo pacto secundum rem discerni, per utramque enim Deus revelat divina mysteria; differunt tamen ratione, per analogiam ad visionem et auditionem ».

1733. — **Divisio.** — Iuxta Alvarez de Paz: « Haec locutio triplex est. Altera vocibus exterioribus formata, quam aures corporis audiunt, et per

eam intellectus audientis illustratur et affectus accenditur... Altera Dei locutio non aure corporis auditur, sed imaginatione concipitur, dum Dominus per seipsum vel per aliquem Angelum format in imaginatione hominis ea verba, easque sententias quas vult ab ipso intelligi, quibusque oportet eum de rebus utilibus edoceri... Tertia locutio Dei non sonat in aure corporis, nec percipitur imaginatione capitis, sed pure spiritualiter intellectu mentis » (De grad. contempl. l. 5, p. 3, c. 6, n. 6).

1734. — Cui concordat Ant. a Sp. Sancto, tr. 3, d. 5, s. 5, dicens: « Notandum est, locutionem Dei esse triplicem. *Alteram, quae vocibus exterioribus formatur*, quam aures audiunt, et per eam intellectus audientis illustratur et affectus accenditur. Talis fuit vox, quae in baptismo Christi intonuit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et haec vox formatur in aëre Angelorum ministerio, vel a sanctis imaginibus vel ab Eucharistiae Sacramento. — *Altera datur Dei locutio, quae non aure corporis, sed imaginatione percipitur*, dum Dominus per se ipsum, vel per aliquem Angelum format in imaginatione hominis ea verba vel sententias, quas vult ab ipso intelligi. Hoc autem potest Deus et Angelus facere sine verbis quae ipse proferat, solum similitudines verborum disponendo quae sunt in imaginatione hominis, ad quem loquitur, vel alias novas ei imprimendo. Id autem fit aliquando verba interius tam clare audiendo, ac si corporeis auribus perciperentur absque eo quod videatur persona loquens. Aliquando persona loquens se manifestat, dum figura eius per aliquem Angelum imaginationi imprimitur, ita ut audiens, a quo audiat, nullo modo possit dubitare. — *Altera datur locutio Dei, quae non sonat in aure*

corporis, nec percipitur in imaginatione, sed pure spiritualiter in intellectu mentis ».

1735. — **Locutiones auriculares.** — « Locutiones auricularíae consistunt in vocibus veritatem aliquam exprimentibus, quas Deus vel per se ipsum, vel Angelorum ministerio auribus nostris ingerit. Quoad signa externa et sensibilia, non differunt a locutionibus humanis; valde autem diversae sunt ab eis, si effectus salutares quos in animabus nostris excitant considerantur. Qui effectus, licet modo sint maiores, modo minores, semper tamen talis sunt naturae, ut de divina eorum origine dubitari non possit », ait Comp. Scaramelli.

1736. — Qui quidem addit: « Locutiones intellectuales sunt omnium perfectissimae et sublimissimae », sed antea dixit: « Locutiones auricularíae, licet quandoque etiam personis perfectis concedantur, ordinarie tamen animabus imperfectis quae ad perfectionem tendere incipiunt, et sublimiorum communicationum, nondum sunt capaces, impertiri solent. Deus enim, qui omnia in numero, pondere et mensura operatur, eiusmodi animas per gratias sensibiles a rebus sensibilibus avellere et ad coelestia et divina elevare intendit ».

1737. — Et opportune monet: « Quum daemon, nisi a Deo impediatur, magnam habeat vim in sensus externos hominum, locutiones auricularíae magnis ex parte eius expositae sunt illusionibus. Director ergo easdem observet regulas, quas pro visionibus corporeis praescripsimus. Iniungat poenitenti, ut omnes locutiones positive reiiciat, donec ex effectibus cognoverit qualis spiritus earum sit auctor. Si deinde certus sit poenitentem suum a bono regi spiritu, concedat ei, ut non amplius resistat, et locutiones

audiat, non propter ipsas locutiones sed propter earum effectus ».

1738. — **Locutiones imaginariae.** — Vallgornera, q. 3, d. 5, scribit : « Altera Dei locutio non aure corporis auditur, sed imaginatione concipitur... Quod enim homo facit verbis prolatis ad alterum, ut eius sensum interiorem moveat... potest Deus facere... sine verbis, quae ipse proferat, solum similitudines verborum disponendo, quae sunt in imaginatione hominis, ad quem loquitur, vel alias novas imprimendo, et sic quod intendit manifestando... Haec verba licet in imaginatione formentur, tamen ita disponuntur, ut interdum videantur e coelo descendere, interdum iuxta audientem vel a longe proferri, interdum ex ipso penetrali cordis assurgere. Audit autem anima haec verba aliquando in somniis, aliquando in vigilia ».

1739. — « Imaginariae locutiones sunt verba quae in phantasia formantur, et, licet corporis auribus nullo modo insonent, a persona tamen eas recipiente, articulate et clare, imo clarius percipiuntur quam si auribus audirentur. Deus enim vel per se ipsum, vel per Angelos, verborum quae vult dicere species in phantasia excitat, eas mox coelesti sua luce collustrat, ita ut potentia imaginativa eiusmodi verba vivaciter apprehendat, et sic apprehensa appetitui sensitivo profunde imprimat » (Comp. Scaram.).

1740. — Notat Schram, § 542 : « Praeter modum auditu auris verba articulata percipiendi, dantur alii modi verba faciendi et audiendi... Sic in ipsis sensibus externis sensibilia aliter percipit auris audiendo, et oculus videndo. Item in sensibus internis, phantasia sic imaginatur quasi sic audiat, et aliter imaginatur quasi videat, et ita quasi audit et videt, et quidem suo modo perfectius quam sensus externi,

quia ad plura et etiam absentia se extendit, quin tamen interius audiat et videat, prout per alios sensus exterius contingit ».

1741. — Cavendum ne locutiones istae interiores confundantur cum propriis. Unde monet Card. Bona : « Proprii intellectus seu phantasiae locutiones his signis discernuntur a divinis, quia, cum potentiae nostrae loquuntur, ipsae ea quae dicunt, ordinant et disponunt, situmque est in nostra potestate ab iis, cum libuerit, divertere. Cum vero Deus loquitur, potentiae nostrae silent et audiunt, nec cogitationem ab auditis avertere, aut illa reiicere possunt. Deinde, quae a Deo dicuntur, procul ab humana intelligentia remota sunt, brevissimoque temporis spatio adeo multa audiuntur, ut nullo modo potuerint ab humano ingenio tam cito excogitari. — Indicia sunt divinae loquutionis, si verba audita memoria non excidant ; si nulla de iis praecessit cogitatio ; si audiens non sententiae, sed singulorum verborum postea meminerit ; si consona Sacrae Scripturae et Ecclesiae doctrinae sint ; si animam illuminent, corroborent, et ad perfectionem impellant » (De disc. spir. c. 8, n. 3).

1742. — Locutiones imaginariae in vigilia fiunt 1° sive cum suspensione ; sive 2° absque suspensione sensuum, sed non in apice raptus sed in intervallis. « In raptuum intervallis autem, quum potentia quaedam et speciatim imaginativa, soluta et ad suas operationes libera reddatur, locutiones imaginariae contingere possunt. Interdum denique audiuntur etiam extra orationem et contemplationem, dum anima exterioribus operationibus distrahitur et occupatur » (Comp. Scaram.). — Tamen, teste Card. Bona : « Solet frequentius haec mystica Dei loquela in somno audiri, quia tunc anima nullo tumultu, nullis

curis exterioribus distrahitur » (De disc. spir. c. 8, n. 3).

1743. — **Locutiones intellectuales in genere.** — Iuxta Comp. Scaramelli : « Locutiones intellectuales sunt omnium perfectissimae et sublimissimae. Assimilantur omnino locutionibus illis ineffabilibus quibus angeli et animae a corporibus separatae cum Deo, vel secum invicem colloquuntur. Quis ergo mortalium earum naturam et essentiam explicabit, quis modum quo formantur intelliget ? Videamus tamen quomodo theologiae doctores angelorum et beatorum spirituum explicent loquelam, ut aliquomodo saltem intelligamus locutionum intellectualium naturam et modum ».

1744. — Iuxta Schram, § 542 : « Est locutio pure intellectualis illa quae fit verbis solum intelligibiliter perceptis, independenter a sensu externo auditus, et interno phantasiae seu imaginationis ». — Unde, ut notat Lud. a Ponte : « Intellectus simul est auditus et visus animae ; auditus est quatenus a Deo accipit instructionem, attenditque quid sibi dicatur ; visus est, quatenus illud intelligit et assequitur » (tr. 1, Duc. spir. c. 22). — Et ut habet S. Augustinus : « Et si verba non sonent, in corde suo dicit utique qui cogitat » (De Trinit. l. 15, c. 17).

1745. — Sublimitatem locutionis intellectualis extollit Alvarez de Paz, l. 5, p. 3, c. 6, dicens : « Haec autem locutio propria est Angelorum, quae merito aliquando illis animabus communicatur in hac vita, quae vitam angelicam in terris instituunt ». — Et l. 2, p. 2, cap. 27, addit : « Sicut enim Deus loquitur ad Angelos et ad animas beatas separatas a corpore, non aliqua voce sensibili, vel imaginabili, sed imprimendo in ipso intellectu veritatem,

ad quam attendens angelus vere audit, et intelligens videt; ita loqui solet ad animam contemplantem sine ullo ministerio vocis exterioris, nec interioris cogitationis, per solam impressionem veritatis, quam intellectus, ab omnibus sensibus abstractus, et eorum usu relicto, percipit. Solum id dicam, rudiorum intellectuum esse, in his rebus mere spiritualibus corporum conditiones exquirere ».

1746. — Card. Bona, de tertia specie locutionum, seu de intellectuali, ait: « Tertius modus sublimior est, cum vox Dei loquentis in silentio ad cor Hierusalem non aure, non imaginatione, sed solo intellectu spiritualiter percipitur. Loquitur enim Deus in apice mentis uno simplicissimo verbo, et anima audit uno simplicissimo mentis intuitu. Sicut Angelis et Beatis loquitur, non aliqua voce sensibili, sed imprimendo ipsorum intellectu veritatem quam illis manifestare decrevit: ita in parte superiori animae verba sua profert, clarissima quadam luce infusa, in qua sine labore et fastidio, imo cum admirabili quiete et suavitate, multo plura brevissimo tempore docetur anima, quam posset proprio studio multis annis ediscere » (De disc. spir. c. 8, n. 3).

1747. — « O dulcis confabulatio Dei in anima, quae sine lingua et labiorum formatur strepitu, quae sine aure percipitur, sed sub silentio solus qui loquitur et cui loquitur audit illam, a qua omnis alienus excluditur! » (Rich. a S. Vict. De grad. charit. c. 4).

1748. — Comp. Scaramelli de hac re scribit: « *Deus, si aliquem servorum suorum locutionibus alloquitur intellectualibus* eique secretum aliquod, aut veritatem quamdam patefacit, intellectui illius spiritualem infundit speciem, quae non solum ipsius conceptum repraesentat, sed etiam in ipso conceptu dictum secretum aut veritatem manifestat. Tunc

anima simplicis intelligentiae actu, sine ullo phantasiae concursu, in Deo hunc eiusdem conceptum et in conceptu veritatem a Deo sibi revelatam cognoscit. Sic Deus animae loquitur mentem suam ei aperiendo, et anima vicissim Deum auscultat intellectuali suo visu mentis arcana eius penetrando. — *Quod si anima deinde respondere et Deum alloqui velit*, cogitatus et affectus suos ad eum dirigit, quos Deus tunc ob directionem istam non solum modo naturali, sed tamquam animae verba intelligit, et anima ipsa sese a Deo intelligi cognoscit. Omnes isti actus sine auxilio phantasiae a solo formantur intellectu ».

1749. — Et addit: « Quamquam locutiones intellectuales minus illusionibus sint expositae quam ceterae, certum tamen est, animam posse decipi, quatenus sibi purae intelligentiae obtutu operari videtur, dum revera per imaginationem operatur; et in mente Dei se videre arbitratur id quod propria mente somniat. Itaque procedat director semper cum cautela. — Non miretur director, si animam inveniat quae locutiones intellectuales recipit, dum a sensibus non est abstracta, imo nequidem in contemplatione defixa; nam, quum locutiones istae in puro spiritu formentur, accidere possunt, quin potentias materiales sua libertate privent et ad suas operationes ineptas reddant ».

1750. — **Divisio locutionum intellectualium.** — Iuxta doctrinam S. Ioannis a Cruce aliorumque mysticorum, locutio intellectualis triplex est, seu triplici modo fieri potest: 1° *per verba successiva;* 2° *per verba formalia;* 3° *per verba substantialia.* — « Tres sunt modi divinae locutionis: completur enim divina locutio vel verbis successivis, vel verbis formalibus, vel verbis substantialibus », ait Phil. a SS. Trin. p. 2, d. 4, a. 5. — « Quod vero ad locu-

tiones attinet, locutio esse potest successiva, formalis, et substantialis », addit S. Ligorius, Prax. confess. n. 141. — « In intellectuali locutione tria formari possunt verba... quae vocantur ab aliquibus verba *successiva*... verba *formalia*... verba *substantialia* », scribit Vallgornera, q. 3, d. 5, a. 8, n. 5.

1751. — Haec divisio a Scaramelli applicatur solis locutionibus imaginariis; ab aliis applicatur et auricularibus seu vocalibus, et imaginariis, et intellectualibus. Sed ex doctrina S. Ioannis a Cruce, haec divisio intellectualibus locutionibus reservanda videtur; quamvis et aliae locutiones aliqualiter participent de eadem divisione ; et in hoc sensu aliqua conciliatio sententiarum obtinetur.

1752. — **Locutio intellectualis per verba successiva.** — Antonius a Sp. Sancto, tr. 3, d. 5, s. 5, hanc locutionem exponens, ait: « In hac intellectuali locutione *tria formari possunt verba.* Quaedam, quae naturaliter ipse spiritus humanus format. Haec autem dicuntur *successiva*, quia circa materiam, quam actu anima contemplatur, cum tanta facilitate ac distinctione ea format, tamque consequenter varias invenit et deducit rationes, quas antea nesciebat, ac texit discursus non provisos, ut non ipsa sola huiusmodi facere videatur, sed ab alia persona secum interius colloquente, respondente ac instruente procedere credat. Et hoc cum aliquo fundamento. Nam tunc anima secum loquitur, se ipsam interrogat sibique respondet, non secus ac si cum alia persona discurreret. Et huic interlocutioni saepius assistens Spiritus Sanctus adiuvat eam in formandis huiusmodi conceptibus (1). Nam cum intellectus humanus

(1) Vallgornera, q. 3, d. 5, a. 8, ait: « Quaedam quae naturaliter ispe spiritus humanus format, quae vocantur ab ali-

sit collectus ac unitus veritati, quam contemplatur, et similiter ei sit unitus Spiritus divinus, inde est, quod intellectus ipse Spiritui divino communicans ex prima veritate per lucem a coelesti illo veritatis magistro derivatam multas alias deducit veritates. Unde credit anima, se cum alio successivis verbis discurrere ».

1753. — **Monita.** — Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 9, hanc quaestionem erudite exponens et opportuna monita tradens, scribit: Verba successiva spiritus secum recollectus sibi ipsi loquitur, adeo faciliter, distincte, et immediate, circa aliquam veritatem quam intuetur, quod illi videatur, non se illa proferre, sed ab alio audire, et mutuo colloquio cum eo versari. In quibus verbis fulciuntur innumerae mulierum et monialium fraudes, quae passim putant ea, quae suo naturali acumine et vivaci discursu discernunt, a Deo per locutionem recipere.

1754. — Et addit: Haec verba successiva ex triplici causa oriri possunt. *Prima* ab influxu et suggestione Spiritus Sancti; quia cum anima hunc divinum Paracletum per gratiam possideat, ille (mediante recollectione) suis eam donis movet ad perfectam conceptae veritatis indagationem, et per eius illustrationis virtutem, multae quae per se ipsam facile non discurreret, quasi se interrogando et respondendo percipit et invenit; quamobrem putat se mutuo cum alio conversari.

1755. — *Secunda* causa potest esse proprium acumen, atque imaginationis vivacitas, qua res novas et subtiles infert et detegit; ex qua intellectuali collocutione et discursu oritur intellectualis interro-

quibus successiva... Spiritus Sanctus adiuvat in formandis huiusmodi conceptibus, verbis ac rationibus veris ».

gatio et responsio; unde putat se ab alio sciscitari et respondere, cum ipsa seipsam interroget et respondeat.

1756. — *Tertia* causa solet esse daemonis astutia, praesertim in his qui sunt nimis affecti rebus supernaturalibus, et vera humilitate carentes, habentesque modicam virtutem, quibus in tempore recollectionis sufficientem diabolus digressionis et acuminitatis materiam ministrat; quod agit mediante phantasia, offerendo intellectui conceptus, vel verba, quibus per verosimilia incipiendo, postmodum ad fallacias et errores inducit, et hoc modo communiter loquitur haereticorum mentibus.

1757. — Si anima se sentiat per verba successiva excitari ad humilem et reverentem dilectionem, vel ad sanctam operationem, proculdubio prope est Spiritus Divinus, a cuius influxu et inspiratione omnia bona nobis procedunt. — Si autem anima per ordinariam tantum motionem ad huiusmodi excitetur, neque aliquam specialem et intimam excitationem longe maiorem solito percipiat, neque in ea diuturnam permanentiam habeat, proculdubio verba illa per proprium discursum et operationem formata sunt. — Si denique verba reddant animam aridam, tepidam, et mentem ad vanam complacentiam inclinent, et licet interdum aliquam humilitatem infundere videantur, statim tamen ad propriam aestimationem, aut sui acuminis complacentiam, vel ad immoderatum gaudium adducant; nefas erit dubitare, quod a spiritu nequam originem trahant.

1758. — Omnia haec successiva verba docet renuntiare et relinquere D. Ioannes a Cruce, et dono earum excitationis assumpto, ad puram et simplicem Dei cognitionem et amorem, quae per fidem et charitatem sunt, penitus consurgere... — Si tamen

sic tunc expedire videatur prudenti directori, poterit verba successiva a bono spiritu ducta retinere: sed tamen doceat animas esse contentas his veritatibus, quas nostra alma Mater Ecclesia proponit credendas. — *Haec Lopez Ezquerra.*

1759. — **Locutio intellectualis per verba formalia.** — Ant. a Sp. Sancto, tr. d. 5, s. 5, hanc locutionem ita exponit: « Alia verba dantur in hac intellectuali cognitione, quae dicuntur *formalia*. Haec sentit anima sibi ab alio proferri, nec de hoc potest dubitare. Ista verba formalia differunt a successivis, tum quia formalia proferuntur ab alio ipsi animae, successivae vero formaliter ab ipsa anima, tum quia verba successiva contingunt animae collectae et circa eamdem veritatem, quam in sua collectione contemplatur, verba vero formalia contingunt animae non collectae ac minime cogitanti de re vel materia, circa quam proferuntur. Haec verba formalia aliquando sunt admodum expressa et bene formata; aliquando ut vix percipiantur; quandoque sunt plura; quandoque pauciora; quandoque cito transeunt; quandoque diutius perseverant. Quando a Deo proferuntur, habent in anima magnam efficaciam, siquidem operantur effectum, ad quem inducunt. Potest tamen illis etiam inesse illusio daemonis, cum non appareat, an a Deo vel a diabolo proferantur. Et cum alias non habeant alium effectum praeter instructionem animae, non possunt ab effectibus dignosci, maxime quia, quae a daemone proferuntur, sunt expressiora. Unde non statim debet quis exsequi, quae dictis verbis significantur, sed omnia prudenti et docto directori fideliter exponere et eius consilio conformari ».

1760. — Vallgornera, q. 3, d. 5, a. 8, n. 6, de hac locutione ait: « In hac intellectuali cognitione

sunt alia verba formalia, quae anima sibi sentit ab alio proferri nec de hoc potest dubitare ».

1761. — **Monita.** — Lopez Exquerra, tr. 5, cap. 10, scribit: Verba formalia quandoque dicuntur spiritui modo supra naturam, medio sensus, ac etiam non recollecto; quandoque vero recollecto. Dicuntur formalia, quia formaliter percipit spiritus ea sibi ab alio dici absque ulla sui opera. Interdum dicitur unum verbum, interdum duo, vel plura; nonnunquam successive plurima, ut Danieli contigit cum loquebatur ei Angelus intra se (Daniel, 9, 22), cuius verba licet successiva essent, formalia tamen vocantur, quia clare percipiebat ea sibi ab Angelo fieri.

1762. — Finis earum est, animam de re aliqua erudire, quod quidem semper cum ex Deo sunt in ea operantur; quia his quae ordinantur, et iubentur exequendis, promptam, et paratam reddunt et promptiorem ad humilia, quam ad excelsa, et e converso cum a daemone fiunt. Effectus tamen bonorum verborum (teste B. Ioanne a Cruce) non sunt magni momenti.

1763. — Vox quae in eis percipitur nimis viva est et delicata, sed clara, nec unus apex ab interiori auditu praetermittitur, ut B. Theresia (in vita, cap. 25) inquit his verbis: « In verbis, si ex Deo sunt, subito ita graves sententiae proferuntur, quod ad earum formationem, ordinationem et compositionem multo tempore opus fuisset; in uno enim verbo plura comprehenduntur ». Sed quia ad solam animae operationem diriguntur, nihil aut parvi pendenda sunt, sed eorum assumpta excitatione, proximum fidei, ut legitimum ad divinam unionem medium, retineatur.

1764. — Testatur Theresia, Mans. 6, c. 3: « Aliquando et pluries est cupida praesumptio et conceptus, praecipue in personis quae sunt debilis ima-

ginationis, vel melancholicae; ex quo duplici personarum genere, quidquid dicant se supernaturaliter videre, audire, aut intelligere, nihil earum in aliquo habeatur pretio ».

1765. — Scire etiam debet magister, quod licet haec verba directe, et nullo medio sensus, intellectui fiant, tamen daemon, quasi fraudis fabricator eximius, potest ita imaginationis organum temperare, quod anima credat notitiam illam ad instar vocis factam fuisse immediate intellectui, ut notat B. Ioannes a Cruce, et Theresia, in Vita, cap. 25, quae triplex signum ad eiusmodi discernendum proponit.

1766. — *Primum:* sollicite considerare, an verba in totum aut in partem adversentur Sacrae Scripturae, dispositionibus Ecclesiae Catholicae, doctrinis Sanctorum, et opinionibus Mysticorum communiter receptis; vel si suadeant aliquid contrarium prudentiae, perfectioni, loco, aut statui personarum.

1767. — *Secundum:* si eiusmodi verba suadeant immoderatos rigores et poenitentias, vel aliquam novitatem et singularitatem nota dignam, quia tunc a malo spiritu procedunt; Deus quippe, licet interdum animae aliquam in rigoribus aut aliis operibus singularitatem suggerat, ut contigit Catharinae Senensi, cui nullum praeter Sacrosanctae Eucharistiae cibum sumere inspiravit, raro tamen et cum raris id efficere solet.

1768. — *Tertium* erit mentis et animi perturbatio: « Causant (inquit Theresia, in Vita, cap. 29) huiusmodi verba inquietudinem quamdam, quin anima valeat concipere unde veniant, aut quo vadant, quamvis eis resistere videatur, et quandoquidem ignorat causam; nimis angitur et turbatur ». Et infra: « Quando daemon loquitur, videtur animae, omnia ab ea bona recessisse, tanto manet insipida, turbata,

atque omni affectu bono destituta. Et licet interdum boni desideria habere videatur, non tamen valida et efficacia sunt; humilitas etiam quae resultat, est falsa, inquieta et sine suavitate. Porro in his omnibus possunt plures daemonis fallaciae commisceri; propterea nihil adeo certum in huiusmodi rebus esse potest, quod certius non sit timere, et procedere caute, et magistrum doctum, cui omnia fideliter manifestaret, eligere ». Haec Diva Theresia. — *Hucusque Lopez Ezquerra.*

1769. — **Locutio intellectualis per verba substantialia.** — Ant. a Sp. Sancto, tr. 5, d. 5, s. 5, de hac locutione scribit: « Alia verba dantur in hac intellectuali locutione, quae dicuntur *substantialia.* Dicuntur autem substantialia, quia substantialem effectum in anima causant. Conveniunt autem in omnibus cum verbis formalibus. Differunt tamen ab eis, quia sunt vere ac perfecte practica, siquidem operantur quod significant. Verba vero formalia tantum sunt speculativa et solum instruunt ad agendum. Unde omnia verba formalia non sunt substantialia, bene tamen omnia verba substantialia sunt etiam formalia, siquidem idem penitus important quod formalia et aliquid amplius, quia simul instruunt cum formalibus, et operantur quod significant, quod non faciunt formalia, ut constat ex illo Psalmi 67: Ecce dabit voci suae vocem virtutis, et ex illo Eccl. 8, 4: Et sermo illius potestate plenus, et ex illo Apostoli: Vivus est sermo Dei et efficax. Quod etiam attestatur N. M. S. Theresia, quando ei Christus dixit: Ego sum, noli timere; ubi explicat, quomodo statim omnis turbatio, quam habebat, in suis visionibus evanuit. Haec verba subito suum producunt effectum, unde audiens debet ea recipere quietus, et quasi passive se habere, nec ullam de-

ceptionem timere, sed dicere cum Samuele: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Non enim intellectus vel diabolus potest similes effectus substantiales operari in anima, iuxta illud Ieremiae 23: Numquid non verba mea sunt quasi ignis... et quasi malleus conterens petram? Unde cum haec verba sint vitae aeternae, plurimum conducunt ad unionem divinam, maxime quando sunt interiora. Unde possunt cum humilitate et resignatione desiderari et cum gratiarum actione suscipi. Felix ac ter beatus, cui hoc modo loquitur Deus! »

1770. — Vallgornera, q. 3, d. 5, a. 8, ait: « In Intellectuali locutione sunt alia verba substantialia, sic dicta, quia vivum et substantialem effectum in anima causant ».

1771. — **Monita.** — Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 11, scribit: Verba substantialia, quae etiam sunt formalia (licet non e converso) recipiuntur in spiritu interdum recollecto, et interdum distracto: distincte tamen et clare percipit anima, non a se ipsa, sed ab alio supernaturaliter esse prolata. Dicuntur substantialia ad differentiam formalium, quia haec vere et efficaciter in anima imprimunt id quod significant, quin ad eorum receptionem, neque ad sui effectus efficaciam libera sit... Exemplum adducit Theresia in vita sua, c. 3, his verbis: « Si anima habeat aliquam poenam, inquietudinem, aut obscuritatem, unico tantum verbo quod Deus proferat, videlicet: Ne doleas, illico manet prorsus libera; licet antea ei visum fuerit, quod totus mundus, una cum omnibus suis Doctoribus, eam non sufficerent a tali afflictione liberare. Haec verba (licet causa interdum ignoretur) adeo excelsam continent maiestatem, quod si reprehensionis sint, contremiscere faciant, et si amoris, penitus liquescere »... Haec verba ita ma-

nent in animo sculpta, quod ad multos annos, et saepius ad totius vitae spatium ita conservantur, quasi semper recenter proferrentur.

1772. — Haec verba mirabiles propemodum pariunt effectus, quia sunt verba vitae aeternae, virtus, et bonum incommutabile, et denique spiritus et vita sunt: « Sic erit verbum meum (dicit Dominus) quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui, et prosperabitur in his ad quae misi illud » (Isaiae, 55, 11). Quamobrem S. Bernardus, serm. 4 super Missus est: « Deo enim (ait) idem est facere quod loqui; idem loqui quod velle; siquidem apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia virtus est; nec factum a verbo, quia veritas est; nec modus a facto, quia sapientia est ». Igitur cum simul praestent fortitudinem et operationem, mirum in modum animam replent bonis.

1773. — Perfecta ergo cum resignatione, humilitateque profunda, liberum Deo anima praestare in eis debet consensum; nihil negando, et nihil timendo; quia neque humanus intellectus, neque daemonis astutia potest eis intermiscere, neque spiritus nequam ullum substantialis verbi effectum in anima producere, quatenus in ea simul imprimat effectum et habitum, ut tenet B. Ioannes a Cruce.

1774. — Verumtamen potest quandoque (diabolus) in spiritualis animae imaginatione aliqua similia verba iactare, quamvis substantialem effectum habere non possunt sicut divina, quae adeo excitant ad virtutem, quod quasi ad solis radios aquila renovari dicitur, ita anima ad vocem Domini implumem naturae miseriam, virtutibus novis ornatur, et in magnificentia convertitur, iuxta illud Psalmi: Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia....

Propterea impossibile erit quod magister, si praedictis effectibus attendat, decipi possit.

1775. — Nam verba daemonis ad istorum similitudinem depicta, quamvis primitus videantur inclinare ad virtutem, sensim tamen animam obumbrant et debilitant, ut bene notat Ignatius de Loyola, atque in rabidam inquietudinem et furoris stimulum, una cum ingenti pondere ad operandum praecipitant...

1776. — Haec verba si vere substantialia sint, et a Deo prolata, omnia habent requisita; non solum in substantia, sed etiam in modo, et circumstantiis, quibus a Deo prolata fuisse dignoscantur.... Necessarium tamen est, quod bene perpensis, et omnibus hactenus praedictis mature consideratis, adhuc ulterius diligenter observet.

1777. — *Primo*, si verba sint plurima, vel eorum sententiae absque cognita utilitate, vel urgenti necessitate repetuntur; hoc enim casu valde suspectae sunt; quia ut ait Psalmista: *Semel loquutus est Deus* (Ps. 61, 12) et licet duo, vel multa audiat, iuxta sequentia huius versus verba: *Duo haec audivi*, non autem diversa, et iterum prolata, ut ex Prophetis clare constat. Ubi enim sermo divinus repetitur, necessitas repetitionis manifeste patet, et ipse Dominus qui eis loquebatur, nunc etiam animabus loquitur: *Quia ergo ipse qui loquebar* (ait per Isaiam) *ecce adsum* (Isaiae, 52, 6). Regulariter ergo unum aut duo verba proferuntur... in quarum mirabili compositione plures sententiae includuntur; qui enim a multiloquio abstinere praecepit, absque evidenti utilitate et necessitate, non multum loquetur, ut in verbis a Christo Domino extra conciones prolatis inspicitur. Confirmat hanc doctrinam Ioannes Gerson *De prob. spirit.* his verbis: « Quod in Scriptura

semel loquutus est Deus (sicut Iob loquitur) id ipsum non repetit. Onerosum quippe esset (ne dicamus vanum) visiones super visiones in immensum multiplicatas debere recipere, tamquam ab ore Dei prolatas ».

1778. — *Perpendat insuper*, utrum verba contineant aliqua superflua, supervacanea, non necessaria, quae vere otiosa sint; otiositas enim vitium est, quod verba Dei habere non possunt: « Otiosum est verbum (ait Bernardus) quod nullam rationabilem causam habet ». — *Item* si contineant aliqua scurrilia, vel parum seria verba, quae communiter damnantur a Sanctis. — *Item*, si animae quibus Christus et Sancti apparent et loquantur, affirment Christum et Sanctos nimis risisse; quia haec nimirum aliena sunt ab illo spiritu, qui per Ecclesiasticum protulit: Risum reputavi errorem (Eccl. 2, 2). Et de Christo Domino dum degit in terris, nunquam risisse legimus, sed pluries plorasse; nam licet aliquando animabus se exhibere potest hilarem et humanum, sed nimis ridentem, aut cachinnosum, nunquam. Attendat etiam si verba contineant aliquam inconsequentiam, vel repugnantiam, vel malam doctrinam; quia verba Dei et Sanctorum ab omni vitio et reprehensione debent esse prorsus immunia.

1779. — *Circa eorum conservationem*, aliquid advertendum restat; scilicet, quod si anima per quorumcumque verborum excitationem in purum exercitium divinae cognitionis et amoris non elevetur, verborum memoriam in quantum possit abdicare satagat, et ad huiusmodi exercitium assurgat. Si autem verba praedicta eam in talem occupationem conferant; eorum memoriam conservet, quatenus ad eam occupationem excitetur; in qua non corticem

verborum, sed eorum exitationem debent conservare. — *Haec Lopez Ezquerra.*

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Teste S. Damasceno, Ipsa est: Defensio sollicita recurrentium ad se, Defensio stabilis miserorum.

MARIAM INVOCA. — Dicamus cum Seraphico: Benedictum sit imperium tuum super coelos; benedicta sit magnificentia tua super terram. Non deficiat laus tua in ore nostro, et amor tuus de visceribus nostris.

MARIAM LAETIFICA. — Servando hoc monitum Seraphici: Delectamini in laudibus Illius, et exaudiet petitiones cordis vestri — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

CAP. III. — DE REVELATIONIBUS.

1780. — **Notio revelationis. — Revelatio, quae etiam prophetia appellatûr,** est: « Occultarum veritatum detectio, aut divinorum arcanorum manifestatio per lucem infusam, vi cuius recipiens de eiusmodi veritatibus et arcanis certus redditur. Revelatio versatur ergo circa res occultas... Non necesse est ut revelationis obiectum sit omnino occultum, sufficit ut ab eo cui revelatur naturaliter cognosci non possit. Id quod per revelationem manifestatur est aut factum praeteritum, aut factum temporis praesentis, sed incognitum, aut eventus futurus. Manifestatio eventuum futurorum proprie prophetia nominatur » (Comp. Scaram.).

1781. — Iuxta Vallgornera, q. 3, disp. 5, a. 4, n. 2: « Revelatio divina definitur: Manifestatio divinorum mysteriorum et secretorum Dei, divina dispensatione hominibus facta, supra totius naturae cursum, ad communem Ecclesiae vel privatam personarum particularium, quibus fit revelatio, utilitatem ».

1782. — Iuxta Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 12: « Tertii supernaturalium apprehensionum generis sunt revelationes, quae proprie ad intellectualem potentiam spectant, quia sunt intelligentiae; licet interdum ad imaginationem possint pertinere. Revelatio est: detectio alicuius occultae veritatis, vel manifestatio alicuius arcani, vel mysterii. Et est duplex: una quae est detectio nudae veritatis, in his quae iam revelata sunt per fidem; et alia quae est arcanorum manifestatio.

1783. — Et addit, ibidem: « Revelatio, quae est detectio nudae veritatis (ut tenet B. Ioannes a Cruce, lib. 2 Ascens. mont. Carmel. c. 26) consistit in eo quod intellectus veritate cognoscat de Deo, vel de rebus altis, et de his quae sunt, fuerunt, et futurae sunt; quod quidem spiritui prophetiae est valde conforme. Fit revelatio infundente Deo in anima lumen clarissimum et intelligentiam, qua inexplicabili claritate cognoscit anima ea omnia quae Deus determinat ut cognoscat..... Lumen hoc cum ad Dei cognitionem ordinatur, solet esse effectus Doni Sapientiae ».

1784. — Iuxta Phil. a SS. Trinitate, p. 2, tr. 3, d. 4, a. 4: « Revelatio est declaratio alicuius veritatis occultae, sive manifestatio alicuius arcani vel mysterii ».

1785. — Teste Angelico: « Prophetia primo et principaliter consistit in cognitione, quia videlicet prophetae cognoscunt ea quae sunt procul et remota ab hominum cognitione... Prophetia secundario consistit in locutione, prout prophetae ea quae divinitus edocti cognoscunt, ad aedificationem aliorum enuntiant » (2 2, q. 171, a. 1).

1786. — Et addit: « In prophetia requiritur quod intentio mentis elevetur ad percipienda divina..... Haec autem elevatio intentionis fit Spiritu Sancto movente... Postquam autem intentio mentis elevata est ad superna, percipit divina. Sic igitur ad prophetiam requiritur inspiratio quantum ad mentis elevationem, secundum illud Iob (XXXII, 9): Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam; revelatio autem quantum ad ipsam perceptionem divinorum; in quo perficitur prophetia et per ipsam removetur obscuritatis et ignorantiae velamen » (Ibid. ad 4).

1787. — NOTA: « Qui autem a nobis *Prophetae,* in Veteri Testamento *Videntes* appellabantur, quia videbant ea quae caeteri non videbant, et perspiciebant ea quae in mysterio abscondita erant » (S. Isidorus, Etym. l. 7, c. 8).

1788. — Teste Angelicô, 2 2, q. 171, a. 6: « Prophetia est quaedam cognitio intellectui prophetae impressa ex revelatione divina, per modum cuiusdam doctrinae. Veritas autem cognitionis est eadem in discipulo et in docente... Oportet igitur eamdem esse veritatem propheticae cognitionis et enuntiationis, quae est cognitionis divinae, cui impossibile est subesse falsum. Unde prophetiae non potest subesse falsum ».

1789. — **Divisio.** — Teste Card. Bona: « Illud etiam hoc loco observandum est, quod *mens prophetae dupliciter a Deo instruitur;* vel *per expressam revelationem,* vel *per occultum instinctum.* Est autem inter utrumque modum notabile discrimen. Nam cum propheta ex divina revelatione loquitur, semper discerni potest, quid per spiritum propheticum, quid per proprium dicat, si quidem certissime cognoscit revelationem a Deo esse, etsi per somnium ea sit, agnoscens postea rei veritatem, iam somnii voce non utitur...; cum vero ex instinctu loquitur, aliquando fieri potest, ut proprii spiritus suggestio sit, quam Dei esse arbitratur » (De disc. spir. c. 17, n. 2).

1790. — Prophetia absoluta et comminatoria sapienter exponitur a Suarez, qui ait: « Distinguunt Patres duplicem prophetiam: aliam absolutam et simpliciter, aliam comminatoriam, quae in sensu quo fit est omnino certa; ut vero exterius sonat, videtur aliquando deficere... At quomodo, quaeso, intelligitur prophetiam esse comminatoriam et conditionalem, vel potius absolutam? Respondetur bre-

viter primum ex materia prophetiae; nam quandocumque est comminatio de poena pertinente ad statum huius vitae, vel quae fit homini in hac vita viventi, intelligi potest comminatorie, nisi effectus aliud ostendat. Quia enim scimus Deum esse paratum ad remittendum peccata et aeternam poenam agentibus poenitentiam; ideo quandocumque de viatore dicitur illum fore damnandum, ut de Iudaeis saepe Evangelium loquitur, ex vi verborum, saepe intelligitur comminatorie. Dico ex vi verborum, nam interdum effectus potest ostendere praedictionem esse fundatam in praescientia futurorum. Quando vero comminatio est de poenis temporalibus, potest et comminatorie et absolute intelligi, quia, etiamsi homo emendetur, saepe tamen Deus infert talem poenam; quomodo vero intelligenda sit, certo quidem solum ex effectu, probabiliter autem ex verbis et coniecturis colligi potest. Quia vero conditio, quae in his comminationibus subintelligitur, supponit statum viae, et liberum arbitrium flexibile ad bonum, ideo comminationes quae fiunt de poenis pertinentibus ad statum *(vere)* damnatorum, absolutum sensum habent » (De Fide, disp. 8, sect. 4, n. 8 et 9).

1791. — Monet S. Gregorius: « Prophetiae tempora tria sunt, scilicet praeteritum, praesens et futurum. Sed sciendum est quod in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit, quia, cum ideo prophetia dicta sit quod futura praedicat, quando de praeterito vel praesenti loquitur, rationem sui nominis amittit, quoniam non prodit quod venturum est, vel ea memorat quae transacta sunt, vel ea quae sunt » (in Ezech. l. 1, hom. 1).

1792. — **Obiectum revelationum.** — Scribit Lopez Ezquerra, tr. 5, cap. 12: « Revelatio quae est arcanorum manifestatio, esse potest, vel circa

id quod Deus est in se, in qua includitur revelatio mysterii Sanctissimae Trinitatis, vel circa id quod Deus est in operibus suis, in qua includuntur ceteri articuli nostrae almae fidei catholicae et propositiones quae circa illos possunt esse explicitae veritatum, in quibus multae ex revelationibus Prophetarum continentur. — *Circa primum, videlicet, quod Deus est in se* (dummodo fidei nostrae conformentur) solent esse notitiae universales, licet quandoquidem attributum aliquod particulare manifestent... *Revelationes autem circa illud quod Deus est in suis operibus,* si respiciant ea quae ad fidem nostram spectant, potest in eis daemon plures fallacias seminare, praesertim cum hominibus idiotis et feminis. Quapropter in his cautissime se gerat, et si aliquid novum, aut a credulitate nostra diversum reveletur, omnino reiiciat; est enim daemonis revelatio ».

1793. — Et hoc monitum addit: « Ne igitur in tam periculosa rerum indagatione multum laboret magister; melius erit animas eiusmodi notitiis privare, earum consulendo securitati; sed tantum dono excitationis assumpto, ad divinam unionem per cognitionem et amorem consurgere; maxime cum hae notitiae non sint directae cognitiones summi et universalis boni, in quibus unio mystica consistit, ad quam se habent tantum mediate et indirecte... Quamobrem melius erit hanc tantum excitationem assumere, et revelationis corticem abdicare, quandoquidem cortex suis speciebus occupat intellectum, ne expeditius et purius in divinam essentiam consurgat » (1).

(1) « Hae notitiae interdum incogitate et repente, interdum rei cuiuspiam piae simplicique memoria, vel sacri alicuius verbi auditione, et quandoque adeo efficaciter quod nedum

1794. — **Subiectum revelationum.** — Sanctitas personae cui fit revelatio non est necessaria, quamvis generatim solis animabus perfectis fieri soleat. Unde monet Card. Bona: « Ex doctrina S. Thomae (1) certum est per morum malitiam donum discretionis impediri. Infusio etenim luminis supernaturalis ad

animam, sed etiam corpus tremefaciant, ut testatur Fr. Philippus a SS. Trinitate, Theol. myst. p. 2, tr. 3, disp. 4, art. 2. Luminis vero infusio breviter transit, licet diu durent effectus. — Quaedam ex huiusmodi notitiis sunt in ordine ad creaturas, quaedam vero in ordine ad Creatorem, et sapidae admodum illae, sed istae ultra quam dici potest; quia cum sint purae contemplationis, et nudae intelligentiae divinae, ac nudae veritatis, et circa summum principium, quod universale est, ut tenet B. Ioannes a Cruce, per hac verba: « Hae notitiae non possunt haberi nisi ab anima in divina unione constituta, illae quippe ad ipsam unionem spectant, quia earum possessio consistit in certo divinae veritatis contactu. Quamobrem ibi ipsemet Deus est qui sentitur et gustatur, et quandoquidem non ita manifeste et revelata facie, sicut in Patria; sed adeo est sublimis et altus notitiae et saporis contactus, quod profundiora animae penetrat; nec daemon potest se his immiscere, neque quid simile effingere, vel similem saporem et delectationem infundere ». Hae ille (Idem, ibidem).

(1) « Quidquid potest esse sine charitate, potest esse sine gratia gratum faciente, et per consequens sine bonitate morali. Prophetia autem potest esse sine charitate, quod apparet ex duobus: primo quidem ex actu utriusque, nam prophetia pertinet ad intellectum, cuius actus praecedit actum voluntatis, quam perficit charitas... Secunda ex fine utriusque: datur enim prophetia ad utilitatem Ecclesiae, sicut et aliae gratiae gratis datae... Non autem ordinatur directe ad hoc quod affectus ipsius prophetae coniungatur Deo, ad quod ordinatur charitas. Et ideo prophetia potest esse sine bonitate morum, quantum ad propriam radicem huius bonitatis » (S. Thom. 2. 2, q. 172, a. 3).

hoc necessaria, mentis tranquillitatem et internam pacem requirit, quae in animo vitiis obnoxio ac terrenis affectionibus perturbato locum non habet. Ideo ut plurimum, solis iustis et mundis corde lux ista infunditur, quibus visio Dei rerumque divinarum promissa est, dicente Domino: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt » (de Disc. spir. c. 2, n. 4).

1795. — Et alibi addit: « Non quod bonitas morum, sicut asserit S. Thomas, ad prophetiam necessaria sit, si interiorem eius radicem suspiciamus, quae est gratia gratum faciens; tum quia datur ad utilitatem Ecclesiae, sicut et aliae gratiae gratis datae, charitas vero ut uniat animam Deo: haec autem separari possunt: tum quia pertinet ad intellectum, cuius actus praecedit actum voluntatis, qui perficitur a charitate. Sed quia requiritur ad prophetandum maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, haec autem a pravitate vitae impeditur; ideo hoc donum a Deo ut plurimum hominibus sanctis tribuitur, et ex eo desumi solet certissimum sanctitatis argumentum... Quorum igitur vita pravis moribus contaminata est, eorum praedictiones spernendae sunt » (de Disc. spir. c. 17, n. 5).

1796. — Similia habet Suarez, qui ait: « Unde etiam colligi facile potest, hanc gratiam regulariter non tribui malis, imo nec quibuscumque mediocriter bonis, sed viris spiritualibus ac sanctis, quoniam Spiritus Sanctus qui suaviter omnia disponit, non praebet hanc gratiam nisi his qui possint per aliquam experientiam spiritualium rerum de qualitate spiritus coniecturam facere. Quamvis autem hoc regulare sit, interdum potest Spiritus Sanctus, ad ostensionem potentiae et gratiae suae, donum hoc

etiam peccatori homini conferre » (De grat. prol. c. 5, n. 46).

1797. — Notat Card. Bona: « *Sunt qui putent hanc gratiam infundi per modum habitus;* nam de aliquibus sanctis legimus, virtute quadam habituali aliorum cogitationes pro suo arbitratu perspexisse, imo etiam cognovisse quasi ex ipso aspectu an quis esset in statu gratiae vel damnationis, quae gratia maior est quam occultas cogitationes inspicere... Non tamen credo, in eorum potestate fuisse omnes omnium cogitationes videre, quoties vellent: haec enim gratia, sicut et reliquae gratis datae, in Christo solo per modum habitus fuerunt, ut concors Theologorum sententia docet, ceteris datur per modum actus sive motionis transeuntis, aliis quidem rarius, aliis frequentius, aspirante divina gratia quando et quomodo vult » (de Disc. spir. c. 2, n. 3).

1798. — Notandum etiam cum Angelico: « *Prophetae daemonum non semper loquuntur ex daemonum revelatione, sed interdum ex revelatione divina,* sicut manifeste legitur de Balaam, cui dicitur Dominus esse locutus (Num. XXII), licet esset propheta daemonum; quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum... Unde etiam Sibyllae multa vera praedixerunt de Christo » (S. Thom. 2. 2, q. 172, a. 6, ad 1).

1799. — **Signa ad discernendas revelationes.** — Quinque ponit Card. Bona, de Discret. spir. c. 20: « 1. Veritas autem primo loco attendenda est, et consensus rerum revelatarum cum sacris Litteris, cum divinis et apostolicis traditionibus, cum moribus et definitionibus Ecclesiae... — 2. Ut constet revelationem a Deo esse, inspiciendum est an habeat conditiones quas sapientiae a Deo revelatae Iacobus Apostolus tribuit dicens: *quae autem desursum est sapientia*

primum quidem pudica est... deinde pacifica... modesta... suadibilis... bonis... consentiens... plena misericordia et fructibus bonis... non iudicans... sine simulatione. Quod si ad lites, ad contentiones, ad curas saeculi, ad vanitatem, ad superbiam, ad pertinaciam... impelluntur, proculdubio a carnali et mundana sapientia... vel a spiritu maligno oriuntur. — 3. Si quod revelatur eo tendit, ut opus aliquod grande et inusitatum suadeat, non statim ei revelationi tamquam a Deo immissae credendum; sed ad examen et iudicium superiorum referenda est... Callidus enim hostis bonum aliquod interdum suggerit, quod maius et perfectius videtur, ut falsa eius specie mens decepta, ab eo quod vere bonum est recedat... Veris item et bonis falsa atque mala permiscet... ut conciliata sibi apud incautos auctoritate, postea ad mala incitet, blandisque sermonibus venenum instillet. — 4. Cum diversae et inter se pugnantes diversis de eadem re revelationes fiunt, contingere potest ut una vera, altera falsa sit, satagente diabolo priorem veram sequenti falsa eludere: ut plurimum tamen ambae suspectae et dubiae sunt, ac propterea accuratius examinandae... Quia vero Deus ea dumtaxat revelare solet quae hominum scientiam excedunt, suspecta redditur revelatio, utpote non necessaria et supervacua, cum id quod revelatur, humana intelligentia percipi potuit... — 5. Solam frequentiam revelationum eas suspectas reddere S. Franciscus Salesius docet, cum praesertim illa revelantur quae nonnisi raro manifestari solent, et quae scire non expedit... Postremo loco... revelationes quae ex diabolo sunt, multos habent annexos discursus et rationes ad persuadendam earum veritatem ».

1800. — **Assensus privatis revelationibus debitus.** — Sapienter distinguit De Lugo, dicens: « Si...

loquamur de illo, cui revelatio privata immediate fit, non videtur negari posse, quod aliquando et non raro teneatur illam et obiectum revelatum credere... Si vero adsint motiva talia, ut non possit prudenter dubitari, debet positive credere, alioquin erit gravis irreverentia in Deum, cui loquenti et sufficienter suam locutionem proponenti ad exigendam hominis fidem, illam non possumus negare » (De virt. Fidei div. disp. 1, sect. 11, n. 229). — Et alibi addit: « Prima sententia negat pertinere ad obiectum formale nostrae fidei privatas revelationes... Secunda sententia communior iam docet omnem revelationem Dei sufficienter propositam pertinere ad obiectum nostrae fidei, sive privata sit, sive publice ab Ecclesia proposita » (Ibid. n. 225 et 226).

1801. — Suarez declarat: « Respectu vero aliorum, rara est obbligatio, non est tamen impossibilis » (De Fide, disp. 3, sect. 10, n. 7). — Sed recte dici potest cum Bonal: « Alii tamen communiter contrarium propugnant. Eo quod enim revelatio ad ipsos non pertineat, sequitur quidem eos non teneri credibilitatis monumenta expendere. At, si ipsis affulgeant, v. g. si videant miraculum indubitanter divinum in illius revelationis confirmationem, tunc positivum assensum exigit debita divinae auctoritati reverentia » (tr. de Fide, n. 50).

1802. — Bened. XIV, De serv. Dei beat. l. 3, c. ult. 12, ait: « An illi, quibus fiunt revelationes privatae, si certo eis constiterit, a Deo esse, teneantur illis firmiter assensum praebere, et affirmando respondetur... Sola controversia remanet inter theologos, an quae reteguntur in privata revelatione, sint obiectum fidei divinae theologicae. — Quid sit dicendum de illis, ad quos revelationes diriguntur?... Card. De Lugo, De Fide, disp. 1, sect. 11, docet, illum, cui

proponitur et denuntiatur revelatio illa privata, debere credere et obedire Dei mandato, sive nuntio, si proponatur cum sufficientibus argumentis » (1).

1803. — **Monitum**: « Plurimi errores, pericula et illusiones in huiusmodi rebus et notitiis commisceri solent, et certius imminent his qui talibus sunt nimis affecti; quia, ut bene notat Iacobus Alvarez, De vit. spir. tom. 3, lib. 5, par. 4, c. 5, introd. 1: " Hic appetitus nascitur communiter ex superbia, qua quis putat se his supernaturalibus donis dignum; ex curiositate qua cupit insolita et nova experiri; atque ex defectu, aut tempore fidei, cui quia communia veritatis testimonia minime ex hominis culpa sufficiunt, aliis extraordinariis vult ad firmius assentiendum excitari „. Quae omnia quasi perditionis et illusionis funes daemonem ad eos decipiendos trahunt, et compellunt. Quamobrem eos acriter reprehendat di-

(1) **Memento.** — « Privatas autem (revelationes) de quibus hic disserimus, in omni aetate et in omni statu hominum semper fuisse a primo parente usque ad nos, tum ex Sacra Scriptura, tum probatis historiis evidens est » (Card. Bona, De disc. spir. c. 20, n. 1). — « Apud nos enim nunc dona exstant prophetica; ex quo et ipsi intelligere debetis, quae apud vos olim fuere, ea in nos esse translata » (S. Iustin. Dial. cum Tryph. n. 82). — « Singulis temporibus, non defuerunt aliqui prophetiae spiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam, sed ad humanorum actuum directionem » (S. Thom. 2. 2, q. 174, a. 6, ad. 3). — « Praemonendus lector est, ne perversum quorumdam hominum iudicium sequatur, qui revelationes ac visiones divinas, ceu vanissima somnia contemnendo, se parum spirituales et humiles esse ostendunt. Neque enim parvipendendae sunt revelationes divinitus exhibitae, quibus Ecclesia Dei mirifice illuminatur » (Blosius, Monile spirituale, praef.).

rector, et materialibus et spiritualibus notitiis omnino privet, et tantum fidei baculo innixos ducat ad puram simplicemque Dei notitiam ». (Lopez Ezquerra, tr. 5. c. 12).

1804. — Card. Bona gravissimum hoc monitum dat moderatoribus personarum, quibus fiunt revelationes: « Utinam hinc discant omnes, illi praesertim qui animas regendas susceperunt, aditum claudere privatis revelationibus, nec illis facile assentiri, nisi aut miraculis, aut Sacrae Scripturae testimoniis confirmentur, sicut Canon Innocentii III praescribit. Maiorem vero animadversionem exigunt illae quae dispensationem ab aliqua lege, vel a voto continere dicuntur; licet enim fieri possit ut leges divinae, a Deo qui illas tradidit, mutari possint, ut docet Bernardus, et aliquando revera mutatae sint, soluto earum vinculo, ut cum ipso praecipiente Aegyptii ab Hebraeis spoliati sunt, etc.; nihilominus, si quid nunc simile privata revelatione contingeret, fides illi adhibenda nullo modo foret, nisi clarissime quis cognosceret, dono discretionis spirituum, Deum esse qui loquitur et revelat; idque veris et approbatis miraculis, tamquam divino testimonio confirmaretur. Cum enim obligatio praecepti certissima sit, ut aliquis ab ipso eximatur, evidentem dispensationis certitudinem habere debet. Tum iuxta regulas hac de re traditas a SS. Patribus, referenda res est ad Rectores animarum, et in gravioribus ad Summum Pontificem » (de Disc. spir. c. 20, n. 2).

1805. — **Monita circa ipsa revelationes.** — Iuxta Schram, § 579 et 581: « Discretio verae revelationis a falsa subinde in ipso cui fit, potest fieri per quemdam instinctum... In defectu discretionis spirituum per infallibilis iudicii lumen, pro discernenda vera revelatione in aliis, alius quidam in-

stinctus inferioris conditionis aliquando sufficere potest. Sicut enim potest quis a Deo instrui de seipso, ita et de alio ad eius directionem... — Licet haec discretio per solum instinctum non sit ex parte motivi infallibilis, sicut illa quae fit prophetice, sed tantum ex signis prudentia morali simul cum speciali lumine consideratis, hoc tamen sufficit, ut, in casu quo moralis certitudo non fallit, revera pro instinctu divino habeatur, maxime si fallibilitas motivi per discretionem doctrinalem adiuvetur ».

1806. — In hoc sensu accipi potest haec sententia de veris notitiis supernaturalibus a Lopez Ezquerra ita exposita, tr. 5, cap. 12: « Anima igitur quae semel tantum earum compos fiat, difficile, imo et impossibile est quod a daemone decipiatur, cum nihil simile, neque quoad substantiam, neque quoad effectum effingere possit ». Qui prudenter addit: « Director tamen inexpertus, et plerumque etiam expertus, in relatione animae decipi valet: quia daemon ita cavillose solet imaginationi offerre species adeo subtiles Divinitatis, quod putet anima intellectuales esse atque sublimes... praesertim si anima tales contactus experiri non sit consueta, et per lecturam librorum habebat terminorum notitiam. Quamobrem obiter hortor magistros, quod *his qui per huiusmodi supernaturalem viam ingrediuntur, nullatenus libros doctrinae Mysticae legere permittant; surripiunt quippe terminos quos observant, falso putantes, in se idem contingere: unde potius ea quae legunt, quam ea quae experiuntur referunt directori, et ambo misere decipiuntur* ». Quod monitum semper prae oculis habendum.

1807. — Et notat: « Igitur attendere debet semper ad effectus, magis quam ad luminis infusionem, quia ut docet B. Ioannes a Cruce: " Adeo animam locu-

pletant, quod simul ac semel aliquibus imperfectionibus exuant, quas nunquam potuerat de medio tollere, eamque reddant virtutibus divinisque donis refertam „. Quibus verbis praecipui revelationis effectus depinguntur, et quandoquidem semel tantum sit anima sic a Deo tacta, quasi Deiformis efficitur... Doceat animam ut circa illos tactus et supernaturales notitias se gerat, consentiendo scilicet eis in gratitudine et resignatione; non autem negative se habendo, sicut in reliquis apprehensionibus praedictis, quia istae proculdubio pertinent ad divinam unionem, et Mysticam Theologiam, ad quam anima est dirigenda ».

1808. — Recte etiam notat Comp. Scaramelli: « Director nullam fidem adhibeat ei qui huiusmodi res extraordinarias desiderat. Quod si anima quaedam revelationes accipiat contra suam voluntatem et desiderium, sequentem regulam, quam in vitis Patrum legimus, director ei praescribat: *Si pro veritate Angelus tibi appareat non suscipias facile, sed humilia temetipsum dicens: non sum dignus Angelum videre vivens in peccatis. — Revelationes ergo reiici et negligi debent, ita ut veluti impossibile iudicem non decipi eum qui illas non respuit ac repudiat* (ait S. Ioan. a Cruce). — Revelationes sic despectae et neglectae quum iterantur, rite et caute sunt examinandae, iuxta regulas ».

1809. — Item: « Cognita veritate revelationum, errare adhuc potest in earum interpretatione. Aliud est enim factum revelationis divinae cognoscere verum, aliud eius sensum intelligere. Nam verba, et multo magis symbola, quibus Deus res occultas manifestat, non semper habent sensum obvium, sed multoties sensum altiorem, sublimiorem et obstrusiorem quam quem mens nostra percipit. Saepe etiam

revelatio est conditionata, licet verba quibus enuntiatur sint absoluta. Quod si Deus simul cum revelationibus dat lucem interpretationis, nullus error est timendus ; sed aliquando deest illa lux prophetis, et tunc etiam veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit ; et tunc datur locus errandi ».

1810. — Item : « Quum facile sit errare in interpretatione revelationum, praecipue si sint symbolicae, director prudenter se ab omni explicatione abstineat, nisi habeat donum interpretationis spiritus. Curet ut anima veram spiritualem utilitatem ex eis colligat donec Deus ipse dignetur sensum revelationis manifestare. — Quia revelationes saepissime sunt conditionatae, quamquam verbis absolutis sint enuntiatae, non semper falsitatis argui possunt, ex eo quod effectus revelationibus non respondeat ».

1811. — Card. Bona scribit : « Ideo viri sapientes unanimi consensu hortantur, ne quis deditus studio orationis, revelationes a Deo postulet aut desideret, sed eas potius reiiciat exemplo Sanctorum, quos legimus dixisse se indignos visionibus esse, sibi sufficere peccata sua plangere, et Christum ac Beatos spiritus in futuro saeculo videre » (De discret. spirit. c. 20, n. 2).

1812. — Et addit : « Apparitionum, et revelationum, et raptuum, et aliarum rerum huius generis appetitus est valde temerarius atque culpabilis. Nascitur namque communiter ex superbia, qua quis putat se his supernaturalibus dignum ; ex curiositate, qua cupit insolita et nova experiri ; atque ex defectu aut tepore fidei, cui, quia communia veritatis testimonia minime, ex hominis culpa, sufficiunt, aliis extraordinariis vult ad firmius assentiendum excitari » (De disc. spir. c. 5, ind. 1).

1813. — Et rite sapienterque addit: « Revelationes, quae ex diabolo sunt.... ingens animae desiderium ingerunt eas in vulgus edendi et publicandi... — Spiritum Theresiae bonum esse, et veras revelationes haec signa demonstrarunt. Semper timebat diabolicas illusiones, ac propterea nunquam visiones petiit aut desideravit; imo potius Deum exorabat, ut eam duceret per viam consuetam, hoc solum optans ut fieret in ea divina voluntas ».

1814. — Item monet: « Revelationes... si vere a Deo sunt, qui ipsas recipit silentio premit, solique confessario humiliter detegit, cuius consilio credit et paret, nihil sibi tribuens, nihil diiudicans ».

1815. — Atque addit: « Revelationis accessus perpendendus est... an in principio laetitiam ingerat, quae statim in tristitiam convertatur; an potius horror initio concipiatur, qui sensim amoveatur, et in gaudium desinat: hoc enim verae, illud falsae revelationis indicium est... Ex lumine infuso quo mens imbuitur, certitudo Dei revelantis et rerum revelatarum colligitur... Quia tamen hoc lumen non semper in divinis revelationibus adest, sanum consilium est eas Superiori referre ».

1816. — Monet Bend. XIV, De serv. Dei beat. l. 3, c. ult. n. 5 : « Consensus rerum revelatarum cum sacris Litteris, cum divinis et apostolicis traditionibus, cum moribus et definitionibus Ecclesiae, tessera est praecipua divinarum privatarum revelationum, non quia statim ac aliqua revelatio conformis est sacris Litteris, apostolicis traditionibus et moribus et definitionibus Ecclesiae, tamquam divina et coelestis habenda sit: sed quia, statim ac aliquid in revelatione apparet, quod praedictis adversetur, reiicienda est inter mendacia, et daemonis illusiones... Idem quoque dicendum est de revelationibus, in quibus ali-

quid continetur contrarium unanimi sanctorum Patrum aut theologorum sententiae.

1817. — Item, ibidem, n. 17: « Fieri potest, ut aliquis Sanctus ex anticipatis opinionibus, aut ideis in phantasia fixis, aliqua sibi a Deo revelata putet, quae a Deo revelata non sunt ».

1818. — Et recte notat Sylvius, in 2. 2, q. 171, a. 5: « Quantum vero ad ea, quae non nisi per occultum instinctum cognoscit propheta, non semper potest discernere quid ex spiritu prophetico loquatur, quid ex proprio. Quia talis instinctus est quid imperfectum in genere prophetiae, et divinum instinctum interdum humanae mentes patiuntur nescientes... et e contra contingit interdum esse dumtaxat humani cordis suggestionem, quam putabat ipse propheta esse suggestionem a Deo venientem ».

1819. — Unde merito dixit Angelicus, 2. 2, q. 173, a. 4: « Sciendum tamen quod quia mens prophetae est instrumentum deficiens.... etiam veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit ».

1820. — **Valor approbationis revelationum privatarum** sanctis animabus factarum. Bened. XIV, De serv. Dei beat. l. 2, c. 32, n. 11, ait: « Sciendum est, approbationem istam nihil aliud esse, quam permissionem, ut edantur ad fidelium institutionem et utilitatem post maturum examen; siquidem hisce revelationibus taliter approbatis, licet non debeatur nec possit adhiberi assensus fidei catholicae, debetur tamen assensus fidei humanae, iuxta prudentiae regulas, iuxta quas nempe tales revelationes sunt probabiles pieque credibiles ». — Et l. 3, c. ult. n. 15, addit: « De assensu fidei catholicae hisce revelationibus non adhibendo, ita loquitur Melchior Canus, de locis theologicis, lib. 12, c. 3, concl. 3: " Nullo

certe modo ad fidem illa pertinent,,. Card. Caietanus, t. 2, opusc. tr. 31, c. 1: " Revelationi autem factae Sanctis, quorum doctrinam Ecclesia suscipit, tamquam probabilibus inhaeremus, ut D. Augustinus Thomasque scripserunt,, ».

1821. — **Monitum finale.** — Idem Card. Caietanus, in 2. 2, q. 182, a. 1, ad 3, sapientissima haec verba habet: « Notent qui alios in via Dei instruunt ad profectum spiritualem, et diligenter efficiant, ut prius in vita activa exerceri faciant quos edocent, seu instruunt, quam ad contemplationis fastigium suadeant Oportet siquidem prius passiones domare habitibus mansuetudinis, patientiae... liberalitatis, humilitatis... et sedare, quam ad contemplativam vitam ascendere. Et ob defectum huius, multi non ambulantes, sed saltantes in via Dei, postquam multum temporis vitae suae contemplationi dederunt, vacui virtutibus, inveniuntur impatientes, iracundi, superbi, si in huiusmodi tanguntur. Et propterea tales, nec activam, nec contemplativam, nec ex utroque compositam habuerunt, sed super arenam fabricarunt. Et utinam non sit frequens defectus iste ».

REQUIES ANIMAE.

MARIAM COGITA. — Teste B. Alberto Magno, Ipsa est: Mare amarum, noxias delectationes abundanter amaricans.

MARIAM INVOCA. — O Maria Immaculata, quae teste S. Damasceno, es: Receptaculum laetitiae, quippe quae supernam vocem auribus excepisti; ora pro me, ut semper et ubique et in omnibus voluntatem Filii tui fideliter faciam.

MARIAM LAETIFICA. — Assidua cura et sollicitudine salutis et perfectionis animae tuae. — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).

FINIS.

LAUS IESU̅, MARIAE, IOSEPH.

INDEX

Prologus . . . . . *Pag.* 1
Prolegomena . . . . . » 5
ART. I. - Definitio, divisio, differentia Theologiae Mysticae fundamentalis et specialis . . . . . » 5
ART. II. - Sublimitas, utilitas, necessitas Theologiae Mysticae . . . . . » 10
ART. III. - Praecipui Doctores Mystici. Adversarii rerum mysticarum. Varia. » 15
ART. IV. - Methodus. Varia. Magister. » 17

LIBER PRIMUS.

Theologia fundamentalis seu Ascetica.

Tractatus de vita et perfectione spirituali in genere.

CAP. I. — De natura perfectionis spiritualis . . » 23
ART. I. - De notione perfectionis spiritualis . . . . . » 29
ART. II. - De qualitatibus sive notis perfectionis . . . . . » 35
ART. III. - De bonis perfectionis . . . » 46

CAP. II. — De obligatione tendendi ad perfectionem. . . . . Pag. 55
ART. I. - De generali obligatione perfectionis . . . . . » 55
ART. II. - De speciali obligatione perfectionis . . . . . » 58
ART. III. - Documenta perfectionis et quodlibeta. . . . . » 65

Tractatus de viis perfectionis spiritualis et primo de via purgativa.

CAP. I. — De viis quibus pervenitur ad perfectionem . . . . . » 87
CAP. II. — De via purgativa in se . . . . . » 95
ART. I. - De vera notione viae purgativae. . . . . » 95
ART. II. - Monita generalia circa viam purgativam . . . . . » 100
CAP. III. — De operibus viae purgativae in genere. » 109
ART. I. - De mortalibus destruendis et vitandis. . . . . » 109
ART. II. - De vitandis venialibus peccatis. » 116
ART. III. - De vitando tepore . . . . » 120
CAP. IV. — De operibus sive de praxi vitae purgativae speciatim, et primo de defectibus purgandis. . . . . » 128
CAP. V. — De passionibus moderandis. . . . » 148
ART. I. - De passionibus in genere. . » 149
ART. II. - De passionibus concupiscibilis speciatim . . . . . » 157
ART. III. - De passionibus irascibilis speciatim . . . . . » 175
CAP. VI. — De sensuum externorum purgatione. » 191
ART. I. - De sensibus externis generatim . . . . . » 192
ART. II. - De sensibus externis speciatim. » 194

CAP. VII. — De sensuum internorum purgatione. *Pag.* 208
ART. I. - De sensibus internis generatim . . . . . » 208
ART. II. - De sensibus internis speciatim. » 210
ART. III. - De intellectus et voluntatis purgatione. . . . . » 226
CAP. VIII. — De oratione . . . . . » 240
ART. I. - De oratione generatim. . . » 240
ART. II. - De oratione sumpta pro petitione . . . . . » 245
ART. III. - De oratione vocali speciatim. » 256
ART. IV. - De oratione mentali speciatim. » 259
CAP. IX. — De mortificatione. . . . . » 266

Tractatus de via illuminativa.

CAP. I. — De via illuminativa in se . . . . » 281
CAP. II. — De operibus viae illuminativae generatim, sive de virtutibus in genere . » 289
CAP. III. — De virtutibus theologicis. . . . . » 299
ART. I. - De Fide. . . . . » 300
ART. II. - De Spe . . . . . » 303
ART. III. - De Charitate . . . . . » 306
CAP. IV. — De virtutibus cardinalibus . . . . » 310
ART. I. - De Prudentia . . . . . » 311
ART. II. - De Iustitia . . . . . » 313
ART. III. - De Fortitudine. . . . . » 317
ART. IV. - De Temperantia . . . . . » 320

Tractatus de via unitiva.

CAP. I. — De via unitiva in se . . . . . » 324
CAP. II. — De operibus viae unitivae . . . . » 331

LIBER SECUNDUS

Theologia Mystica specialis seu stricte talis.

Tractatus de contemplatione in genere.

CAP. I. — Amor et contemplatio - Contemplatio et Theologia Mystica . . . *Pag.* 341
CAP. II. — Praenotanda de ipsa notione contemplationis in genere. . . . . » 348
CAP. III. — Definitiones et notiones contemplationis . . . . . » 351
CAP. IV. — Divisio contemplationis in genere . » 357
CAP. V. — Aliae divisiones contemplationis . . » 376
CAP. VI. — Obiectum contemplationis . . . . » 386
CAP. VII. — De dispositionibus ad contemplationem. . . . . » 398
CAP. VIII. — De aspiratione ad contemplationem. » 408
CAP. IX. — De conditione subiecti contemplativi » 415
CAP. X. — De duratione et subtractione contemplationis . . . . . » 427
CAP. XI. — De excellentia et effectibus contemplationis . . . . . » 436

Tractatus de contemplatione in specie seu de gradibus contemplationis.

CAP. I. — De contemplationis gradibus in genere » 449
CAP. II. — De primo gradu contemplationis seu de oratione recollectionis . . . . . » 464
ART. I. - De recollectione activa seu acquisita . . . . . » 465
ART. II. - De recollectione passiva seu infusa . . . . . » 470

CAP. III. — De secundo gradu contemplationis seu de silentio spirituali . . . . . *Pag.* 476
CAP. IV. — De tertio gradu contemplationis seu de oratione quietis. . . . . » 482
CAP. V. — De quarto gradu contemplationis seu de ebrietate amoris . . . . . » 493
CAP. VI. — De quinto gradu contemplationis seu de somno spirituali . . . . . » 499
CAP. VII. — De sexto contempl. gradu seu de angoribus et siti amoris et de aegritudine divini amoris . . . . . » 508
CAP. VIII. — De septimo gradu contemplationis seu de unione mystica et simplici divini amoris . . . . . » 518
CAP. IX. — De octavo contemplationis gradu seu de unione extatica . . . . . » 543
CAP. X. — De nono contemplationis gradu seu de raptu animae in Deum . . . . . » 553
CAP. XI. — De decimo contemplationis gradu seu de matrimonio spirituali. . . . . » 571

Tractatus de purgationibus passivis.

CAP. I. — De purgationibus passivis in genere . » 588
CAP. II. — De purgatione passiva sensus . . . » 596
CAP. III. — De purgatione passiva spiritus. . . » 623
CAP. IV. — De purgatione passiva amoris . . . » 649

Tractatus de visionibus, locutionibus et revelationibus seu de contemplatione per actus distinctos.

CAP. I. — De Visionibus . . . . . » 658
CAP. II. — De locutionis divinis . . . . . » 703
CAP. III. — De revelationibus . . . . . » 723

INDEX RERUM ALPHABETICUS

Abnegatio, 238.
Acedia, 121, 145 - signa, 122 - mala, 124 - remedia, 125, 146.
Aegritudo divini amoris, 512.
Aestimativa, 215.
Alienatio mentis, 360.
Amor (passio), 157 - a. divinus, 508, 512, 649 - a. infusus, 634 - a. proprius, 235.
Angelus Satanae transformat se in Angelum Lucis, 596.
Angores amoris, 508.
Apparitiones, 659 - Christi et Sanctorum, 461, 667, 671, 676 - daemonum, 669, 673.
Appetitus sensitivus, 149 - quoad purgationem passivam, 605.
Ascensus et descensus in contemplatione, 380.
Ascetica, 7, 9, 23, seq.
Aspiratio ad contemplationem, 408.
Audacia, 180.
Auditio loquelae Dei, 459.
Auditus, 194.
Aures, 194.
Avaritia, 132.
Aversio, 169.

Charitas, 306.
Christi humanitas, 389 - apparitiones, 461, 667.
Clericorum perfectio, 60, 69, 74, 81.
Cogitationes, 215.
Concupiscentia, 161.
Concupiscibilis, 150, 157.
Confessio, 109.
Conformitas cum voluntate Dei, 331.
Consilium (donum), 312.
Consolatio, 643.
Contemplantis dispositiones, 398.
Contemplatio, 341 - differt a cogitatione et meditatione, 348 - definitiones, 351 - divisio, 357, 376 - acquisita et infusa, 360 - cherubica et seraphica, 370 - per affirmationem et ne-

gationem, 376 - per ascensum et descensum, 380 - eius obiectum, 386 - subiectum, 415 - subtractio, 427 - gradus, 449 - effectus, 439 - suavitas, 443, 446.
Contritio, 110, 117.
Conversio, 107, 114
Curiositas, 228.

Daemonis astutia, 596, 609, 689, 700, 713 - apparitiones, 669, 688.
Defectus, 128.
Delectatio, 163.
Derelictiones, 654.
Desiderium, 161.
Desperatio, 179
Deus causa perfectionis, 44.
Devotio, 44, 315.
Diffidentia sui, 114.
Dilatatio mentis, 360.
Docilitas, 233.
Documenta perfectionis, 65.
Dolor, 170.
Dulcedo in initio vitae purgativae, 106.

Ebrietas amoris, 493.
Elevatio mentis, 360 - duplex, 444.
Elevationes corporis, 584.
Episcoporum status, 73.
Eucharistia, 391, 676.
Examen sui ipsius, 43.
Extasis, 460, 543 - naturalis et diabolica, 547.

Fides, 300.
Fiducia, 115 - in orando, 252,
Flamma divini amoris, 652.
Fortitudo, 317 - vitia opposita, 318.
Fuga occasionum, 113.

Gaudium, 163.
Gula, 141.
Gustus, 203.

Heroicitas, 52.
Humilitas, 119.

Idiotae quoad contemplationem, 424.
Illapsus, 566, 577.
Imaginatio, 213 - est daemonis officina, 688.
Imitatio Christi, 43.
Impedimenta perfectionis, 66.
Imperfectiones, 103.
Inquieti non apti ad contemplationem, 415.
Intellectus, 226.
Intentio recta, 42.
Intuitio veritatis, 456.
Invidia, 143.
Ira (passio), 185 - (vitium), 139.
Irascibilis, 150, 175.
Iudicium temerarium, 291.
Iustitia, 313 - vitia opposita, 314.

Labor, 118.
Languor amoris, 513, 654.
Libertas spiritus, 443.
Locutiones, 703 - auriculares, 705 - imaginariae, 706 - intellectuales, 708 - per verba successiva, 711 - per verba formalia, 714 - per verba substantialia, 717.
Lumen infusum, 598.
Luxuria, 134.

Maria, 20, 394.
Matrimonium spirituale, 571.
Meditatio, 259 - brevis methodus, 262 - vitae et passionis Christi, 42.
Memoria, 218.
Mentis dilatatio, elevatio, alienatio, 360.
Meritum ad contemplationem, 418.
Mortificatio, 266, 401, 404 - divisio, 267 - necessitas, 268

- excessus vitandi, 271 - m. interior, 273.
Motus rectus, circularis, obliquus in contemplatione, 381.
Mulieres frequentius contemplativae, 425.
Munditia cordis, 402.

Obligatio tendendi ad perfectionem, 55.
Obsessiones diabolicae, 609.
Oculi, v. *Visus*.
Odium, 167.
Olfactus, 201.
Opinionum tenacia, 230, 232.
Orantis dispositiones, 253.
Oratio, 5, 115, 240 - divisio, 241 - vocalis, 241, 256 - mentalis, 241, 259 - publica, 259 - o. ut petitio, 245 - quid petendam, 249 - pro quibus, 250 - quomodo, 251 - efficacia, 254 - o. recollectionis, 464.

Poenitentia, 105.
Passiones, 148 - divisio, 150 - relatio reciproca, 152 - quo pacto habeant bonum et malum, 153 - earum subiectum, 155 - p. quoad purgationem passivam, 605.
Patientia in afflictionibus, 442.
Pax, 119, 440.
Peccatum mortale, 36, 42, 101, 109.
Phantasia, 213.
Perfectio, 23 - notio, 23 - divisiones, 30 - notae, 35 - adiumenta, 41 - causa, 44 - bona, 46 - necessitas, 55 - documenta, 65 - fructus, 83 - viae, 87 - p. personalis, 30, 33 - regularis, 30, 33, 58, 62, 69.
Perfectorum dignitas, 46.
Perseverantia, 41 - in oratione, 252.
Pietas (donum), 316.
Possessio diabolica, 609.
Praecipitatio, 227.
Praesentia Dei, 406.
Prophetia, 723.
Propositum firmum, 106.
Prudentia, 311 - vitia opposita, 312.
Purgationes passivae, 588 - p. p. sensus, 596 - spiritus, 623 - amoris, 649.

Quies, 458, 482.

Raptus, 460, 553 - verus et falsus, 560.
Recollectio, 464 - activa, 465 - passiva, 470
Religio, 315.
Religiosi, 30, 33, 58, 62, 69, 75, 78.
Revelationes, 723 - divisio, 725 - obiectum, 726 - subiectum, 728 - signa ad discernendas r., 730 - qui assensus debeatur r. privatis, 732 - quid importet approbatio revelationum privatarum, 739.

Scrupulositas, 100.
Secessus animae ad interiora, 457.
Sensus externi, 191 - interni, 208 - s. comunis, 210.
Silentium spirituale, 405, 458, 476.
Simplicitas cordis, 401.
Sitis amoris, 508.
Somnium cum visione, 685.
Somnus spiritualis, 499.
Spes (passio), 175 - (virtus), 303.
Sponsalia animae cum Deo, 563.
Status perfectionis, 58.
Superbia, 129.
Tactus divini, 205, 536.

Temperantia, 320 - vitia opposita, 321.
Temporalium contemptus, 442.
Tentationes, 107, 112 - signa dissensus, 607.
Tepor, 120.
Theologia Mystica - definitio, 5 - divisio, 7 - obiectum, 8 - finis, 8 - differentia cum Scholastica, 9 - sublimitas, utilitas, necessitas, 10 - fontes, 15 - Auctores, 15 - adversarii, 17 - methodus, 17 - requisita, 19.
Timor, 118 - (passio), 181 - (donum), 322.
Transformatio mystica, 85, 572, 577.
Trinitas, 387.
Tristitia, 170.

Unio mystica, 459, 518 - simplex, 523 - u. intellectus, 524 - voluntatis, 525 - effectus, 533 - u. extatica, 543

Venialia, 116.
Viae perfectionis, 87 - divisio, 89 - quomodo distinguuntur, 91 - v. purgativa, 95 - eius duratio, 99 - opera, 109 - summula, 276 - v. illuminativa, 281 - differentia cum praecedente, 282 - signa, 284 - opera, 289 - v. unitiva, 324 - differentia, 325 - signa, 326 - opera, 331 - summula, 337.
Vigilantia, 106.
Virtutes, 289 - divisio, 290 - earum acquisitio, 293 - medium in virtutibus, 293 - connexio, 294 - v. theologicae, 299 - cardinales, 310.
Visiones, 658 - corporeae, 665, 674 - intellectuales, 461, 691 - v. Dei in caligine, 461 - clara, 462 - distinctio inter v. veras et diabolicas, 673, 688 - v. imaginariae, 680 - duplex earum modus, 683 - v. per somnum, 685.
Visus, 194.
Vita contemplativa, 436.
Vocatio divina ad contemplationem, 417 - ad statum religiosum, 76.
Voluntas, 233 - voluntatis divinae executio, 31.
Vulnus divini amoris, 653.

2076

248
Vives, J.C. V38

AUTHOR
Compendium Theologiae Ascet-

TITLE
ico-Mysticae

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY CA 94709